2.
6
22-b
63
BIBLIOTECA NAZIONALE VITTORIO EMANUELE
6
M
19 C
32
6.27.L.62

XXXIV. B. 32.

SIMONIS OGERII IRENE ET ARES.

AD MAGNVM HEROA ALEXANDRVM FARNESIVM, PARMENSIVM, AC PLACENTINORVM DVCEM, AVREI VELLERIS EQVITEM, GALLIÆ BELGICÆ PRÆFECTVM.



Ex bibl.ca Altemps.na

DVACI,

Ex officina Ioannis Bogardi,

M. D. LXXXVIII.

IN NOMEN ALEXANDRI.

NOmen Alexandri magna virtute ferendo
Auxilium, meruit primus habere Paris:
Cùm pecus abductum ſylua viridante recepit,
Et Cilici Phrygiam ſanguine tinxit humum:
Et tu, voce pari qui diceris, optime Princeps,
Belgarum populos qua ratione iuuas?
Hoc ſcit Relligio, Pietas, altaria Diuûm,
Alma Ceres, Helicon, virgineusq́ chorus.

SIMONIS

SIMONIS

OGERII

IRENE.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

AD ALEXANDRVM FARNESIVM, PARMENSIVM DVCEM, GALLIAE BELGICÆ PRÆFECTVM.

HEros Æmathij virtute,& nomine regis
Prædite,Cæſarea quem natum ſtirpe nepotem
Carolus eſſe ſibi gaudet cœleſtibus oris:
En tibi Pax venio,dignas quæ ſoluere nunquam
Pro meritis grates potero:nam carcere clauſam
Cimmerio,radiis percuſſa in regna reducis,
Et cunctis grato donas mea lumina Phœbo.
Eſt locus Ardennæ in medio,ſub monte niuali,
Horridus,& denſis noctis circundatus vmbris;
Quem liquido latæ præcingunt ſulfure foſſæ,
Æratæque tegunt portæ,turritaque ſeruant
Mœnia,cæruleo ferri prætexta rigore.
Hæc circum rapidæ Sphinges, Strophadumque volucres,
Agmina fœda volant,& prædæ munera captant;
Atque venenatis cinctæ ſerpentibus Hydræ,
Terribili ſonitu per ſtagna paluſtria ſerpunt;
Et flammam tetro voluentes ore Chimeræ,
Inficiunt liquidas fumis vndantibus auras;
Perpetuiſque lupi ſyluas vlulatibus implent,
Atque alia horrificis errant animalia formis,

Sæuitiaque fremunt, venientumque ora laceſſunt.
Hîc me peſtifero Mauors concluſerat antro,
Impius,& placidam retinebat carcere Diuam
Non æquo,rigidis ſtringens mea brachia nodis,
Et furiis genitas cogens tolerare cateruas,
Tartareo ſtrepitu Phlegethontia regna replentes.
Sed tu ſyderea magni Iouis ægide tectus,
Quam tibi prætendit bello metuenda virago,
Dum calidas acuis pugnas, Martemque laceſſis,
Prodigiis plenas animoſo milite ſiluas
Ingrederis,terrensque feras,& inhoſpita teſqua,
Cerbereasque domos,& cincta draconibus ora,
Tormentis cœli ſonitus imitantibus altos,
Aërias turres,& propugnacula vaſta
Sternis,& horriſono ſtridentes cardine portas
Deijcis,ac diro raptam me carcere, cælo
Oſtendis, ſolitosque mihi largiris honores
Victor,& inuito tendis mea regna Gradiuo.
Nunc igitur per te, FARNESI clara propago
Æthercam lucem video,& ſecura pererro
Oppida,quæ cinctus longè radiantibus armis
Neruius egregio generoſus milite ſeruat.
Quique colunt lætas Cereali vomere glebas
Hannones,haud mœſto ſpectant mea numina vultu,
Et me liligeræ cupidis amplectitur vlnis
Arteſiæ ſoboles,& amœnis Flandria campis.
Nec Limburgenſes,nec Luxemburgia tellus
Me prohibent cultis,vbi fert ita corde voluntas,
Saltibus egregios manibus decerpere flores;
Nec liquidum Scaldim, nec Moſæ pulcra fluenta,
Nec rapidi ripas Rheni celebrare vetamur,
Quà ſe fertilibus tendit Barbantia terris,
Gueldriaque,& lata prænubila Friſia ſilua,

Et riget

Et riget aërium ferrato monte Namurcum;
Et præbet gratos ſemper mihi Sequana fontes.
Quin pater Oceanus Dunkerkæ ad mœnia celſæ,
Me ſæpè in fuluo ſpatiantem littore cernit;
Nereïdesque Deæ non viſam tempore longo,
Tritonesque vagi ſacrata voce ſalutant.
Soli me fugitant Batauì, Batauisque feroces
Mattiaci nunquam non fœdo fœdere iuncti.
Ah cur me fugitis Catti, cur pace repulſa,
Sacrilegæ monitu turbæ, teterrima quæ ſunt
Inter mortales monſtra, & portenta fouetis?
Et dirum geritis bellum, comitésque Gradiui,
Sanguineæ cædis cumulos, peſtémque, famémque
Diligitis, curasque malas, gemitumque cietis,
Nec ſinitis veſtris occurrere gaudia terris?
An vobis videor ſpernenda, & digna barathro
Cecropio, quæ ſum cunctorum cauſſa bonorum?
Cana Fides, & Iuſtitiæ ſanctiſsima virtus,
Et Themidos florent leges, dum libera terras
Incolo, nec ſegetes negat vnquam tempore pacis
Flaua Ceres, nec vina negat generoſa Lyæus,
Nec Pomona ſuos fœtus, nec lilia Chloris.
Et liquidos fontes mihi fundunt Naiades almæ,
Et teneras frondes, & gramina læta Napææ,
Et veneranda Pales armenta nitentia paſcit.
Me cupidæ celebrāt volucres, mihi marmora ridēt
Æquorea, & tepidi ſpirant mihi lenè Fauoni,
Et ſoles melius fulgent me ſceptra tenente,
Atque hilares agitant ciues conuiuia læta,
Et dulcem ducunt vitam, prolémque propagant,
Et fera rigidæ feriuntur cuſpide mortis.
Diuitias ego ſuppedito, gemmasque nitentes
Inuenio, atque aurum dono mortalibus ægris;

Marmoreaſque domos ad cæli ſydera tollo,
Et variis vrbes opulentas cultibus orno;
Omnigenaſque artes foueo, doctiſque Poëtis
Porrigo Mæonia Libethria pocula dextra.
Nónne igitur ſtultè veſtra regione fugatam
Exilio afficitis duro? non æquore vaſto
Quod colitis, ſcopuliſque maris, monſtriſque marinis
Iure quis affirmet genitos? & ſemina ferri
Corde fouere fero? nam, pròh dolor, ecquid iniquo
Vobis cum bello, belliq́ue furentibus armis?
Quónam conſilio veſtram fulcire ſalutem
Speratis, lethiq́ue manum vitare putatis?
Exigui numero, nec latis finibus aucti
Eſtis, & agrorum nimia bonitate caretis.
Auxilium externum nullum eſt; concurrere bello
Inter ſe properant Celtæ, nec tuta Britanna
A ferro eſt regio, Germania milite raro
Vos iuuat, atque aurum poſcit, voſque ære caretis,
Et longo vobis exhauſta pecunia bello eſt.
Præterea, nùm vos Hiſpanam poſſe putatis
Ferre manum, & robur magnum tolerare potentis
Heſperiæ regis, cui parent Indica regna,
Regna auro, & nitidis longè rutilantia gemmis?
Quem dominum Inſubres etiam, & pulcherrima Nympha
Parthenope agnoſcit, quæq́ue audit terra tumultum
Sardinij pelagi, vaſtæq́ue Charybdios iras?
Cui ſeſe iungunt etiam pugnacibus armis
Præſtantes alij Belgæ, vireſque miniſtrant
Corde ſuas alacri, nec iuſſa modeſta recuſant.
Quem nunquàm terra, nec aqua ſuperare tyrannus
Odryſius potuit, non raro victus ab illo.
Hunc quoque cœlicolûm genitor cœleſtibus armis
Adiuuat: hic etenim veræ pietatis amore
Ducitur,

Ducitur,& Superûm cultus,araſque tuetur,
Pontificiſque pios Romani ſeruat honores:
At vos deſtruitis Superûm delubra decora,
Et ſacros cineres in amaras ſpargitis vndas,
Et colitis pingues Epicuri de grege porcos,
Vt veros homines;etenim,nec falſa canuntur,
Sub lare Caluini Catiorum ſecta fouetur.
Hi vobis ſanam mentem,ceu Dædala Circe,
Eripiunt,oculoſque tegunt caligine cæca.
Quin hos in pelagi tumidas impellitis vndas,
Æquoreo generi prædam, dulcemque rapinam?
Vel laqueo informi vitam finire coactos,
Deſeritis dignam coruis rixantibus eſcam?
Aut rapidis vſtos flammis permittitis alto
Aëre Threïcio Boreæ ludibria ferri?
Sumentes fraudum pœnas,linguæque doloſæ;
Vt caueant alij poſthâc illudere vobis,
Et puro nigras cœlo ſubtexere nubes,
Lethiferoque pias inuoluere turbine mentes.
Non vobis mare veſanum,fluctuſque doloſus
Proderit,& fruſtrà ſcopulis confiditis altis,
Cæruleaque incaſſum torquetis in æquora naues.
Nec pulchris vnquàm cœptis deſiſtet Iberi
Regis honor,dùm vos ſub priſtina ſceptra reducat,
Et videat Superis ædes ſacrare refectas.
Eia igitur pacem trepido præponite bello,
Et regem Heſperidum,regem cognoſcite veſtrum.
Gentem pacificam fœlicem dicit IESVS;
Et quænam vobis ſententia verior iſta
Eſſe poteſt?magno,ſi non mihi,credite Chriſto.
Turpe ſuo regi populum parêre rebellem
Nolle,iubent ſanctos venerari numina reges.
Nec vobis animos faciat,quòd nuper iniqua

Arte

Arte duces nobis animoſo pectore, paucos
Videritis raptos, tumulo ſuccedere terræ:
Vobis mortifero belli certamine plures
Erepti, gelidas Erebi petiere paludes.
Nec iam ſanguinei ſubeant qui turbida Martis
Prælia, ductores vllos reperire poteſtis.
At nobis aliqui truculenta morte perempti
Cùm cecidêre duces, habet alta potentia regis,
Quos his ſubſtituat, non inferioribus armis.
Sic cùm pomifero ſenſit Proſerpina luco,
Auulſos fœtus auri fulgore micantes,
Protinus ereptis ſuccedere Diua recentes
Imperat, & fuluo ramos ſplendere metallo:
Et cùm triſtis hyems ſiluis decuſſit honorem,
Mox tepidi reparat veris præſentia damnum,
Atque nouas frondes Zephyris ſpirantibus edit:
Cumque albas rapuit volucres violentia petræ,
Quæ Siculo pelago truculenta tunditur vnda,
Sufficit his alias ſimiles dominator Olympi,
Et iubet ambroſiam menſis inferre ſupernis.
An non audiſtis virtutem, atque inclyta facta
Huius ALEXANDRI, quem Belgis omine fauſto
Regia maieſtas præfecit, & aſpera belli
Munera tractantem, rerum dedit eſſe magiſtrum?
Vt reor, audiſtis; nam vobis oppida multa
Eripuit, victoſque fugam celerare coëgit
Sæpius, & veſtros rubeſecit ſanguine fluctus.
Hic, quamuis etiam ſapienti corde ferantur
Complures alij, & vera virtute probentur,
Attamē inſtar erit multorum, vt Phthius Achilles,
Laudibus exuperans cumulatos laudibus altis
Ductores alios, quos miſit in arma PHILIPPVS;
Non ſecus ac radiis ſuperat rutilantia claris

Sydera

Sydera,cùm roſeum Sol aureus extulit axem.
O cur non potius facilem,veniæque paratam
Principis eligitis mentem,quàm pectoris iram
Terribilem,veluti demiſſum fulmen Olympo?
An maculari cæde cruenta marmora ponti,
Veſtraque fulmineo lacerari mœnia bello
Mauultis,quàm pace frui, placidamque quietem
Amplecti,fatisque datam producere vitam?
An dulce eſt vobis natos in vincula duci,
Et gladio cæſos cadere in certamine Martis,
Orbatasque viris lachrymarum rore madere
Vxores,manibusque ſuos diuellere crines,
Vaſtarique ſolum,& cumulatos frugibus agros,
Oppidaque incendi, patriosque iacere Penates?
Heu vbi iudicium ſolers, vbi mentis acumen?
Num ſtimulis animum cæcis furialis Erichtho
Sollicitat,pectusque fero premit angue Megæra?
An paucis homines curis Natura fatigat?
Et raros genitis Parcæ cecinere labores?
Et nullæ miſeros febres graſſantur in artus?
Et non orbe ſatis veſtro Fortuna malorum
Inuexit,niſi vos etiam grauiora vocetis?
Ne vos pœniteat tandem,bellique prophani,
Et ſtulti incœpti, ratione videre ſagaci.
Nam nimiùm vitæ finem facietis amarum,
Si mea dicta Noto rapienda per æquora detis.
Quòd ſi cædis amor,prædæque inſana Cupido
Sic animos agitat veſtros,dextrasque rapaces
Verſat,vt abſque fero Martis requieſcere ludo
Haud poſſitis,habet quo vos ſatiare PHILIPPVS
Rex queat;En Turcas Aſiæ detrudite campis,
Iſmariisque iugis,vndæque Libyſtidos ora,
Heſperiis iuncti,& ciuilia mittite bella.

Sic rectè veſtri quondam fecere parentes,
Nec ſe Chriſticolûm,ſed iniquo ſanguine Thracum
Tingebant,claros referentes inde triumphos.
Sed nimiùm longo vobis ſermone locuta,
Qui me reijcitis fœlicem,hoſtemq́ue putatis,
Ad magnum redeo,mihi charũ, Heröa, ducemq́ue
Egregium,qui nil aliud per Martia bella,
Quàm pacem quærit,paciſq́ue inſignia læta:
Quem lepidis,oro,tranquillæ pacis alumni
Carminibus vates celebrate,& tollite ad aſtra.
Fallor,an id placido Phœbeïa turba futurum
Annuit ore mihi?non fallor, fortia facta
Quæ geris,æquabunt cælo,& volitare iubebunt
Per terras omnes,facunda voce poëtæ.
Et Phœbus citharam grato ſibi flore comantem
Semper inumbrabit, nec erunt Hyacinthia ſigna
Laudibus orba ſuis,cantuq́ue expertia ſacro:
Sed celebrabuntur Pataræo munere ſemper
Florida,neç longa marcebunt temporis ira.
Nec tu parua,tibi quæ munera dono,putabis,
Sint quamuis infra meritum;Rex ille Philippo
Natus Amyntiade,qui magni fleuit Achillis
Ad tumulum,quòd eum doctus celebraſſet Homerus
Laudibus eximiis,nec haberet pectore tali
Laurigerum vatem, qui ſe quoque ferret in aſtra;
Magni Piëridum citharas,& Hyantia dona
Fecit, & arte ſua tenebris educere Muſas
Egregios homines,cœloq́ue locare putabat.
Huius iudicium Princeps generoſe ſequeris;
Quiſquis enim verſu,& docta teſtudine Phœbi
Digna facit,verſum,Phœbæaq́ue plectra requirit;
Virtutiſq́ue ſuæ teſtes accerſere Muſas
Gaudet, & Aöniæ capitur dulcedine linguæ.

AD

AD ALEXANDRVM FARNESIVM, PARMENSIVM DVCEM.

PRinceps, cuius laudant Heroïcas artes,
Et qui Gangem bibunt;
Et qui Canarias habitando partes,
Beatos ſe ſcribunt:

Accipe ſereni vultus læta fronte
Præſens munuſculum;
Nec optato ſibi Farneſio fonte
Pelle clientulum.

Quòd ſi tuam mihi Dircen permiſeris,
Non me vincet vates,
Qui canit aduerſos Phrygibus miſeris
Æaci Penates.

Opto per te Mauors quamprimùm fugetur
Ex omni Belgio;
Et te duce Turca leges auerſetur,
Inuentas Sergio.

SIMO-

SIMONIS OGERII
ARES.

Ares, Ares ſæua Iunonis ſoboles,
Cur ita relictis Thraciæ populis,
Galliæ nitidos pacis aufers ſoles?
Et nos ſanguineis offers periculis?
Paſſim funereę conſtruuntur moles,
Et crebra mandantur corpora tumulis,
Vrbesque flammeo cremantur furore,
Et æquora rubro maculantur rore.

An nunquam Gallicis excedes finibus,
Et ad Iſmarios remeabis fontes?
Vt pax appareat mæſtis hominibus,
Et muſæ redeant Belgicos ad montes,
Noſtrisque releuent ſitim fluminibus,
Vbi dolent multos tibi ſtratos pontes,
Qui tranſitum præbent ſæuo tumultui,
Et colubrifero Megæræ vultui.

Bis eſt comitatus decies Titana,
Qui nectar ſuperis miſcet Ganymedes,
Ex quo terit rota Gradiuus veſana
Campos, quibus ſuas collocarunt ſedes,
Qui canunt Belgicis vocibus Pæana,
Cùm domum referũt, hoſte victo, pedes,
Nunc inter ſe diris concurrentes armis,
Et Philadelphiæ deſtituti parmis.

Fædam quidem belli vitant nubem quidam,
Et exuunt pio capite galeas,
Pacis tempeſtatem ſequentes liquidam,

Et ar-

Et arma naufragas vocantes Maleas.
Quæ conijci vellent in Styga liuidam,
Tales meditatam miſeris aleas,
Quo funera ludo ſibi reperiant,
Et faciles Orco vias aperiant.

Hos inter qui pacis aras venerantur,
Primas tenent fortes Arthesiæ nati,
Et qui Diliacos ad amnes vagantur,
Muſarum filij prudentes,& cati,
Tum qui Pleumoſiis finibus verſantur,
Pòſt Hannoniacis parentibus ſati,
Hinc quos Moſæ beat flumen purpureum,
Ac tegit Ardennæ nemus arboreum.

Et ſapiunt mea quidem ſententia,
Si tubæ deuouent funeſtum canorem,
Nec opprimi volunt ferri dementia,
Nec amant impium Mauortis amorem,
Quem veraci voce vocat Prudentia
Omnium malorum caput,& autorem,
Quæ Titan oculis aſpicit aureis,
Cùm terras radiis luſtrat æthereis.

Tuba mugiente, frugum bona mater
Mutat veſtes albas nigris velleribus,
Et hanc mentis dolor exagitat ater,
Cùm videt orbari ſola vomeribus,
Quos frangit impiæ Nerienis pater,
Agricola diris cæſo vulneribus,
Et incenſa domo,quæ ſeruat ſegetes,
Et nido dignatur ruſticas præpetes.

Nec Liber virides diligens pampinos,

Gaudet ſono pugnas ciente Martias,
Nec amat flagrantes per vineta pinos,
Et igne prementes vlmos Euantias,
Nec inſula diues quam poſſedit Minos,
Videt vuas bello per valles Lyctias,
Quæ ducant certantem purpuræ colorem,
Et fundant inuiſum dolori liquorem.

Nec menſæ teguntur rubentibus malis,
Quæ velli queritur acerba Vertumnus,
Crudelis Hyſmines vrgentibus malis,
Quam meritò culpat, & odit Autumnus,
Pomiferis fletu rorantibus malis,
Et precatur ad ſe retrahat alumnus
Stygos, per obſcuras ſtrepitantis valles,
Cuius ripas ſignant Tartarei callès.

Et horrent pulcrorum Dominæ fluminum,
Martiales currus, ac voces barbaras,
Et ſæuiſſimorum ſtrepitus hominum,
Quorum truces equi lymphas turbāt claras,
Peius nimboſorum turbine flaminum,
Et priuant floreis honoribus aras,
Quatientes campum ſono quadrupede,
Et calcantes ſatos flores à Chloride.

Nec nimis Dryadum ſunt cœtus ſecuri,
Quarum violantur frondei Penates,
Et querceta cadunt impia ſecuri;
Nec vllas venando capit voluptates,
Nymphe ſtudioſa nemoris obſcuri,
Quam ſororem vocat Pataræus vates;
Nam feras in ſiluis miratur extinctas,
Dum veſtes induit pharetra ſuccinctas.

Nec Oreſtiades nymphæ ludunt iugis,
Cientes choreas ſpectante Sileno,
Ad limpidiſſimum caput aquæ iugis,
Quas inde fugauit Martia Celęno,
Fruſtrà ſuis tentans ſubijcere iugis,
Ac vinclo tenere ligatas aëno.
Nec armentis alma cæſis gaudet Pales,
Nec Pan laudat enſes ſtabulo crudeles.

Iam verò virgines Ioue generatas,
Non procul à Dirces clariſſimo fonte,
Iuxta lauros ſaltu biuertice ſatas,
Nulla licet valle, nullo licet monte,
Aſpicere choros ducere paratas,
Et dicere verſus lætiſſima fronte,
Attonitas rauco clangore tubarum,
Et peregrinarum facie iubarum.

Spicula pro dulci ſonant teſtudine,
Et pectora magno dolore planguntur,
Et gemitus mæſto funduntur carmine,
Et vulnera ſæuis vnguibus panguntur,
Per genas,& vultus vacantes crimine,
Tum tympana manu væſana tanguntur,
Er diris appellant numeris Eridas,
Et pugnas,& cędes & ſtrages horridas.

Nec aris parcitur illis temporibus,
Sed flamma,ferrumq̃ue delubris ſpargitur,
Et diui fraudantur ſuis honoribus,
Et pietas fluctu lethæo mergitur,
Nec templa Sabæis fumant vaporibus,
Et ad cæcitatem Meliam vergitur,
Nec manus timetur armata fulmine,

Et altitonantis Vulturni flamine.

Nec perferre poteſt Dice pulcerrima,
Intolerabiles Mauortis furores,
Sed fugiens bella longè teterrima,
Ad Olympiacos ſe refert ſplendores,
Et mente vulnera gerens acerrima,
Patri tandem ſuos exponit dolores,
Orans opem ſibi totis pulſæ foris,
A turba Stygiis digniſſima loris.

Martem Cypriaca ſequitur libido,
Et fraus, atque dolus, & vis inteſtina,
Et liuor, & faſtus, & opum cupido,
Et cruor, & cædes, & mors repentina,
Culpæque Syllano generatæ nido,
Et à ſacrilego fotæ Catilina,
Quæ dum ſceptra vigent Irenes aureæ,
Nigra premunt arua Lethes Tartareæ.

Propterea mirum ſobolem Batauam
Ita delectari trucibus præliis,
Et vna Valacros gentem non ignauam,
Eiectis cum plectro vatibus Deliis,
Nec horrere Machen, nec putare prauam,
Quæ turpis ambobus videtur Heliis;
Nam ſolus in Belgis hic angulus bellat,
Nec curat vt triſtes furias hinc pellat.

Ah quid ita certas ruis in ruinas,
Bellicoſiſſima Cattorum propago?
Cur amas Erebi lethales reginas,
Nec te dira terret Mauortis imago?
Cur ſpernis frigora, niues, & pruinas?

Quas neceſſe feras in Areopago,
Cum tempeſtatibus,& Auſtri furore,
Et ęſtu Sirio,magnoque ſudore?

Quis te furor agit,quibus inſtas fatis?
Quas in caput tuum clades accumulas?
An centum poterunt Anticyrę ſatis
Abſtergere mentis tam dirę maculas,
Succis dementiam depellere natis?
Ah cur ita dextrum callem diſſimulas?
Læuas fuge vias,hic te ducet limes,
Quò, ſi mente ſapis,peruenire times.

Ecquid hilaratis miſeri Tartara,
Cinctumque Charonta flammis vndantibus,
Et cultas ſtygia Cocytidas ara?
Hę peſtes lętantur vobis bellantibus,
Et Acherontia tripudiant hara,
Terris largiflua cæde manantibus,
Et animas Orco multas mitti gaudent,
Nec quæ per ſe poſſunt,illa per vos audent.

Num ferrum pectore fouetis rigido,
Geniti Rhodopes rupe ſcopuloſa,
A Lea nutriti ſpecu ſub horrido?
An Hydrarum ſati gente paludoſa,
Et Lernæ madidi nectare fœtido,
Et ſerpentum paſti dape venenoſa,
Nec quicquam ſeruantes generis humani,
Et Libitinæi clientes Sumani?

O pectora vultu talpæ cæciora,
Non atram videtis venire procellam,
E iugis Cantabra virentibus ora?
Quæ ſternat batauo plenam lacte cellam,

Et nulla temporis permittente mora
Caninefatiam nudet auro ſellam,
Et domet Leidani belluas nemoris,
Et monſtra Delphij deleat æquoris.

An vos pates regi pûtatis viribus
Qui bellipotentes Hiſpanias regit,
Et lectis Indico nemore floribus
Specioſiſſimum Diadema tegit,
Et Longobardicis fulget honoribus,
Et Salentinorum ſe principem legit,
Tum Parthenopæo dominatur lare,
Et temperat Acin,& Sardoum mare?

Non vobis proderit manus Tameſia,
Nec Caſimiriæ feritas cateruæ,
Nunquam celebranda voce Teumeſia,
Nec Aracynthiæ fidibus mineruæ;
Nam contra ius arma lædit Tarteſſia,
Nec piam fert opem ſoboli proteruæ,
Quæ regis violat ſui maieſtatem,
Et religionis ſanctam dignitatem.

Quin ergo furorem remittitis ferum,
Et regem quem dedit natura colitis?
Quem qui negat veſtræ regionis herum,
Eximatur albo ſobrij militis,
Et ad Cerbereum compellatur merum,
Nec roſtrum Stygij neſciat alitis,
Vt impietatis ibi pœnas ferat,
Nec lites amplius,nec clades hîc ſerat.

Rex mitis conceptas in vos ponet iras,
Et amplexabitur Amneſtiæ legem,
Modò diuis ſacras ſuſcitetis aras,

Et

Et ſanctè colatis ſidereum regem,
Nec Bezæ Nænias habeatis caras,
Nec Melanchthonium foueatis gregem,
Ac ſibi priſtinos reddatis honores,
Et Trinobantios exuatis mores.

Quis ſanus non vitam deſerat acidam,
Et lites,& rixas, & diros tumultus,
Et his anteponat quietem placidam,
Iſta ratione clades ſuas vltus?
Licet damnantibus Alecto turbidam,
Et Enyalij ſanguineos vultus,
Macarię vobis tangere ſolium,
Curis in ęternum pulſis exilium.

Peniam crudelis Mars habet comitem,
Quæ fame rabida mortalibus inſtat,
Vt Pax Eleuſinę matris natum mitem,
Qua nil nec melius,nec pulcrius exſtat,
Quam fælicitatis qui vocat fomitem,
Non errat,nec ſcito Veritatis obſtat:
Anteferte lætas opes Egeſtati,
Et ſerenos ſoles atræ tempeſtati.

Nec improbos mores probetis illorum
(Niſi riſum vultis mouere Manibus)
Quibus ita iactus imperant talorum,
Vt licet damnoſis tangantur canibus,
Et inſtet certorum ruina malorum,
Haud ceſſent incautis ludere manibus,
Donec inuoluantur Iri periculo,
Et annumerentur Moriæ populo.

Non pudet Superis prælia mouere
Impijs enſibus,& haſta crudeli?

Cincti ſerpentibus Ægęonis more,
Qui ſibi regiam promiſerat cæli,
Et axes ſtellato rutilantes ære,
Spreta fulminei ſæuitia teli,
Quod tamen compreſſit nefarios auſus,
Et magnos peperit cælicolis plauſus.

Deus viros ſceptro diligit donatos,
Nec regum negligit læſam maieſtatem,
Proponite vobis Iudæorum natos,
Qui deſpicientes Moſis lenitatem,
Multa faſces gemma tentarunt ornatos,
Et affectauerunt primam dignitatem,
Quos Orcus excepit aperta tellure,
Et Phlegethontio collocauit rure.

Ah canitur ſurdis, placere video
Vobis artus tectos ferrato ſplendore,
Et luſus Getico gratiſſimos deo,
Prælia, tumultus, cum ſęuo furore,
Et ſtrage iucunda regi tartareo,
Et nymphis lethæo perfuſis liquore;
Nec fletis cùm flammas videtis accenſas,
Et aruis, & aris, & muris infenſas.

Quàm ſerò ſapiunt Troiani proceres,
Nec audiunt Phębo dilectam Męnada,
Cui cordi pax erat, & Phrygia Ceres,
Prædicentem vera ſuos caſus oda,
Et regum, quos Ili generauit hæres,
Et regiæ Graiam ſenſuræ lampada,
Ac culpantem nymphæ formam Tyndareæ,
Certiſſimam cladem gentis Hectoreæ.

Nunc mihi videor videre Bataui,

Vos

Vos deſtituere lautam voluptatem,
Et opes, quas pij liquerunt Ataui,
Et Cattida nympham flere vaſtitatem,
Quæ paſſus ſiniſtros nigra fixit aui,
Expertis vrbibus hoſtis poteſtatem,
Et paſſim Vulcanum frementem ſerpere,
Et aucta cædibus æquora ſtrepere.

Sic meritum veſtrum. Spreta religio,
Et Agenoriæ deſpecta pietas,
Nunc regi vindices adſunt egregio,
Quem veri cultorem ſera canet ætas,
Et malè reijcit Gorcica regio,
Voſq; Tartareas demittunt ad metas,
Vbi ſua luit delicta Briareus,
Et Typhon, & Gyges, & Mimas, & Tereus.

Ne verò pergite diuos aſpernari,
Nec ad eum modum blandiatur Ate,
In Acherontio generata mari,
Veſtris pectoribus vinctis feritate,
Non decet in reges ita debacchari,
Hoc animum magna notat fœditate,
Quam vix amne ſuo deleat Rhodanus,
Imò veſtri maris rector Oceanus.

Quòd ſi verba detis hæc ferenda Notis,
Breui clades veſtras Elegi lugebunt
Carminibus Cæo fidicini notis,
Et hac excellentes in arte fulgebunt
Vates Belgiacis inſiſtentes rotis,
Et æthera voce cycnæa mulcebunt;
Dyderius culto non impar Tibullo,
Et Valerianus nil cedens Catullo.

Et Blondellus ſolers,& Betencurius,
Et Erricus nomen referens à prato,
Moncæuſque ſagax,& Carpenterius,
Et habitus verè ſuauidicus Plato,
Et Meleſigenes alter Ferrarius,
In ſaltu floribus Parnaſſijs ſtrato;
Tum Paulus nomina reportans à monte,
Qui rigatur claro Caſtalidum fonte.

Et cum Panagio Darultius Simon,
Cumque Iamotio dulcis Rogerius,
Quorum carminibus poſthabeas Samon,
Nec dignus acerba morte Morterius,
Et Hoius,quem magni magnus facit Dæmon,
Quo præſide gaudet vertex Pierius,
Nec non Moſchus vates dulciſſimus ille,
Cui temporis puncto verſus fluunt mille.

Hi ſæpè fuderunt melicos ſonores,
Damnantes ciuium turpem diſcordiam,
Et Acinacium bellicos furores,
Nec rarò laudarunt mitem concordiam,
Et ſpretos Timoni fraternos amores,
Et probatam Chriſto miſericordiam,
Nec vos potuerunt cœptis auertere,
Nec in Thracen Tago iunctos conuertere.

Proh pudor,vincitis duritia Manes,
Hi moti Thraciæ doloribus lyræ
(Licet pœnas crepent,& rotas immanes)
Fleuerunt obliti furialis iræ,
Nec latrarunt collo tricipite canes,
Nec vlulauerunt Auernales Diræ,
Sed ſuos amores vati reddiderunt,
Nec Aganippęas preçes neglexerunt.

Ergò

Ergò propediem pœnas perſoluetis,
Quòd ita diuinos contemnatis vates,
Quorum verſus graues,ac mæſtos manetis,
Fleturos Batauę ruinas Apates,
Et vos cæſos hoſtes publicę quietis,
Et vnà liberos veſtras voluptates;
Hic finis illorum qui Furijs parent,
Et amica paci ratione carent.

At veſtros laudabunt fratres verſu lęto,
Quòd Pertinaciæ caput execrentur,
Nec ſe ſcelerato ſubijciant leto,
Et ciuilis pugnę crimen deteſtentur,
Ac ſtudio dedant animum quieto,
Et pacis tutandas partes arbitrentur,
Atque maieſtati regię faueant,
Et aras ardore thureo foueant.

Illorumque duces tollent ad ſidera,
Strepitante ſono Pindaricæ fidis,
Perpetua famæ donatos hedera,
Quòd regem ſequantur pectoribus fidis,
Et Naſſouiaca reſpuant fœdera,
Et tentent patriam liberare Midis,
Qui Martem Thracijs vocatum finibus,
Ad Belgas aureis traxerunt funibus.

Nam quis non celebret cupido carmine
Heroam virtutem ducis Farneſij?
Dignam Mæoniæ Chelyos ſtamine,
Quam vix ſatis vnquam dicent Amphryſij,
Qui vates excellunt docto certamine,
Nam ſic curat Martis rem Philippeſij,
Vt cogantur hoſtes fateri reuerſum,
Qui gemmis Smyrnęum decorauit verſum.

Et quis prætereat fidem Manſfeldiam?
Et laudes Cröias,& Barlęmontias,
Et Lalaniorum progeniem diam,
Ac magni roboris vires Egmontias,
Et meritos ditem Villanos Lydiam,
Nec pauidas mentes Aquilæmontias,
Tum fortis Bellonæ comites Boſſuos,
Quos etiam vocat Aonia ſuos?

Numerare dicar aſtręos nitores,
Et roſas Pæſtano rubentes nemore,
Si pergam Belgicos referre ductores,
Qui bella Batauo cient in æquore,
Et pacis ſæuiunt in violatores,
Et pugnas inuicto laceſſunt pectore,
Vt numen ferreum relegent ad oras,
Quæ Gradiuo primas ſacrauerunt aras,

Nec laude fraudandi,qui licet horreant
Cum diris cædibus enſem fulmineum,
Nec pugnas furijs accenſas obeant,
Aſſidua tamen prece rogant deum,
Ne ſtrages apud nos amplius floreant,
Quæ tellure flumen fundunt ſanguineum,
Sed pace reddita gentibus Belgicis,
Bellum remittatur finibus Geticis.

Hoc in certamine diuis gratiſſimo,
Quod religioni dulce parit Sebas,
Munere funguntur diligentiſſimo,
Matthæus,cui paret populus Atrebas,
Ciuitate muro cincta fortiſſimo,
Nec non Saracenus Vedaſtius abas,
Sixiuſque gentis Audomaræ rector,

Nobis

Nobis ita carus, vt Troianis Hector.

Quiq; regit gregem Vedaſtus, quem rexit
Victor lethæorum Bertinus enſium,
Dum per terras ſortem mortiferam vexit,
Et Canteleus decus Claromarenſium,
Et quem Calliope nunquam non dilexit,
Manardus gloria Marcianenſium,
Dauræuſq; pijs qui fauet gentibus
Aquicincto carmen luco pangentibus.

Et Lęuinus, quem non fallent Orci Panes,
Atque Vincentius proles Duburia,
Quem Balliolanos hilarat ad amnes
Pijs carminibus fides Taboria,
Monte, quo colitur diuus Ioannes,
Et qui pedum gerit paſtor ad maria,
Quibus opponuntur montes arenoſi,
Arcentes furias ſalis æſtuoſi.

Necnon moderator domus Hameſiæ,
Quam cingit amęnam nemoroſa palus,
Et Samarobrinę caput eccleſiæ,
Cui Cameracia curam demet ſalus,
Ludouicus amor gentis Parnaſſiæ,
Licet hinc gemitum liuor trahat malus,
Et timor luporum, quos gignit Geneua
Dentibus horrendis, ac rabie ſæua.

Et quid à numine precibus negatur?
Preces cornigeri ducis profligarunt,
Quod in Iſacidas genus armabatur,
Et Iudęum caput laurea donarunt:
Ac dum gens miſera fame tentabatur,
Eſuriem larga dape propulſarunt,

Nec ſemel iratum numen placauere,
Fulmenque vibrantis manum ſedauere,

Et Iſraëliæ gentis imperator
Precibus effugit luem mortiferam,
Qua ſuos perdebat cæli dominator,
Quamque ſibi necem properabat feram
Natus nouercalis lecti temerator,
Et Architofelis mentem peſtiferam.
Quin Elias ſuis elicuit votis,
Nunc æſtus, nunc nubes excitatas Notis.

Et deum precibus inductum credimus,
Quarum voce pia ſemper fatigatur,
Fera tranſlaturum bella, quò cupimus,
Ad Hebrum ſcilicet, vbi lex ſeruatur,
Quam fraude ſtygia compoſitam ſcimus,
Et tamen huc illuc impia vagatur,
Et inficit tabe ſua Ciliciam
Cum Barce, nec longè ſpectat Siciliam.

Proh dedecus, Turca noſtras vrbes vrit,
Et ſanguine pio tellurem maculat,
Et in Chriſti legem ſanctiſſimam furit,
Et Mahometanis cantibus vlulat,
Ac vbi terrarum prædam videt, currit,
Et noſtræ virtutis metum diſſimulat;
Nec illi damnoſum Martem meditamur,
Nec in Arabicos furores armamur?

Iam tempus, iam tempus Tonantis ſepulcrum,
Et quam tinxit rupem largis cruoribus,
Iudęoſque lacus, Iordanemque pulcrum,
Terramque Pharijs ſparſam liquoribus,
Et aureum menſę Byzantidos fulcrum,

Et

Et ſaltus Actæis pulſos canoribus,
Eripere ſæuo Scytharum generi,
Et Cyrrham barbaro negare vomeri.

Nec eſt ęquum Chriſti lege poſthabita,
Quæ prodijt ſinu diuini numinis,
Tot Araba gentes errare ſemita,
Sectantes peſſimi volucres ominis:
Nam ſibi Tartara videbit hoſpita,
Quiſquis probat fœdi fabulas hominis,
Quem Cerberigenæ cruciant Furiæ
Igne ſulfureo noctis Cimmeriæ.

An ſemper illudet proles Abdarica
Cruci,mortalium dignæ carminibus?
Quam canit etiam cohors Olympica,
Nullis obnoxia mentis criminibus?
Nec meta carebit tyrannis Turcica,
Mergenda Lethęis Orci fluminibus,
Nec relinquet Dircen,nec pelagus Maurum,
Nec diues Pactoli rutilantis aurum?

Impune regibus exprobrabit noſtris
(In riſum conuerſa,velim Sardonium)
Motus Ionios nitentibus oſtris,
Et cum blandis luxum talis Sicanium,
Ac in Cytheręis laſciuiam roſtris,
Cumque metu pectus Endymionium?
Non non , tandem manus ſentiet Getica,
Num Galli careant virtute bellica.

Et renatos cernet Pipinidas magnos,
Et Bulloniadûm viuidos impetus,
In barbarum lupos,at in ciues agnos,
Quos in fugam turpem nunquam vertit metus,

Nec

Nec à cęptis aufert pulcerrimis ocnos,
Et triumphus manet animoſos lætus:
Hi frangent ſpiritum ſobolis Turcicæ,
Et ad iuga rupis repellent Scythicę.

Et ſectam ſæuient in Alcoranida,
Chriſtumque delubris inducent omnibus,
Et implebunt pſalmis vrbem Sionida,
Et templa negabunt falſis numinibus,
Quæ ſatis tellurem luſerunt Aſida,
Et fucos fecerunt ſtultis hominibus,
Hanc lucem quamprimum prouocet æquore,
Titan purpureo pulcerrimus ore.

SIMO-

SIMONIS OGERII
ODARVM
LIBRI TRES.

AD LÆVINVM TORRENTIVM EPISCOP. ANTVERPIENSEM.

ILLE qui vocauit ſtultum Phormionem
Ingreſſum ſe coram de bello ſermonem,
Stultus erat, vera carens ratione,
Et excluſus bonę mentis ſtatione.
Quippè philoſophus ea diſſerebat,
Quæ bellaci viro grata cognoſcebat.
An indignabitur Phœbe, ſi celebrem
Carminibus artem venandi celebrem,
Et ſibi Gallicos offeram catulos,
Qui lepores vexent per ſaltus patulos?
Et Phębus viridem reijciet laurum,
Hederam Lyæus, fuluum Plutus aurum?
Oceanus aquas, meſſem flaua Ceres,
Fulgentes clypeos bellici proceres?
Et pœna Cupido perſequetur illas,
Quæ Paphiæ matri dicarunt armillas?
Et Thalia toruo ſpectabit lumine,
Qui ſe donauerunt blanda teſtudine?
Et aſpernabitur Pan fiſtulę ſonos,
Quibus celebretur paſtorius honos?
Et Pallas vt ſuos violabit hoſtes,
Qui tegunt olea Munichios poſtes?
Haud cenſeo, nec tu cenſebis Lęuine,
Nec me reprehendes poëta diuine,

Quòd

Quòd tibi præſentes dicauerim verſus,
Nec dices, quid portas Cecropiam verſus
Vlulas, & cycnos ad Cayſtri vadum,
Et Phaëthontias arbores ad Padum?
Quanquam confiteor conuenire tibi,
Quale Maro vellet mitti donum ſibi.
Sed boni conſules pro tuo candore
Hęc carmina, meo contexta labore;
Dum gaudeo ſaluos retuliſſe pedes
Ab vrbe reuerſus, Morinas ad ſedes;
Vbi pax nunc caput oſtendit aureum,
Quæ ſuperet velim furorem ferreum
Martis, per alios bacchantis populos
Belgarum, frequentes ſtruentum tumulos.
Quem reddant vtinam Chriſtiani reges
Turcis, Arabicas colentibus leges.
Vt liceat Muſis choros agitare
Ad Tabudam flumen, & Batauum mare,
Et amnis Theſſali nobile lauretum,
Et pulchrum Dircęę ſobolis viretum,
Vt licet ad Lyſam, Sitioſque fontes,
Et amæniſſimos Hannonię montes,
Ac virides ſaltus, quos fert Italia,
Quam mihi doleo mutatam Gallia.

SIMO-

SIMONIS OGERII ODARVM

LIBER PRIMVS.

Ode I.

AD NICOLAVM CAETANVM CARD. SERMONET.

ARteſiam decem poſt decembres tango
Nicolae, Deo tandem permittente,
Et Thuſco ſeiunctus amne libens tingo
Arida fluuio guttura præſente.

Et auidas manus immitto floribus,
Quos picto patrius ſolo fundit ager,
Et innecto meis ſerta temporibus,
Nullis quæ lacerent pectus curis æger.

Et oſcula terræ do tot Apaſię,
Vberrimos fundens fletus prę gaudio,
Quot Vlyſſes caræ dedit Dulichiæ,
Tandem Neptunio defunctus odio.

Iam cantans, & longi ſecurus laboris,
Feror ad veterum Penates auorum,
Relictis à tergo fertilibus oris,
Quæ ſub imperio ſunt Ambianorum.

Mox aurea cernam templa, quæ tuentur
Vedaſtus, & pater vrbis Audomarus,
Quorum conditores carmina merentur,
Qualia ſub Aſcra cecinit Pindarus.

Et cum Cröiade videbo Sixium,
Et Bornouillium cum Medullartio,

Illuſtres

Illuſtres ſuorum clypeos ciuium,
Tot annis tumultu bacchante Martio.

Et cernam parentes, & conſanguineos,
Et amicitia qui nunquam labuntur,
Qui iamiam ruentes in amplexus meos,
Reditum fælicem congratulabuntur.

AD NYMPHAS AVDOMARENAS.

Ode 2.

SAluete Nympharum chori celebrantes
Saltus Ruholios,
Et Michaëlios,
Et celeris Aæ ripas viridantes;

Colleſque Morinos, & vrbem Sitiam,
Quæ nunc mutat nomen,
Eo quod fert numen,
Cui natalem ferunt vallem Conſtantiam.

Facite redeam fęlix à finibus,
Quos olim tenuit,
Qui Turnum domuit,
Relictis Phrygię claris fluminibus.

Nec hîc inueniam belli diram facem,
Nec rixas, nec lites,
Curæ ſatellites,
Sed Dicen, & muſas, & auream pacem.

AD AAM.

Ode 3.

LÆtor Aa tuos cum video fluctus
Cycnis abundare,

Et te iuxta, nymphas neſcientes luctus
Choros agitare.

Morinosque ſequi pacificas artes,
Et odiſſe bella,
Quæ per omnes fortis Artheſiæ partes,
Sua carent ſella.

Sit hoc perpetuum, nec poſt hac audiam
Tubarum mugitus,
Turbantes Camænas, & Irenen diam,
Apud noſtrum litus.

AD ALEXANDRVM FARNESIVM CARD.
Ode 4.

HEros purpurea decorate palla,
Quo memore ſui, terriſque degente,
Nunquam Pieria veſte gemet pulla;
Nec Chloris recedet à Dircæa gente.

Cùm Latium nuper relinquerem cælum,
Vberes oculis fletus emittebam,
Et tamen patriæ lætabile ſolum,
Cunctis expetendum votis repetebam.

Scilicet febribus vexabantur malis,
Nec procul mortali parentes limine,
Vndequaque furuis cingebantur alis,
Modò non priuati vitali lumine.

Et oppreſſa diro patria tumultu,
Mauorte cædibus gaudente lugebat,
Et flebili rore madefacto vultu,
Mæſta triſti pugno pectora plangebat.

Nunc pater & mater cœleſti munere
Dolore leuantur,& rectius valent,
Diſtantque longius à nigro funere,
Nec amplius febre peſtilenti calent.

Patriamque fratris optimi filius
Odioſa belli liberauit cura,
Vt factis omnino diuinis illius
Optata quiete fruatur ſecura.

Gaudiis perfundor,cùm video boues
Vmbrifera tutos per arua vagari,
Et carpere lætas molle gramen oues,
Ac terras nitido vomere ſulcari.

Morinosque meos teneri ſtudio
Tuendi Romanæ ritus eccleſiæ,
Et flagrare magno ſobolis odio,
Quam mulcet Echidnæ vox Lemaneſiæ.

Et gaudeo Pindi nymphas pulcerrimi
Pollicibus chordas pulſare canoras,
Et expulſa nube metus acerrimi,
Noſtras hilarare carminibus oras:

Et cogi crudelem filium Iunonis,
Redire feroces ad populos Thracum,
Et barbaras voces impij Timonis,
Et ſcelerum caput abducere ſecum.

Hæc accepta viro bona referantur,
Quem fortia Belgæ bella ſuſcitantes,
Vt Alexicacon heroã mirantur,
Quo Thebis genito lætantur Hyantes.

Sed etiam tibi gratias agemus,
Necnon Octauio fratri clariſſimo,
Dum Phœbææ lucis vſuram carpemus,
Sidere fruentes longè puriſſimo.

Licet enim princeps inſignis natura
Cunctis decoretur abundè dotibus,
Nec egeat vlla doctrinæ cultura,
Nec piis ab vngue tenero cotibus.

Tamen tum ſuorum cura, tum litteris
Auxit magnanimæ virtutis ſtudium,
Vt excultus ager opera vomeris
Multò præſtantius facit officium.

Iamque penetrauit ad ſummum cacumen
Laudis, & honoris, atque prudentiæ,
Eſtque Belgiacæ virtutis acumen,
Et bellicæ prorſus lex ſapientiæ.

Quare petunt omnes vnis clamoribus,
Vt nunquam non flores hîc Hyacinthorum
Cærulis amicti cæli coloribus,
Texant Eunomiæ rutilantem thorum.

Et ſemper optato nutriantur rore,
Nec acuti ſolis pertimeſcant horas,
Et blando Zephyri mulceantur ore,
Nec ſæui Boreæ perſentiant iras.

AD DIVOS VEDASTVM ET AVDOMARVM.

Ode 5.

IVlius Morinas gentes attribuit
Comio, cui fortis Atrebas parebat,
Et duos regere populos voluit,
Quem rebus amicum Romanis credebat.

Et nunc Artheſia nymphe pulcerrima
Vtrumque retinet, vt olim, populum,
Et pectora ſimul iungit acerrima,
Cùm tuba Martium canit periculum.

Audomarus quondam docuit Morinos
Chriſtianas artes, & procul abegit
Ab ouili ſuo Tartari dominos,
Et ad Erebæos furores adegit.

Atrebates autem monuit Vedaſtus,
Vt colerent gratam Deo pietatem,
Et Acherontios formidarent aſtus,
Qui nobis componunt infœlicitatem.

Onus Vedaſtium fert Medullartius,
Audomari ſede Sixius locatur,
Vterque doctrina fulgens, & Martius,
Cùm Lycaonibus ouile tentatur.

O diui qui nobis cæcis pectoribus
Salutare quondam lumen attuliſtis,
Date ſemper veſtris vim ſucceſſoribus
Aptam prodigiis expellendis iſtis.

AD MAXIMILIANVM BALLIOLVM SANCTI MARTINI DOMINVM.

Ode 6.

REx magnus,qui vicit rectorem Perſarum,
Et ſibi ſubiecit fortiſſimum ducem
Eorum, qui ſpectant Nabathæam lucem,
Iliada fecit comitem pugnarum.

Et clades ſobolis Tyriæ Scipio,
Qui præliis victum fudit Hannibalem,
Quem Carthago virum genuerat talem,
Xenophonta fouit ſinu ſemper pio.

Mereris ideò laudem Pieriam,
Quòd hunc ames ita Poëtam regium,
Quem Muſæi vocant Genij filium,
Et illi coniungas apem Cecropiam.

Nullos enim puto,ſi roger,autores
Eſſe duci magis his neceſſarios,
Quoties conflictus tentant Mauortios,
Et dextræ requirunt vincentis honores.

Gratulor populo fortis Artheſiæ,
Quòd olim ductorem ſit viſuros magnum
Bellicis artibus MAXIMILIANVM,
Et miti doctrina gentis Delphuſiæ.

Pallas magni Iouis ſapiens filia,
Vim ſtolidi Martis ſtrauit furibundam,
Iuxta Dardanij Simoëntis vndam,
Vt ſternit tenera Boreas folia.

AD VALERIANVM FLOSSIVM.
Ode 7.

CVm ſcribit Attico literas Tullius,
Verba ſua multo nectit ænigmate,
Et inuoluit ea Pelaſgo dogmate,
Ne ſenſus attingant mortalis vllius:

Niſi Pomponij ſagacis hominis,
Aſſequentis ea quæ vellet Cicero,
Si non ita mente prompta, tamen ſerò,
Licet inſtar eſſent Cumæi carminis.

Nec ſemel barbaras optauit loquelas,
Tum ſibi, tum ſuis, vel linguam Germani,
Vel voces acceptas vocibus Hiſpani,
Nec aliis ſuo notas filo telas.

Nam tabellariis demuntur literæ,
Ac miſſæ ſæpius voces perleguntur,
Luminibus iis, quibus non panguntur,
Et arcanis aues occurrunt miſeræ.

Sic ego te vellem didiciſſe verba
Vna mecum Floſſi, vel gentis Scythicæ,
Vel quibus cateruæ gaudent Illyricæ,
Vel populus Maura qui iacet in herba.

Mens eſt tibi quædam ſoli concredere,
Et interceptores metuo ſeueros,
Mea ſententia Buſirides veros;
Nec eſt tutum chartæ facili fidere.

Propterea tuam quæro præſentiam,
Et oculos vellem tuos oſculari,
Atque Feuinias muſas amplexari,

Tui

Tui fero longam nimis abſentiam.

Nam quatuor luſtra curſus peregerunt,
Cùm Louaniacis alacres in oris,
Operam dabamus fidibus canoris,
Et viris,qui ſacras leges pepigerunt.

Ex illo,nec vnquam tu me ſpectauiſti,
Nec ego te,multis amandum de cauſis,
Vt ad laudis opus præſtantibus auſis,
Quam cunctis præ rebus ſemper optauiſti.

Erit gratum mihi tecum ferre greſſus,
Atque tibi meos æſtus aperire,
Et per te ſolamen mali reperire,
Ac verè Phœbæos excipere verſus.

AD IOANNEM OGERIVM.

Ode 8.

Natus cognominis tibi,qui petiit
Italicis nuper oris,ac deſiit
Viuere nobiſcum, nubila tranſiit,
Et tenet nitidas ſideribus ſedes:
Mors tamen hæc acrem reliquit dolorem
Nobis,ô cognate,qui præſtas honorem
Debitum Camænis,diligens ſonorem,
Quem citharæ fundunt Clarias per ædes.

Amabilis erat ſua pietate,
Et integerrima morum puritate,
Ac in rectum ſumma mentis pronitate,
Et auctus doctrina minimè vulgari.
Ter mecum ver vidit Romanis mœnibus,
Nec vnquam ſcriptorem ponebat manibus,
Qui ſuæ noluit lyræ carminibus
Æaciden laudis expertem vagari.

Si quid mei poſſunt verſus, cantabitur
Hic quoque, dũ Tybris Romæ ſpectabitur,
Nec obſcuræ laudis equo portabitur
Eius eximia probitas per orbem.
Non potui funus abſens decorare,
Nec mæſtis imbribus ſepulcra rigare,
Quod potero, famæ nomen nitar dare,
Pimplæus lethæam labor fallit vrbem.

Ad Antenorem Iuliarium, Ode 9.

Equus Alexandri, regis fortiſſimi
Inſignis capite taurino fremebat,
At equus Cæſaris ducis mitiſſimi,
Quod eſt mirum, pedes humanos gerebat.

Hoc ſignificabat boues domiturum
Regem, qui regebat fines Æmathios;
At viros pugnaces ſibi ſubditurum
Ducem, qui ducebat ordines Latios.

Nam Perſidæ corpus habent luxu molle,
Nec plus cornigeri quàm boues ſapiunt,
Qui graues feruntur corporea mole,
Nec auribus voces mentis excipiunt.

At animos Galli Martiales habent,
Nec Apicianis fractos deliciis,
Nec ſe deridendos voluptati præbent,
Nec ineptiſſimis linguæ deliriis.

Propterea tantò laudes ſunt minores
Illius, quàm ducis huius æſtimandæ,
Quantò ſunt virtutes animi maiores,
Quàm bruti corporis vires iudicandæ.

AD

Ad Martinvm Ogerivm.
Ode 10.

CVr Delius albo delectetur cygno,
Nullis ſermonibus miraris Martine,
In Aganippæas artes matutine,
Alite ſcilicet ſua luce digno.

Sed ſubit mirari cur Pæan ſplendidus
Oblectetur ſacro ſimul ſibi coruo,
Qui plumis, ac roſtro nigerrimus curuo,
Nulla reperitur in parte candidus.

Nec turbæ dignaris ſapientis albo,
Qui talem Cynthio volucrem dederunt,
Nec quod vel Hypſæa videat, viderunt,
Non eſſe piceum conueniens albo.

Hoc finxerunt vates à Camænis docti
In monte, qui ſanctas vmbrat lauro nymphas,
Et Heliconias iaculatur lymphas,
Non fruſtrà prudentes, nec ſolertes dicti.

Vt vtrumque lucis, atque noctis tempus,
Solita carminis arte denotarent,
Quod vt fictione pulcra demonſtrarent,
His erat auibus contrariis opus.

Nam cùm Gangetica relinquit æquota,
Argenteo cinctus lumine naſcitur,
Et vt olor albus Titan conſpicitur,
Ac lucidiſſima mundo pandit ora.

At cùm Gaditani maris oram tangit,
Somnifero vectam curru noctem profert,
Quæ tunc Heſperiis alas vndis effert,
Quas corui nigrore Memnonio tingit.

AD VALERIANVM FLOSSIVM,
Ode II.

TVas expectamus auidè literas,
Et miror,ne verbo quidem reſcripſiſſe,
Nec tui ſodalis voto reſpondiſſe,
Quod credimus,forſan occupatus eras,

Nam ſcio te multis ſemper negotiis,
Et pariter magnis,& ſeriis trahi,
Et curru,quo nolles, ſæpiſſimè vehi,
Nec operam dulcem blandis das otiis,

Vel fieri poteſt,vt tabellarius,
Litteras non meas ad te pertulerit,
Nec oſtium tuæ domus pepulerit,
Tardipes,& ſegnis,vt clitellarius,

Nam res nulla dici ſolebat ſuauior,
Quàm tibi cùm tuis ſermonem perſequi,
Et ſcriptis abſentes amicos alloqui,
Erat melle dulci dulcedo dulcior.

AD PETRVM MORINVM.
Ode 12.

MOrine, qui doctas nouiſti Camænas,
Et quæ colunt lucos rupis Sioniæ,
Et quæ Palladias celebrant Athenas,
Amænosque ſaltus gentis Auſoniæ:

Morinos inueni meos in otio
Pïeridas toto pectore colentes,
Nec vlli deditos Martis negotio,
Sed inter ſe pium fœdus exercentes.

Lætor occurriſſe mihi fœlix omen

Ab

Ab vrbe reuerſo patrios ad lares,
Nam cum Muſis amo Concordiæ nomen,
Et facio rixas Erynnibus pares.

AD NEPTVNVM.
Ode 13.

ECce ſternit mare
Nereïdum pater,
Nec Cæcias ater
Vetat nauigare.

Nil accuſant ventos
Veliuolæ naues,
Sed peſſimas aues,
Piratas cruentos.

Hi prohibent ſoli
Ne viſam Britannos,
Optatam tot annos
Pulcri terram ſoli.

Accipe tridentem
Palladis patrue,
Et turbam deſtrue
Rapinis furentem.

AD LÆVINVM TORRENTIVM EPISCOP. ANTVERPIEN.

Ode 14.

SEu me purpureo Scaldis trahet ore,
Seu Dirces æmulum Louanij flumen,
Cayſtrum niueo ſuperans olore,
Dignumque tenere ſtellatum cacumen,

Seu liquidiſſima palus Audomari,
Et ſemper diſtincta floribus gramina,
Seu Dunkerka magno verberata mari,
Rurisve Paulani montana numina.

Qualicunque poſſum te dicam carmine,
Præſul facundia verè Tulliana,
Et ſacrarum docto fidium ſtamine,
Contendens Camæna cum Virgiliana;

Et ita diligens homines Cyrrhæos,
Vt mater vnicum diligit filium,
Nec olores vnquam permittés Smyrnęos
Canere fruſtratos fontibus Ilium.

Sed me Mauortij ſollicitant tali,
Et gratis auertunt ſiluarum latebris,
Nec pace repulſa Belgæ ceſſant ali
Dape, Tartareis mergenda tenebris.

Hinc vrbs fauens Celtis, & Andino duci,
Cameracum profert inimicos vultus,
Hinc quà viridantes Cattos tegunt luci,
Inſtat terribilis Mars, & timor multus.

Nam quamuis paululum iam reſpirauerit,
Martio patria tumultu libera,
Nec amplius tubæ ſonum ſperauerit,
Mirificè tamen fallitur miſera.

Sic qui littoribus viderat abire
Vaſtos Oceani fluctus, rurſum videt
Vndantes cumulos ad littus redire,
Quod iam non, vt prius, concha pictum ridet.

SIMONIS OGERII

ODARVM

LIBER SECVNDVS,

AD MATTHÆVM MEDVLLARTIVM EPISCOPVM ATREBAT.

Ode I.

ITALIAM ſi quis confidat dicere
Pro meritis eius ſe poſſe laudibus,
Ore ſtulto ſuccos cogendus ducere,
Qui ſe maniacis opponunt fraudibus.

Sed ſi verſu pio, nec ingrato dicam
Optimè meritam de me regionem,
Ne liuor in caput meum vibret dicam,
Quæ confidentiæ ducit legionem.

Duo luſtra tellus longè dulciſſima
Suauiter me ſuo nutriit vbere,
Dum fugio bella truculentiſſima,
Quibus ciues gaudent ciuium verbere.

Scit Atheſis, ſciunt Albulæ ſodales,
Quanta charitate me ſint amplexati
Ampliſſimi duo viri Cardinales,
Cùm me familia ſunt ſua dignati.

Ille Valerius, at eſt dictus alter
Nicolaus, vrbe potens Sermoneta,
Docta pietate deſtitutus neuter,
Grata cœlicolûm domino moneta.

Sepè legi verna tempeſtate flores,
(Ver Italæ genti datur perpetuum)

Nec

Nec timui ſæuas Nerienis glores,
Nec diros ſtrepitus hauſi tumultuum.

Nec raro pulſaui plectro teſtudinem
Colle clariſſimis rigato fontibus,
Phœbæam videre viſus imaginem
Mihi Caſtaliis adeſſe montibus.

At nunc huc reuerſus aue nigerrima,
Enopes audio Martiæ clamores,
Hortantis ad bella Belgas teterrima,
Ac video terra manare cruores.

Quare iam ſtudia Bellonæ ferrea
(Si mihi per feros licebit milites)
Effugiam, vel per terras, vel Nerea,
Et tritos Latio repetam limites.

Intereà dum me tenebit Gallia,
Experiar tuas laudes memorando
Decipere, pacis mater Italia,
Curas Belgis ortas à Marte nefando.

AD ANTONIVM BLONDELLVM CVINCIORVM BARONEM.

Ode 2.

BLondelle, cum multis aliis gentibus
Auſoniæ pulcros fines adiiſti,
Et vtrumque littus naue petiiſti,
Vt Vlyſſes doctis inſignis artibus.

Quare ſi videar has gentes laudare,
Quas mirè Genius amat opulentus,

Teſtis

Teſtis eris heros doctè luculentus,
Me non veritate lectorem fraudare.

Cælum blandiſſimis hîc mulcetur auris,
Nec mortales artus cruciat frigore,
Nec hyemis albo debacchatur ore,
Et nunquam,vel rarò pulſum mugit Cauris.

Vel menſe Decembri rubent roſaria,
Et fulgent Cyani pulcro flore cincti,
Ac Phœbo dilecti ſurgunt Hyacinthi,
Et carmina feruent per auiaria.

Adſunt amnes,lacus,paludes,ac fontes,
Et maria blandis plena Delphinibus,
Et referta doctis antra Sirenibus,
Cumque ſiluis ſaltus,& colles, & montes.

Et ſpicis & vuis abundant hæc arua,
Nec deſtituuntur variis apibus,
Quæ fauos onerent mellitis opibus,
Nec hîc poma deſunt, nec deeſt Minerua.

Et niuis æmulum vellus habent oues,
Et lætos armenta per campos paſcuntur,
Nec multo virores dente compeſcuntur,
Et Pales opimos admiratur boues.

Hîc Petri ſucceſſor binas claues gerit,
Quas illi donauit rex magnus Superûm,
Qui pro nobis funus pertulit aſperum,
Et iſtis æthera claudit,vel aperit.

Nulla piam gentem turbant diſſidia,
Hæreſis impura lues procul abeſt,

Nec bene cordatis hominibus obeſt,
Et hîc floret quies,& Erato dia.

Sed meis auſcultans familiaribus,
Cùm finibus hiſce iucundè fruerer,
Et Martialibus curis eximerer,
Redeo,reddorque patriis Laribus.

Aſt non ferens ſonos tubę,nec tympana,
Vellem reuiſere Venetos inſignes,
Et qui templis lucent Vaticanis ignes,
Et ibi colere veridicum Pana.

Sed,prò dolor,greſſum latrones morantur,
Nec ſiluas cruenta deſerit Mania,
Et intercluditur iter ad mœnia,
Quæ ſtructa Romulo mortales mirantur.

AD MARCVM ANTONIVM MVRETVM.

Ode 3.

OMnium naſcitur rerum ſatietas,
Magiſtratus,lyræ,cantus, conuiuij,
Somni,Cythereæ,luſus,tripudij,
Quibus aliquando noſtra gaudet ætas.

Belgæ tamen nunquam deſerunt Bellonam,
Quæ dux atque comes impio ſceleri,
Huc & illuc curru rapitur celeri,
Sed omnibus horis ſequuntur,vt bonam.

Cuncta Vulcaniis implentur hîc flammis,
Atque fulmineo telorum fulgore,
Ac acerbiſſimo morborum furore,
Et obſceniſſimæ palloribus famis.

Quare Romuleas deſidero ſedes,
Et frequenti voce me voco dementem,
Nec bonam video coluiſſe mentem,
Cùm reliqui Pacis Saturnias ædes.

Nec longius quicquam me videre puto,
Murete gloria telluris Gallicæ,
Nec parua voluptas gentis Italicæ,
Quàm diem Matutæ rubefactum luto.

Quo ſpectare mihi detur Vaticanum,
Vbi ſæpè dulcis inſtar Ciceronis,
Quò vis moues corda lætæ concionis,
Non indoctam ſolùm,ſed peritam manum.

Ad Petrvm Caetanvm Sermonetanorvm Principem.

Ode 4.

Heros tu,quod laudo, maxima cum laude
Tueris Belgicæ pietatis iura,
Nulla feri Martis territus figura,
Nec hoſtis perfidi peſtifera fraude.

Aſt ego teneris ab annis colui
Camænas,& Dircen,& fides,& plectrum,
Nec ſæuæ probaui Nerienis ſceptrum,
Sed omni tempore tumultus horrui.

Ideò non fauſta ſede derelicta,
Quæ me iam quatuor detinuit menſes,
Si poſſum fugiam ſceleratos enſes,
Et flagitioſa Mauortis delicta.

Regnaque reuiſam fauentibus diis,
Quæ tenuit olim falcifer Saturnus,

Et qui bella geſſit cum Troianis Turnus,
Vbi pax colitur procul diſſidiis.

AD MARCVM ANTONIVM LAFRANCVM.
Ode 5.

IMpia bellorum triſtium rabies
Adhuc progeniem Belgicam detinet,
Nec Thracio monti,nec regnis imminet,
Quæ Mahometana colit barbaries.

O tempora! tauros poſtulant hæc arua,
Et curuos vomeres,& manus ruſticas,
Et villulæ flammas queruntur hoſticas,
Cum tectis quæ diues extruxit caterua.

Tubarumque ſono pecudes turbantur,
Et pro lupis bella,gladiosque pauent,
Et tutis ſe fruſtrà tegi caulis auent,
Nam cum paſtoribus paſſim iugulantur.

Et terra roribus ſanguineis rubet,
Quos ſpargunt excita furiis prælia,
Quæ vitat,vt peſtem, ſoboles Delia,
Et quiſquis Camænas duces ſequi iubet.

Batauicæ gentes in nos ſollicitant
Omnibus ſtudiis Britannos virides,
Nec nos perturbare ceſſant Eumenides,
Et quæcunque nobis obſunt excogitant.

Quare primo quoque tempore decreui
Ad prata reuerti Marce Tyberina,
Quæ Romana videt vrbs latè regina,
Perpetui digna præconiis æui.

Illic Pieridum turba dulcis floret,
Et lyræ iucunda percurrit ſtamina,
Et auribus grata reſonat carmina,
Nec cæde gaudentis tela Martis horret.

AD CAMILLVM CAETANVM.

Ode 6.

O Quando Circæis licebit collibus
Moly perquirere foliis candidum,
Quod vicinum tectis amore mollibus,
Creſcere teſtatur carmen haud languidum.

Vel apud Pontinas paludes errare,
Vel apud Vfentis clariſſimos fontes,
Et oculo metus neſcio luſtrare
Veſtitos olea Sermonetæ montes.

Et his è ſpeculis æquora mirari,
Quæ capiunt in ſe Pelagus Tyrrhenum,
Et volucrum pennis audire pulſari
Campum Neptunij littoris amœnum.

Aut ſpectare lacus ad mœnia Nymphæ,
Natari piſcium denſis agminibus,
Qui tecti nitidæ ſplendoribus lymphæ,
Progeniem latis propagant amnibus.

Aut dicere gratis Syluano numeris,
Carmina Smyrnæa, vel Virgiliana,
Vel iugis Ciſternæ ſemper floriferis,
Vel lucis, querceta per Tyberiana.

Et pollice læto lyram percurrere
Leuantem grauibus mentem moleſtiis,

Quæ mergunt mortales acerbo funere,
Et præcanos leti premunt anguſtiis.

Nec Camille muſis amice geſtio
Sine cauſa veſtros lares contingere,
Et ita cupido pectore cupio
Habitata Belgis arua relinquere.

Nam Phœbææ genti gratiſſima quies
Pati moras neſcit hac in regione,
Et Iunonis ſæua bello progenies
Nimiùm Gallica gaudet legione.

Cumque putes malas abceſſiſſe rixas,
In Belgium tamen paulò pòſt redeunt,
Et mouere pennas apud Gallos fixas
In aſperam Thracen omnino nequeunt.

Nosque ludunt, velut ſceleratus imber,
Qui ſolis paululùm conceſſit radiis,
Mox redit ingratus, vt Romanis Cimber,
Et cœlum nimboſis afficit tædiis.

AD FEDERICVM CERVTVM.
Ode 7.

O Quantus me dolor exercet amice,
Regna quòd Italæ telluris liquerim,
His etenim terris nil eſt Federice,
Quod gratum pectori meo vocauerim.

Italis finibus pax aurea floret,
Aſſiduis lyrę plectris impelluntur,
Baccho gratis menſa crateribus horret,
Et acerbi luctus Falerno falluntur.

Et certas Camænæ ſibi legunt ſedes,
Nec nemora cædi Phœbæïa vident,
Et huc illuc vagos tutę ferunt pedes,
Ac regna timoris vacua poſſident.

Aſt hîc Eumenidum greges errant torui,
Tympana tunduntur,placent Phylopides,
In cædes properant milites proterui,
Et vrunt oppida,camposq́ue virides.

Ac nimiùm ferox Deus Thracum ſæuit,
Syluas enim Muſis excidit amatas,
Et vbique manu ſanguinea ſeuit,
Quas ſcit bellis aptas,& ſpinis hamatas.

Quapropter quamprimùm cupio redire,
Veſtrisq́ue perfrui commodis,ac bonis,
Et apud Atheſin Naïadas audire,
Quæ me ſuauiſſimis demulceant ſonis.

Deus prohibeat enſes truculentos
Eorum,qui vias vagantur per omnes,
Non vnum,ſed orcos meriti trecentos,
Nam mactant,quos vident, per terras, & amnes.

Aut mihi concedat volatum Dædali,
Vel trucis Medææ currus citiſſimos,
Vt deferri poſsim ſupra fluctus ſali,
Et Gallorum ſupra montes altiſsimos.

AD AVGVSTINVM IVSTVM COMITEM.

Ode 8.

SÆpè me patruus duxit Antonius
Auguſtine tuus,ad Academiam,
Quæ verè vocanda vertex Aonius,

Nec ita vocando lædemus Thaliam.

Hæc eſt laurigeris poſita collibus,
Vnde poteſt tota ſpectari Verona,
Vrbs diues, & campis mirè fertilibus,
Nec Aganippæa fraudata corona.

Ibi lyræ ſtrepunt, & chori vagantur,
Quales ad liquidum Caſtaliæ fontem,
Nec ſeditionis crimina bacchantur,
Nec tympana cogunt militiam ſontem.

O quis mihi Deus aptas nunc det alas,
Vt ſiſtam me iugo Camænis dicato,
Et ſic Eumenidas effugiam malas,
Ac bellum quod nunquam collaudaret Cato.

AD TYBERIM.
Ode 9.

TYbri pater decus fluuiorum, quare
Vnquam pedem moui tuis è finibus,
Vt ſanguine terram viderem natare,
Et cædem miſceri vaſtis fluminibus?

Vrbesque Vulcano furente cremari,
Et Belgicas nurus crines lacerare,
Tubęque vocibus enſes animari,
Et ſcelerum vultus varios errare?

At dum tuas fęlix ripas habitabam,
Vbi Caëtanos alluis Penates,
Aure mea lætos cantus vſurpabam,
Quales cycni fundunt, & Grynæi Vates.

Et tua ſolebam per prata vagari,

Quæ diuerſis nitent picta coloribus,
Vbi nunquam ſinis Sirium bacchari,
Nec ſuis priuare Chlorin honoribus.

Nunc video quantis exciderim bonis,
Cùm præſentes cerno Bellonæ furores,
Et me veriſſimis Glaucum voco ſonis,
Qui ferro mutauit aureos fulgores.

AD RHENVM.
Ode 10.

RHene,qui paruulis ſecas fluminibus
Bononios fines,& vrbem Felſinam,
Rhenus ille magnus gauderet vtinam,
Quibus gaudes lætis conditionibus.

Non ſeſe doleret ſanguine pollutum,
Nec de Vulcanio quereretur igne,
A quo damnum capit ſua gens inſigne,
Quæ pingue Batauo pede terit lutum.

Tu recipis doctas cum Phœbo Camænas,
Atque delectaris teſtudine dia,
Et caput olea tegis Palladia,
Nec tibi probatur Mauortia Mænas.

AD ALMONEM.
Ode 11.

ALmo tui fontes dicuntur amari,
Sed hos dulciſſimis præponerem vinis,
Quæ creſcunt Batauo non procul à mari,
Nam te Mauors nullis ſollicitat minis.

Nec tua polluit æquora ſanguine,
Nec cædit nemora,nec tecta ſuccendit,

Nec rura perſonat rigido carmine,
Quod ægros mortales ad pugnas accendit.

AD TYBVR.
Ode 12.

NOn te conſpicio Tybur Argolicum,
Vt cùm frequentabam Palatinos montes,
Et Farneſiorum larem magnificum,
Vbi pulcros rigant hortos clari fontes.

Nihil tibi deeſt, montibus poneris,
Habes planitiem, Liberum, Pallada,
Flumen, Chlorin, Poma, cum meſſe Cereris,
Et acceptam Muſis Appulam Mænada.

Si te temporibus hiſce perluſtrarem,
Non lacrymæ meis defluerent genis,
Nec tumultuoſos fines celebrarem,
Nec Martialibus exciperer cœnis.

AD SORACTE.
Ode 13.

SOracte texiſti ſanctum Pontificem,
Tunc cùm Chriſtianos Romani vexabant,
Et morte cruenta dignos iudicabant,
Quòd Chriſtum dicerent orbis opificem.

Vtinam nunc tuo ſpatiarer monte,
Quem niue candidum rarò ſum miratus,
Non vnum per annum Latio moratus,
Ad amnes inclytos Angelico ponte.

Si per Sylueſtrios ſaltus ambularem,
Non ego mirarer mæſtis luminibus
Sanguinem permiſtum noſtris fluminibus,
Et vaſtatum flamma Pleumoſium larem.

AD FRANCISCVM PETRARCAM.

Ode 14.

TVæ caſum Lauræ luxiſti Petrarca,
Apud Euganeos Venetiæ montes,
Et virides ſaltus,& nitidos fontes,
In vico,cui nomen imponitur Arca.
Hanc in Volcis fera rapuerat Parca,
Et Elyſiacos traduxerat pontes,
Vbi núquam Laurus Vmbras vmbrat ſontes,
Nec thronos exorat fulua Midis arca.
Aſt ego non procul ab Arca lugeo
Ad rapidum murmur Agnionę pacem,
Cum Camænis terra pulſam Belgiaca,
Quoquouerſus verſo Biſtonidum Deo,
Atque mortiferam iaculante facem,
Accenſam de flamma Phlegethontiaca.

AD ERIDANVM.

Ode 15.

ERidane fælix eſt dicendus ille,
Quem vides ad tuos fluctus ambulantem,
Et carmina voce dulci modulantem,
Ac ſolutum curis,quæ nos agunt mille.
Hunc nec enſis terret,nec terret haſtile,
Cernentem Gradiuum pręliis aſtantem,
Et flammis,& ferro Belgium vaſtantem,
A te procul agmen inſanit hoſtile.
Te candidiſſimi celebrant olores,
Et mulcent iucunda Zephyri flamina,
Ac Heliconiæ circumſonant lyræ,
Et choræis luſtrant ſorores non diræ,
Vbi tua lucus inumbrat flumina,
Et ponit antiquos Helias dolores,

AD

AD ATHESIN.

Ode 16.

ATheſi laberis Veronenſi ſolo,
Et agmine leni fluens ſecas vrbem,
Qua non pulcriorem ſol videt per orbem,
Cùm rapido fertur per æthera polo.
Hîc Dicæoſyne pulſo regnat dolo,
Nec accuſat diram perfidiæ labem,
Nec auaritiæ peſtiferam tabem,
Et vina funduntur Rheto nota colo.
Ac ruſticos beant fœtus Cereales,
Et hilarant lyræ gentem doctiſsimam,
Et Vertumnum ditát fructus Autumnales,
Dryadesq́ue ſiluam tollunt altiſsimam,
Et præſentem tuta pacem cantat ales,
Scalda neſcis iſtam ſortem lætiſsimam.

AD APENNINVM.

Ode 17.

APennine pater ſurgis ad ſidera
Vertice niuali,frequens ilicibus,
Et præbens ſpeluncas lupis rapacibus,
Et vrſis,ac proli genitæ vipera.
Sed mallem niuea perferre pondera,
Quàm videre Belgas ardere facibus,
Quas Mars iaculatur extinctis pacibus,
Erebo fraterna rumpente fœdera.
Seruarent clientem ſuum Pieŕides,
Et feras timerem minus,quàm mucronem,
Vel minaciſsimæ ſobolis ſermonem;
Audiremq́ue doctum fiſtulę Damonem,
Et tegerent caput hederæ virides,
Ac fallerent curas nymphæ Muſellides.

AD NYMPHAS ADRIATICAS.

Ode 18.

NYmphæ quæ colitis Adriacum mare,
Et vrbem floribus paludoſis gratam,
Et Leonifero cœliti ſacratam,
Ac ſuperbientem magnifico lare;
Videmini tutum per pelagus nare,
Et premere tergo gentem Lydo natam,
A nato Semeles in piſcem mutatam,
Exceptos efflantem ſima fluctus nare.
Quàm vellent etiam noſtræ Nereïdes
Exercere luſus per vndas virides,
Sed vetant piratæ truces Cenimagni:
Quos vtinam Nereus improba ſpe falſos,
Ex inſulſiſſimis efficiat ſalſos,
Et Britannos regant Auſtriadæ magni.

AD ROMAM.

Ode 19.

NOn amplius tuos montes luſtro Roma,
Nec video prata mille coloribus,
Nec ſpecto cum doctis Phœbũ ſororibus,
Apud tectum flaua Tyberinum coma.
Nec aureis miror corticibus poma,
Nec ſcyphos Falernis plenos liquoribus,
Hîc cuncta Martiis feruent furoribus;
Ah pacis amator Deus Martem doma.
Irene redeat ad Caninefates,
Et Iſalæ ludat ad flumen nitidum,
Nec ſe Scalda miſtum cruore doleat;
Et Mauors reuiſat Strimona rigidum,
Et Helleſpontios repetat Penates,
Et Alcoraniam ſobolem deleat.

SIMONIS OGERII
ODARVM
LIBER TERTIVS.

Ad Principes Christianos.

Ode 1.

DVo precor ante funereos dies,
Quòd ſi meo numen voto ſubſcripſerit,
Tunc ſiue Lucifer, ſiue meridies,
Siue Veſper ferat mortem, gratus erit.

Et vos Chriſtiani nominis amantes,
Vota reges mea poteſtis iuuare,
Et cientes tuba pugnas haud amentes,
Immortalem vobis gloriam parare.

Imprimis Geneua caſtris circumdetur,
Tum meta Turcicam tangat barbariam,
Et cur exitiis mens his delectetur,
Pauciſſimis cauſas verbis aperiam.

Vrbs Bezana domus eſt impietatis,
Anguiferæ plena capitibus Lernæ,
Et trucibus lupis, & canibus ſatis
Cane, quo Lethææ latrantur cauernæ.

Et clanculum mittit vulpes Caluineas,
Quæ ſimplicem malo gentem ludant dolo,
Et Chriſto iucundas violent vineas,
Ac multos Stygio præcipitent ſolo.

Quicquid nuper damni Germanus pertulit,
Cùm diſcors prælia geſſit ſanguinea,

Quodque

Quodq́ue nefas mentes Britanas perculit,
Id peperit Bezæ proles anguinea.

Et quod bellũ Gallus ducit haud amœnũ,
In quo ſæpè viri cadunt fortiſſimi,
Iſta concitauit gens merita cœnum,
Quo voluuntur Orci ſues fœdiſſimi.

At Scythica pubes, ac manus delira
Deridere ſanctum Chriſti numen audet,
Nec Dei mouetur terribilis ira,
Vt parcat vitiis, quibus ſpurcis gaudet.

Et Aſiæ campos, & Africam colit,
Ac Europæ magnas ſibi partes arat,
Et Argiuam verſat gentem, velit, nolit,
Quæ vexata longis opem malis orat.

Non bene barbaro ſubeſt imperio
Sepulcrum Tonantis, ac vrbs Dauidica,
Quæ turpiter ſuo caret pſalterio,
Cuius loco tuba mugit Arabica.

Iuſtæ vocant cauſæ bella, quò dicimus,
Quibus claros motis triumphos feretis,
Nec ſupremus ordo ceſſabit, nec imus,
Vos fracto laudare ſceptro Mahumetis.

AD POETAS.
Ode 2.

VOs qui lauricomos celebratis colles,
Et limpidiſsimos fontes miramini,
Et Aganippæum numen ſectamini,
Linquite Cynthias, Leſbiasq́ue molles.

Nec dignatas plectro laudate Thaïdas,
Hæ pulcra facie,turpi ſunt animo,
Ac Erebi fundo voluentur in imo,
Et in ſe ſentient graues Eumenidas.

Laudate potius virtutum faciem,
Dicen,Homonœan,Irenen auream,
Et hanc per vos reges ſequantur ſpeciem,
Hinc arcentes Martis rabiem ferream.

Illam transferentes in altam Rhodopen,
Et Mahometanæ ſobolis agmina,
Quæ ſuis exigunt regnis Calliopen,
Et turbant Pirenes lucidæ flumina.

Orpheus olim tigres,quò voluit,duxit,
Et amnes rapidos,& rupes horridas,
Et Herculem Celta Gallicanum dixit,
Huc,& illuc gentes mouiſſe rigidas.

AD GALLIAM.

Ode 3.

GAllia ſolebas barbaros vexare,
Et procul à tuis bellare finibus,
Et ſcelus ducebas patriam turbare
Ciuicis in eam ſtructis agminibus.

Antiquos obtine mores,bellum ſeda,
Et ciuiles pugnas abijce protinus,
Nec tuis ex agris deuehatur præda,
Sed regnum protende Byzantio tenus.

Nec eo contenta termino,propera
Victrices agere turmas ad Iordanem,

Vt cum Mahumetis lege peſtifera,
Turcæ Tartareum mittantur ad amnem.

Chriſtusque verſibus Orphæis cantetur,
Et per Thracas,& per vrbem Cecropida,
Necnon Ephratæo carmine laudetur
Per ſancta Iudææ fertilis opida.

Ad Principes Gallicos.
Ode 4.

SEmper Pierio carebimus lare,
Et lucidiſſimis Caſtaliæ vadis,
Quæ quis nõ Gnoſſiis anteponat cadis,
Quos Cretes implerunt Bacchico nectare?

Nunquam barbaries deſeret Athenas,
Et reperet iuga Caucaſeæ rupis,
Et ſiluas Scythicis vlulatas lupis,
Chriſtianę gentis metuens cathenas?

Expergiſcimini Galliç primores,
Nec ducite ſomnos Endymionios,
Et recuperate montes Aonios,
Et Alcoranios extinguite mores.

Hac vos ratione ſoboles Claria
Eximet lethæis obliuionibus,
Dictos perpetuę fidis carminibus,
Et ductos ſub tecta Iouis illuſtria.

Ad Clio.
Ode 5.

DIc Clio,qui terris viri Belgiacis
Magno pietatis honore clareant,

Nec vnquam virtutis clypeo careant,
Digniſsimi plectris Heliconiacis.

En primus occurrit princeps generoſus,
Sanguine genitus Auſtriacæ matris,
Atque Farneſij clara ſtirpe patris,
Et quis hunc non magnum dicere ſit auſus?

Quem penes eſt ſumma rerum, quique regit
Pacem venerandam, Martemque cruentum,
Et temperat numen mirè truculentum,
Ne nobis noceat, dum nobiſcum degit.

Hunc ſequuntur domo Mansfeldia creti
Duces Herculeis præditi viribus,
Et Catonianis ornati moribus,
Ab heroüm nunquam numero ſecreti.

Etiam video regum ſtirpem certam,
Croïos, & vnà genus Lalanium,
Et Flandriæ notum nomen Vilanium,
Gentem fama regnis ſtellatis inſertam.

Eminent proceres & Barlęmontij,
Et Bornouilliæ domus inſignia,
Nota vel ad ſenis Tithoni mœnia,
Et emicat robur Martis Egmontij.

Mensque generoſa ſplendet Boſſuorum,
Ac benigniſsima manus Halluuina,
Munificentiæ laudibus diuina,
Nec vnquam ſerie digna mortuorum.

Et non familia memoretur illa?
Cui pacis cupida Noricarma paret,

Bellico-

Bellicoſiſſima ſi Bellona paret
Arteſia flammis vrere caſtella?

Nec validi vires ſe lacerti condunt
Acris Valentini, quo vales præditus,
Vir in Mauortios honores genitus,
Vt acta tot bellis fortiter oſtendunt.

Sed ſi cunctos velim duces celebrare,
Claros ſanguinei certamine Martis,
Nec rudes inſtructæ carminibus artis,
Quos Belgicus Titan ſolet illuſtrare:

Numerum perſequi conſpiciar florum,
Quos Zephyrus prato mulcet purpureo,
Et Delius aſtro firmat æthereo,
Ac educat cælo miſſus humor rorum.

Gaudeo tot viros, ac tali robore,
Supereſſe Martis ereptos furori,
Necdum mortifero ſacratos pallori,
Et forti patriam tueri pectore.

AD BELGIAM NYMPHAM.

Ode 6.

BElgia cur Mauors ſic te vexat malus,
An inuitam thoro properat cogere?
Dolorem, qui pectus lacerat, deſere,
Iam cęlo veniet certa tibi ſalus.

Non ita ſe gerunt, qui mente ſapiunt,
Nec dotales terras implent gemitibus,
Nec ferro, nec flammis, ſed donis ditibus,
Et blando ſermone thalamos capiunt.

Ideò miſerunt ſuppetias Dei,
Vindicemque tibi, qui Martem repellat,

Et ad inſaniæ thalamum compellat,
Ac viciſſim luctum meditetur ei.

Ecce princeps pulcra miſſus adeſt Parma,
Qui bellum remittat Thracios in montes,
Vbi vigent feræ quæ vocantur mentes,
Hic bonus te bona defenſabit parma.

Ac tuis ruinas auertet opidis,
Et miſeris reddet agricolis arua,
Quæ modò non hoſtes ſubdunt ſibi ſerua,
Et leuabit genas imbribus tepidis.

O dux pia flagrans virtute propera,
Quod facis, armorum compeſcere motus,
Et relega diros ad Strymona metus,
Nimis diu Mauors hîc meruit æra.

AD IOANNEM SARACENVM ABATEM VEDASTIVM.

Ode 7.

OPto mihi tempus illud gratiſſimum,
Quo Brabantos mecum celebrabas vnà,
Qui colunt ſtudium Muſis aptiſſimum,
Et Heliconia lætantur fortuna.

Nam tunc Saracene voluptas Muſarum,
Pax alma florebat, nec tubæ ſtrepebant,
Nec rabies vlla feruebat pugnarum,
Sed tantùm melici ſonores vigebant.

An nunquam Gradiuus repetet Biſtonas,
Et Pangæos amnes, feramque Rhodopen,
Secumque bellicos auferet Dæmonas,
Et doctam relinquet nobis Calliopen.

Rideat

Rident Chriſtianam Turcæ diſcordiam,
Et Gallos mutuis cædibus furentes,
Nec ad bonam verti gaudent concordiam,
Inter ſe pręlia non pia ducentes.

At nos,ſi ſapimus pace compoſita,
In Thracen vertamus rabiem ciuicam;
Et arua petamus Syro tractu ſita,
Ac ſtirpem fortiter ſternamus Scythicam.

Vt Aſiæ terris,& Afro littore
Chriſtus Mahumete pulſo celebretur,
Et Muſæ libero cantus fundant ore,
Et Græcia turpi iugo liberetur.

AD IVLIANVM MEGALOPHILVM. Ode 8.

SCis odiſſe tubas me Megalophile,
Et taureæ pellis damnare ſonitum,
Et ſic Marte viſo fugere ſolitum,
Vt præ me Pythonas ſi viderem mille.

Sed iam Valentinum miraberis factum,
Quem Deus tribuit nobis magnum ducem;
Nam ſæpè potuit ſuis dare lucem,
Et Martem ſedare furoribus actum.

Si fata parentur Thracibus ſuperbis,
Sub Tartarum miſſa turpi diſcordia,
Atque reſtituta miti concordia,
Et in Iſmarijs Belgę pugnent herbis.

Et quem non faciant animoſum precor,
Saltus vindicandi,quos colebant Muſæ
Ac gentes artibus Pierijs vſę,
Et Orphęis pulſum carminibus æquor?

Tum quæ Chriſtus arua ſacro preſſit pede,
Et ſui ſanguinis rubore rigauit,
Quò ſancti Spiritus virtutem legauit,
Apoſtolis miſſam ſiderea ſede?

Afferte nitentem gladium pueri,
Fortemque clypeum, galeamque læuem,
Et equum ſtabulis educite leuem,
Soles per æthera micuere puri.

Audire videor mihi rumpi cælum,
Clangore vocanti Gallos in Thraciam,
Adempturos hoſti barbaro Græciam,
Et victrice rota tollendos ad polum.

AD SOLEM.

Ode 9.

O decus aſtrorum ſol nitidiſſime,
Qui cæli ſtellatos per tramites erras,
Effunde quæſumus te benigniſſime,
Mortalibus gratum lumen ſuper terras.

Et tuis radijs, & ardore tuo
Aquilonis vires diſſipa frigidas,
Ne menſe Iulius admiretur ſuo
Hyemale frigus, & niues gelidas.

Nam ſic Threïcius Boreas bacchatur,
Vt æſtate gelu cogat dominari,
Et oculis ingens metus obuerſatur
Eorum, qui terra feruntur, & mari.

Non ſunt tutæ ſalo veliuolæ naues,
Atque procelloſo quatiuntur vento,
Et tectis queruntur frondiferis aues,
Pręter morem tunſæ flatu violento.

Nec vnę commentor generoſus Liber,
Nec frugum genitrix hoc gaudet tempore,
Nec lætari poteſt Germanus,nec Iber,
Quo nunc verberantur omnia frigore.

O quid Terrigenæ videmus fieri!
Mirabitur olim ſera poſteritas,
Et dicet ad colum fictam mulieri,
Cùm rei prometur huiuſce veritas:

Soles nuper ſenſit æſtiuos December,
Nunc hyemem menſis Cæſareus videt,
Et horridus cælo præcipitat imber,
Nec terra floribus ſpoliata ridet.

AD IOANNEM FERRARIVM.

Ode 10.

LVbet ingenio Ferrari diuino,
Serta temporibus florida nectere,
Et calices dulci coronare vino,
Et alacri terram ter pede quatere.

Nam redit in fidem regis Iberorum,
Et deuouet diros tumultus Anuerſa,
Et gaudet ſuorum vita liberorum,
Modò non Martijs manibus euerſa.

Vrbs potens,& ſolis ad ortum nobilis
Emporio multa merce ditiſſimo,
Quæ duas per meſſes nutrix amabilis
Vbere me fouit olim lętiſſimo.

Puerili viſus tunc ego figura,
Diſcebam Teutonas voces ore paruo,
Poſt hinc ire iuſſus ad diſcendum iura,
Quo Dilia ſacro dominatur aruo.

Omnia lætantur hac vrbe recepta,
Nemora canoris reſonant auibus,
Et Notus imbrica negligit præcepta,
Phœbumq́ue Belgicis permittit ciuibus.

Et hymni canuntur regi ſuperorum,
Paſsimq́ue reboant campanales ſoni,
Et ordo ſupplicum procedit virorum,
Gratus Pietati,non gratus Plutoni.

Menſe pax Auguſti placat Antuerpiam,
Qui bellicas olim Romę portas clauſit,
Et gens cauta rixam nunc odit impiam,
Quam nuper cupidis luminibus hauſit.

Incipiunt meſſes Belgiadum ſeri,
Et gaudent ſe ſtructis domibus refectos
Vici Mauortio furore laceri,
Nec ſe,velut prius,queruntur neglectos.

O vtinam ciues probent Batauici,
Quam Brabanti probant pacis æquitatem,
Et horreant arma Mauortis ciuici,
Nec ſui contemnant regis maieſtatem.

Aurora quamprimùm prouocet aurea,
Hunc diem Nereos penetrali cano,
Ne tandem fleatur,vt gens Hectorea,
Hollandica proles domita Vulcano.

AD BATAVOS.
Ode II.

BAtaui maximo perfundor gaudio,
Cùm referimini repoſcere pacem,
Nec amplius aures dare diſſidio,
Et velle Martiam reſtinguere facem,
Atque præcidere tempus excidio,

Et iniquiſſimum reijcere faſcem,
Quo veſtros premebat humeros Megęra,
Mortem Tartarea prouocans Machęra.

Et redire ſceptra ſub optimi regis,
Quem potentem tellus Heſperia colit,
Hic vobis proponit æquępacta legis,
Et conditiones amplas,quas qui nolit,
Beatam Circæi putat ſortem gregis,
Quem non ingenij ſolertia polit,
Nec ſegetes matris Eleuſinæ tangunt,
Sed glans,& latices Citëini tingunt.

Prudenter à vobis factum;Nam quis furor,
Sanguineis fata bellis accerſere?
Imminet omnibus nigræ mortis horror,
Nec quiſquam Lacheſim poteſt decipere,
Cuius in iaculo nullus ineſt error
Miſſo,redeunti ſemper cum funere,
Ad quod pręter arma nos morbi rapiunt,
Et mille labores aditus faciunt.

Poteritis agros ſarculis findere,
Et bubus paſcua dare virentia,
Ac poſito metu nauibus ſcindere,
Freta ſpumantibus vndis albentia,
Et merces exteris gentibus vendere,
Domum relaturas æra flauentia,
Et placidum noctu carpere ſoporem,
Æquore mergentes acerbum dolorem.

Igitur nunc arma ſitus occupabit,
Proque ſono tubæ clangoribus raucæ,
Carmine iucundo lyra reſonabit,
Et fraudes ſuberunt Nerienis paucæ,

Quieſque Dircęum numen reuocabit,
Et blandę ſorores,nec truces,vt Caucæ,
Reuiſere Belgas audebunt pacatos,
Et ducere choros ad Scaldin optatos:

Et omnes,vt regem colant,exhortari;
Nam numina reges,vt pios paſtores,
A populis volunt ſuis obſeruari,
Et mirè ſęuiunt in ſceptri ſpretores,
Qui mox ſupplicijs ſe mirantur dari,
Et atrociſſimos videre tortores,
Nec ſua ducere tempora molliter,
Nec tangere metam vitę fœliciter.

Qui Moſen mortales violarunt feri,
Volentes Heroa ſceptris exuere,
Subiciunt genus funeris aſperi,
Et ſibi tellurem viderunt hiſcere,
Demiſſi ſub vndas fluminis inferi,
Et coacti duros manes excipere,
Sic Abſolon læſo pœnas rege dedit,
Et pendens arbore ſpiritus edidit.

Et qui ſacrilego petierunt ferro
Germani Carolum Cæſarem,tinxerunt
Latam cæſi terram ſanguine miſero,
Et qui Gallum regem Carolum cinxerunt
Infeſto milite, tandem,licet ſerò,
Sua Lutetiæ peccata luerunt,
Nec bene cecidit proles Naſſouia,
Cuius oſſa tegit pinguis Batauia.

AD ZELANDOS.
Ode 12.

ZElandi currite,

Vnà cum Batauis,
Placito limite
Fortibus Atauis.

Illi ſuſpexerunt
Sanctos Pontifices,
Nec Regem tempſerunt,
Nec decreta Dices.

Et abundauere
Opibus idcirco,
Et reportauere
Laudes omni circo.

AD MARIAM SCOTORVM REGINAM.

Ode 13.

REgina nunc nullis agitata curis,
Dum fortem populum Scotiæ rexiſti,
Piè,iuſtè,ſanctè,pudicè vixiſti:
Tale tamen caput abſtulit ſecuris.

Sic quę manus Turcas vexare debebat,
Et Mahometanos optare cruores,
Suos exercuit in illam furores,
Qua nil ſol è cælo melius videbat.

Excepit Olympus nymphen Stuardida,
Tiſiphone Lethen liquit vt huc pergat,
Ac huius authores cædis Orco mergat,
Et pœnis obruat Aten Britannida.

AD ARTVRVM REGEM BRITANNORVM.

Ode 14.

REx qui fortes olim rexiſti Britannos,
Si viueres,labem nolles Caluiniam,

Quæ

Simonem, quem ſæuę territant Erides,
Et ſonus, quem tollit Belgiacus leo.

AD HOLLANDIAM.
Ode 16.

ECquid conſilij captas Hollandia,
Cur non fidem ſceptri repetis Hiſpani,
Et abijcis fœdę litis diſſidia,
Et agnoſcis pedum paſtoris Romani?

Metanœa tuis inſtat liminibus,
Si non Caluinio te ſubtrahas dolo,
Et Naiades tuis tectæ fluminibus
Lugebunt ob cædem tuo factam ſolo,

Armauit ſapiens rector Iberię
Tot naues, quot nunquam rex Perſię vidit,
Cùm vanis auſcultans dictis ſuperbię,
Montem Threïcium nauigio fidit.

AD BATAVOS.
Ode 17.

HIſce temporibus lętantur balenæ,
Nam mare repletur cæſis corporibus,
Nec de paupertate conqueruntur Lenę,
Gradiuo paphijs tacto furoribus.

Mittite miſeri pugnas martiales,
Ne piſcibus eſca ponto voluamini,
Et veſtris incubet thoris dirus ales,
Et vero Currucæ ioco dicamini.

AD NERVIOS.
Ode 18.

NEruij Belgarum longè fortiſsimi,
Quàm vellem vos tetras lites componere,

Quas

Quas excitat furor Matris fœdiſſimi,
Vaſtantes Belgium ciuili funere.

Erat æquum cęde Strimona miſceri
Non amœniſſimos amnes Tornacidum,
Et ſuperbo Thracen quadrupede teri,
Non pulcerrimarum prata Pleumoſidum.

Promite nunc vires Boduognatidę,
Quibus olim contra Cæſarem ſtetiſtis,
Et illis domentur cum Turcis Perfidæ,
Et quicunque negat quæ fatetur Piſtis.

AD DVCES CHRISTIANOS.
Ode 19.

HEros Machabæus ſuos fudit hoſtes,
Sępe manu parua, ſed caſta, ſed pura,
Nec olympiaca contemnente iura,
Qua ſtruxit etiam deo ſacros poſtes.

At nos victoriam ſperamus milite
Impio, peruerſo, perfido, rapaci,
Et ſuis aduerſo votis almę paci,
Ac gaudente longa factionum lite.

Fallimur, nec magno fidamus numero,
Tali militia potius ſperanda
Multo cadauere ſtrages miſeranda,
Qua viſa vel dirus lacrymetur Nero.

AD HELLEN.
Ode 20.

HElle Phryxi ſoror, quem per mare vexit
Aries, aureo vellere decorus,
Vnà tecum, ſed te Pontus aqua texit,
Aſt hunc ſaluum Phaſis excepit ſonorus.

Nunc iuncta cæruli thalamo numinis

Cho-

Choræas exerces inter Nereidas,
Atque tui ſulcas æquora nominis,
Nec aſpicis læto lumine Turcidas.

Sed doles Barbaros regere Thraciam,
Et pellere Muſas patrijs montibus,
Arabico ritu ſparſo per Græciam,
Et Aganippęis pollutis fontibus.

Velles Barbariam frænari, quod volo,
Et precor vt noſtri faciant principes,
Vt illa Thebano ſpolietur ſolo,
Nec Heliconios vexet municipes.

AD CHRISTIANOS.
Ode 21.

ECquid Oceanum cæde maculatis,
Tormentis terrentes Oceanitidas,
Nec pijs Syriam nauibus tentatis,
Erepturi iugo turpi Sionidas?

An ſemper canemus ſurdis hominibus,
Verba profundentes procacibus auſtris,
Nec Thracen petetis bonis ominibus,
Turcas Caucaſeis reddituri clauſtris?

Cur appellamini, quæſo, Chriſtiani,
Si quæ Chriſtus iubet prorſus negligitis,
Et eius ſepulcrum permittitis cani,
Nec Godefredios mores diligitis?

AD IORDANEM.
Ode 22.

IOrdanis gemino qui fonte laberis,
Et rigas Iudęę ſaltus palmiferos,
Lunato Turcarum de ſceptro quereris,

Atque

Atque magiſtratus optas liligeros.

Optas,quę volumus,ſed quieſcant bella
Ad Scaldin,& ſiluam,que Neruios tegit,
Et Solomonia potiatur ſella
Rex,qui magnanimos Atrebates regit.

Vt nobis liceat dicere carmina,
Ad amnem,quem loto corpore ſacrauit,
Qui mortis dolores hauſit ob crimina,
Quæ primus hominum genitor patrauit.

IN NOVVM ANNVM 1588.

Ode 23.

ECce nouum Belgis denuntiat annum,
Bifrons ille Deus; vtinam ſit fauſtus,
Sed tamen Flandricum petunt Oceanum,
Quot nunquam coëgit milites Auguſtus.

Nondum finis bello;tremit Batauia,
Et quicunque fines colit Mattiacos,
Et hoſpiti fera tremit Britannia;
Angloſque non vnum ſollicitat achos.

Auſtriades pio potiatur voto,
Hinc poſteà victor exercitus ruat
Ad arua, quæ tenet Byzantia Dotò,
Et Turca meritas victus pœnas luat.

AD ANGELVM GALLIÆ PRÆSIDEM.

Ode 24.

ANgele Belgij præſes rixas aufer
In Mahometanos,& prolem Turcicam,
Et finem miſeris tumultibus adfer,
Hîc exercentibus rabiem ciuicam.

Quieſcat

Quieſcat Gallia, Thraces agitentur,
Et Tyrannus Graio cadat imperio,
Et ſi ſerò, tamen nunc recuperentur
Arces, olim pio rectę Pſalterio.

Voce crebra magnum ſollicita Deum,
Vt noſtras iubeat eſſe preces ratas,
Vt protinus carmen fundamus ad eum,
Quo lætemur metas Alcorano datas.

SIMO-

SIMONIS OGERII

OMBRONTHERINON

LIBRI TRES.

AD GVILIELMVM PAMELIVM SENATVS BELGICI PRÆSIDEM.

OFFENSVS grauiter bellis ciuilibus,
Quæ nos adhuc armant telis crudelibus,
Cedere patrijs finibus volebam,
Et lætos alacer greſſus referebam
Ad iucunda mihi flumina Tybridos,
Vbi Mauortiæ nulla vis Hybridos;
Sed à latronibus via prohibitus,
Qui viatoribus minantur obitus,
Dextero numine ſuperûm redeo
Duacum, Lycio gratiſſimum Deo;
Et differre cogor iter Italicum,
Et ſtrepitum rurſus audire bellicum.
Has autem ſperaui ſedes aptiſſimas
Mihi requirenti gentes doctiſſimas,
Et dulciſſimorum colloquia vatum,
Et laurigerarum cœnas Voluptatum.
Sed vide, quàm votis itum ſit obuiam,
Nec optatam ſequi fas fuerit viam,
Nec vrbe vagari, nec viſere viros,
Pierio cantu, doctrinaque miros;
Nam tam graues Auſtri cœlo ſpirauere,
Et æſtatis horas nimbis inuoluere,
Vt verſus in aquas videretur ęther,
Et formidaretur mundo talis imber,
Qualis fuit priſcis Pyrrhæ temporibus,
Cum Phocæ quierunt celſis arboribus,

Et

Et fului leones, tigreſque rabidæ,
Per arua natarunt Doridos rapidæ.
Nec temere ſoles ſerenos vidimus
His tribus menſibus, nec æſtum ſenſimus,
Nec deambulare per ſiluas licuit,
Nec ibi ſe noſtra Chelys exercuit;
Nec Belgæ pilentis mollibus vtuntur,
Quibus Auſonij commodè vehuntur,
Quare teſtudines nobis imitandæ,
Et ædes fuerunt ſemper habitandæ,
Dum nimbi pluuio ceciderunt cœlo,
Atque Duaceno manauerunt ſolo;
Niſi cùm pietas iuberet petere
Templa, diuiniſque rebus aſſiſtere.
Quid ergo facerem furentibus Auſtris,
Domo circumſeptus, vt carcerum clauſtris?
Non ducor alea, nec capior illo,
Quo ſtolidum vulgus capitur fritillo,
Nec eſt viſum ſomno conſumere tempus,
Quod ſibi vindicat, & labor, & opus;
Nec volui curas fallere falernis,
Et ſic verba dare flatibus hybernis.
Igitur adij nemus Aſcræ pulcrum,
Et aureum thori genialis fulcrum,
Vbi conuiuia curant Pierides,
Ad fontes amœnos, & ripas virides;
Et ſum modulatus alta verſus lyra,
Quos fudit Homerus dulcedine mira,
Nec intactos liqui Mantuanos ſaltus,
Vbi Virgilius memoratur altus.
Et plures euolui Romuleos vates,
Et Græcos, ferentes mihi voluptates,
Quæ faces extingunt cæci Cupidinis,

Et fouent Dircæas artes Apollinis.
Quin etiam meo Marte compoſui
Quædam,nec inertem dici me volui:
Sed meæ tetigi citharæ ſtamina,
Atque domi nata cecini carmina:
Tresque contexui libros cubiculo,
Quod ferè lymphato ceſſit periculo,
Quot menſes olympo labuntur æſtate,
Haud præſentis anni ſicca tempeſtate,
Sed mirè triſtibus fœcunda pluuiis,
Et Auſtrinis tecta caput induuiis:
Vnde gerunt libri nomen,ſic vocati,
Quòd mihi per imbres æſtiuos ſint nati.
Hos autem volui libros dedicare
Heros magne tibi,cœlicolis care,
Ob Dicæoſynes egregiam laudem,
Longè repellentis Philargyram fraudem,
Et docto iuuantis Belgas conſilio,
Vt tandem mulctetur Mauors exilio,
Atque reuertatur ad nos pax aurea,
Et Orco tempora condantur ferrea.
Labores igitur hoſce ne fruſtreris
Fauoris ſpe tui,ſed ſic amplexeris,
Vt obſeruantiæ pignus in te meæ,
Licet illos ſciant Heliconis Deæ,
Procul Aoniis textos à mœnibus,
Filis non Andinis,nec doctis manibus.

SIMONIS OGERII

OMBRONTHERINON

LIBER PRIMVS.

AD HENRICVM CAETANVM CARD. SERMONET.

CVm linquerem flaui Tybridos fluenta,
Et clara Romanæ gentis monumenta,
Iuſſiſti gloria Caëtanæ domus
Henrice, quem gratum Muſis odit Momus,
Vt poſtquàm Belgicos tetigiſſem lares,
Et ſalutauiſſem Diuos tutelares,
Tibi perſcriberem, quid noui ferretur,
Et qua ratione bellum duceretur.
Iuſſis viri ſemper colendi parebo,
Et tibi, quæ mitti ſcripta vis, parabo.
Arteſiæ gentes mihi populares,
Tranquilla fruentes pace colunt lares,
Experſque timoris Hannonia mali,
Fruge ſuam læta gentem gaudet ali.
Namurcumque Martem ferum procul videt,
Et tutum fodiens ferrum bella ridet,
Nec Flandria tellus fęlix vbertate,
Et agri fertilis ſumma bonitate,
Sibi metueret, ſi vellet Oſtenda,
Tandem militibus Iberis dedenda.
Nec triſtes aſpicit ciues Luxenburgum,
Et frequenti flore velatur Lemburgum,
Et cantus effundit ſecuros Ardenna,
Volucrum varia pićturata penna.
Gueldria, Friſia bonæ ſtudent paci,
Gaudentes frugibus, & agro feraci.

Et Gruninga fides armiſonas odit,
Et lætis auribus nomen pacis audit.
Burgundia nullo quatitur tumultu,
Sed ſuum Sequanam tuto bibit vultu.
Zelandia vaſto circumdata mari,
Amat factionem Mauortis amari,
Et huic,& Batauis fauens Brabantia,
Bella fouet certam mortem ſpirantia.
Quamquam Brabantię magna pars quieſcit,
Et rurſus,Irene recepta,floreſcit.
Antuerpia claro rigata flumine,
Hoſtium valido cingitur agmine,
Omnibus è locis pulſata tormentis,
Quæ nil fulminibus cedunt violentis,
Nec illi ſpes vlla ſubſidij lucet,
A ſolis Batauis ſpem trahere licet;
Nam gentes aliæ deſerunt hanc omnes,
Et quæ terram colunt,& quæ colunt amnes.
Sed eam ſpes parua commeatus fouet,
Sic Bellona ſemper Alexando fauet,
Qui nuper vi multa Batauos repreſſit,
Et eorum naues æquore demerſit,
Vt è pugna pauci domum redierint,
Et cladem ſuorum ſuis retulerint.
Quare nil amplius Antuerpiæ reſtat,
(Et anchora ſola ſalutis hæc extat)
Quàm ſui tentare regis clementiam,
Atque deteſtari Martis dementiam;
Et vt rex eſt mitis,ac promptus veniæ,
Ignoſcet bellicæ gentis veſaniæ,
Vt ignoſcit nati ſceleribus pater,
Et mortalis turbæ peccatis Iupiter.
Hac vrbe recepta longè pulcerrima,

Recipi poterunt opida plurima,
Quæ nunc ſæua fouent pectora ciuium,
Et cantus nigrarum ſequuntur auium.
Relata refero, nec his interfui,
Nec ea videre prælia potui,
Tam longè remotus à Scaldi flumine,
Et curas Morina ſolans teſtudine.
Nec ſi conſpicere pugnam potuiſſem,
Aſpicere tamen illam voluiſſem,
Nam mea cruorem non ferunt lumina,
Et abhorrent dira belli certamina.
Quæ vidi referã, poſtquàm ſum reuerſus,
Huc illuc interdum vagos ferẽs greſſus.
Mœnia diruta vidi Marte ſæuo,
Quæ longo temporis floruerant æuo,
Et pagos, & verſas incendio villas,
Et illarum cœlo volantes fauillas.
Nec nõ vidi turbam plãgentem pectora,
Et vngue fœdantem crudeliter ora,
Illam fratres cæſos, illam virum flere,
Hanc natos, hanc patrem mactatũ lugere,
Annonam plerosque caram lamentari,
Nonnullos ereptas opes lacrymari,
Quoſdam queri terras vomerem poſcere,
Et latè relictas feris horreſcere.
Breuiter lacrymas vbique reperi,
Et largo ſemine vidi luctum ſeri;
Nonnulli beamur Farneſia laude,
Procul pulſa Martis ſacrilegi fraude,
Et ſperamus breui bella confecturum
Heroa, Belgicæ nationis murum.
Iam ſatis Gallico pax exulat ſolo,
Et Turcas hilarat Tiſiphones dolo.

 O quid

O quid commiſerunt Belgæ flos Gallorum,
Vt tot miſeriam ſubirent malorum,
Et in ſe conſtrictas manus cõſererent,
Et ipſimet ſuas vires infringerent?
Non hîc mos eſt feris mente carentibus,
Nec leones lædunt leones dentibus,
Nec lupus lupinum petit interitum,
Nec aper aprugnum requirit obitum,
Aut Aquilæ gentes Aquilinas produnt,
Aut cornices natos Coronidis perdunt;
In diſpar prælium genus committitur,
Nec ſua de ſtirpe cibus expetitur.
Cruore, quem nobis ferus hauſit enſis,
Aſia populis, ac vrbibus denſis,
Parari poterat cum ſaltu Dorico,
Et expelli Turca mari Numidico.
Sed nunc credo Belgas Martem deſerturos,
Et finem ciuilis odij facturos,
Suis feſſos malis, quæ multa tulerunt,
Et præter labores bellicos ſenſerunt.
Nam ſæuiit vnà peſtis acerrima,
Et errauit forma fames teterrima,
Totumque per cœlum venti debacchati,
In multorum damna ſunt depræliati,
Et almæ telluris inſoliti motus,
Magnos mortalibus intulerunt metus:
Grando frequens pluit, rabies fluminum
Obruit agreſtûm fortunas hominum,
Et multæ per altum periere naues,
Et hyemem longam ſtatuere niues.
Ac æſtate breui breuis fuit æſtus,
Et de fide meſſis colonus eſt queſtus.
Oceanus horrens, horridior fuit

Mon-

Monſtris, quæ plurima pelagus genuit;
Quibus arenoſum proiectis ad litus,
Terræ terrificos hauſerunt mugitus;
Sanguineos crines Cometæ traxerunt,
Et pluuiæ rores cruentos ſparſerunt,
Tum fulmen ſereno ſole miſſum cœlo,
Multos tricuſpide trucidauit telo,
Solque caput atra tinctus ferrugine,
Lurida luſtrauit terras imagine,
Et Cynthia vultus oſtendit lunares
Æquè turpi forma tectos, ac ſolares,
Verbaque pecudes humana fudére,
Ac longas in fletum querelas duxére,
Lupi nemoroſam deſerentes ſedem,
Per vrbes tulerunt intrepidum pedem.
Quin vipera noſtris finibus inſolens,
Non vnum peperit caput virus olens.
Nec deſiit Beza cinctus ſerpentibus,
Incautis venenum ſpargere mentibus,
Quo nullum citius vitam conficiat,
Et à ſe contactos Orco ſubijciat.
O vtinam Galli receptui canant,
Et inter ſe fœdus æternum componant,
Ac greſſus in arua tendant Argolica,
Et alacres arma laceſſant Turcica,
Ac Mahometano ſe ſanguine tingant,
Et victrice manu Lydas opes tangant.
Vt quondam fecerant Balduino duce,
Qui famę donatur perpetua luce.
Et ſparſerunt pias imbre læto genas,
Cùm Bulloniades ſtrauit Sarigenas.
Quòd ſi velint magni proceres Gallorum,
Motus præſentium ſedare bellorum;

Miſſa ſuos mora ducant in exteros,
Et tentent populos barbaria feros;
Nam Galli feruidum nacti ſunt genium,
Nec patiens longæ pacis ingenium,
Et ſi Mauortio correptis ſtudio,
Nullus detur hoſtis, quem petant gladio,
Inter ſe concurrunt, ſeque tabo fœdant,
Et ſic belligerum cupidinem ſedant.

AD PETRVM ANGELIVM BARGÆVM.

Bargæe, qui lauas laurigeros crines,
Fonte puriſſimo dulcis Hippocrenes,
Iter tutum fuit mihi relinquenti,
Tyberim natantem fluuio liquenti;
Et Belgij clara repetenti ſtagna,
Monteſque Sitia coopertos agna.
Et nunc Arteſiæ pulcris erro campis,
Et ſolis Morini percutior lampis,
Ac Aæ vitreos admiror honores;
Et quot nunquam tulit Mæander olores;
Sed antequam priſcis ſim redditus locis,
Et ignem paternis inſtruxerim focis;
Via duo magna tuli diſcrimina,
Nec hîc me Smyrnæa iuuerunt carmina,
Et quis verò fælix ſemper eſſe poſſet,
Vt certam per iter Ablabiam noſſet?
Nec ſol purpureo ſemper micat aſtro,
Hunc tegit interdum motus imber Auſtro,
Nec ſemper placidum ſentit Fauonium,
Qui nauta per æquor fertur Auſonium.
Nec tellus æterno caput flore cingit,
Sed ſquallet etiam cùm December ningit,

Nec

Nec fortuna parit riſus aſſiduos,
Et cogit perferre dolores arduos.
Cùm tetigiſſemus vrbem, quam condidit,
Cui Plancum genito Roma nomen dedit,
Phinææ protinus aues aduolarunt,
Et ſuo loculos auro ſpoliarunt,
Quamuis eſſet ita diligenter tectum,
Vt promereretur eſſe ſartum tectum.
Sed hæ peſtes vincunt oculis Lyncea,
Quæ cur Dardania percuſſæ lancea,
Quam fortis Anchiſæ vibrabat filius,
Non mortem ſenſerunt?hoc erat melius,
Quàm talibus monſtris mortales vexari,
Et raptis opibus ita macerari.
At callidæ Sphinges cauſas adiunxerunt,
Si Dis placet, æquas,& mihi dixerunt,
Auferre ſe nummos has ob cauſas illos,
Quòd non inter eos inuenirent vllos,
Liliis florentes, ſed paſſim dracones
Summi Pontificis, Marcique leones;
Et gratas volucres maieſtati regis,
Qui ſeruat honores Catholicæ legis.
Et nil peregrinum ferre poteſt tellus,
Vbi lanigerum Celta tondet vellus,
Vt mihi prædonum voces edicebant;
Cùm me ſpoliatum portis educebant,
Quas cur vnquam vidi lumine non fauſto,
Vt auro crumena violaret hauſto?
Æquiores mihi fuiſſent Biſtones,
Et qui Manes pœnis exercent Dæmones;
Et rigidiſſima mouiſſent marmora,
Quas voces triſtia fundebant pectora,
Has tamen conceſſas viderunt Thuellæ,

Quæ colunt Lugdunum diuites puellæ.
Teſtis lenis Arar, nec Rhodanus piger,
Vt hic mihi Titan ſurrexerit niger,
Et quot corde meo traxerim gemitus,
Quos vix tandem ſiſtent melici ſonitus,
Quibus ſolent ægra mulceri pectora,
Vt herbis ſaucia ſanari corpora;
Quin meis fletibus fluuij creuerunt,
Et à me pelagus aucti petiuerunt,
Narraturi pleno Nereïdum choro,
Iniuriam ſuo mihi factam foro:
Namque videbantur triſtes, ac turbidi,
Cùm zonam raperẽt homines perfidi,
Et ſuis Procuſtas vndis obruebant,
Sed aquis inuios colles obtinebant.
Crumena, quæ nummis fulgebat aureis,
Quos poëta genis præfert Venereis,
Tale naufragium tulit ad Rhodanum,
Lacrymas integrum requirens per annum;
Sed tam diu nummos lugere perditos,
Eſſet ſequi mente Midæa præditos;
Et me more ſuo rideret caterua,
Quæ Menippiaca concelebrat arua.
At eſt vita mihi rapta propemodum
Per Ligerim, ſæuo flamine tumidum.
Nam cùm liquiſſemus mœnia Roãnnes,
Iam Phœbo tangente Tarteſſios amnes,
Heſperus aſpexit vndas tumeſcere,
Et flauum Ligerim ſpumis albeſcere:
Ibi noſtra ratis rapidis fluctibus,
Et mens oneratur miſeris luctibus:
Et neſcio quanam fugerimus arte,
Minitantem funus hac Lacheſin parte,

Nam

Nam ſæpè carina ſtellas premebamus,
Et infimos ſępè Manes petebamus.
Certè iam trepido precabar pectore,
Vt animum meum ſolutum corpore,
Deus auerteret fluctu Tartareo,
Et cœli donaret axe ſydereo,
Ac humo ſubmerſum corpus dignaretur,
Ne præda piſcibus impaſtis daretur.
Et ecce pallores inter clamantium,
Nilque niſi letum pręſens ſpectantium,
Nauis procelloſo conflictata vento,
Et acta pariter fluctu violento,
Ad ripas flatibus magnis impellitur,
Et eius in herbas onus expellitur.
Ibi ſalutamus ore terram læto,
Nos excipientem penè datos leto,
Et damus oſcula ſolo dulciſſima,
Relinquentes ſtagna longè truciſſima,
Quæ nobis non vanos intulerant metus,
Et imitabantur Neptunios motus.
Nec laudes ceſſamus dicerę Superis,
Qui nos ſeruauerant ex vndis aſperis,
Sic qui fortè bonus Liger audiiſſet,
Vt apud Rhodanum res deperiiſſet,
Maius eſt facinus auſus attentare,
Et me dulci vita voluit priuare,
Vel Diis inuitis,qui mihi miſerunt
Oebalios fratres;hi flumen riſerunt,
Et me Belgiaco reddiderunt lari,
Ereptum potenter Ligerino mari.

AD MICHAELEM ESNEVM BETENCVRIÆ DOMINVM.

MIchaël Phœbęa lauro redimite
Caput,quod Helicon veneratur mite;
Meas ſoles nugas facere non nauci,
Quas tamen laudare conſueuerunt pauci,
Et facis de paruo culice belluam,
Impoſitis dorſo turribus arduam.
Non igitur leges inuito lumine,
Quas fudi querelas egreſſus flumine,
Quod me ferè lares miſit ad Orcinos,
Vbi Tartareas lites ſecat Minos;
Cuius duritiam carpo fluminceam,
Et in iſtos verſus iram ſoluo meam.
Ergo fluuiorum ſæuiſſime Liger,
Vt ſeueriſſimi Plutonis armiger,
Tuo voluiſti me regno perdere,
Et Acherontio flumini prodere,
Aëris adiutus nigris flaminibus,
Et alitis Auſtri rubris fulminibus?
Quin iam naui ripas virides tangente,
Eò pulſa flatu Zephyri valente,
Incolume tamen vix caput ſeruaui,
Et ex furioſis vndis enataui,
Cùm velociſſimo pede deferreris,
Et eodem modo me perſequereris,
Quo Peliden olim magnanimũ Xãthus,
Fluuius Troianæ nationi ſanctus.
Quodlibet hactenus periclum vitaui,
Tam longum per iter alba ductus aui;
Nec Alpium mihi iuga nocuerunt,
Nec imbre candenti niues obfuerunt,
Nec mucrones mihi truces accuſandi,

Acriúmve

Acriúmve dentes ferarum culpandi,
Aut vortice torto rapidi torrentes,
Aut venenifero gutture ſerpentes,
Nec fulmen,nec Eurus,nec atrox caterua,
Quæ ſeruat horrida Phlegethontis arua:
Nec quid ſenſus meos aliud terruit,
Et nigro notari lapillo meruit,
Antequàm tetigi Munatij collem,
Neutiquam miſero viatori mollem,
Cùm ſtirpem Celęnus Auernalis alat,
Quæ nil niſi ſcelus,& rapinas halat:
Et antequàm vidi Ligerim furentem,
Et mecum Lethæas lites exercentem.
Nam celſo Tararæ monte ſuperato,
Perniciter, equo pedibus ærato;
Cùm vellem fælici,fauſtoque ſidere,
Ad Aureliana mœnia tendere,
Salutem commiſi liquido flumini,
Et malè credidi ventorum flamini,
Qui tunc aura mirè ſpirabant iucunda,
Et placidiſsima murmurabant vnda,
Non ſecus ac menſe viridanti Maio,
Et tamen,quod mirum videatur,aio,
Tunc horas Decembres Titana ſecutas,
Et terrigenarum labori tributas.
Sed qui fumum timet,vt vulgò dicitur,
In rapidas ſæpè flammas conijcitur,
Quæ tunc pœna corpus in auras librauit,
Et ad me celeri penna properauit;
Nam ſiluæ formidans opacæ crimina,
In lymphata caput ieci diſcrimina;
Quandoquidem portu Roännes relicto,
Quæ Lemnon doloſo ſuperat delicto,

Mox

Mox ſenſi rabiem ventorum fremere,
Et vndis percuſſam phaſelum tremere;
Nec certè fateor me ſcire, quo pacto,
Flumine tam diris furoribus acto,
Præſentia mortis ſpicula fugerim,
Nec vitam medio gurgite fuderim;
Nam ſi naufragium paſſa nauis eſſet,
De meo capite tunc actum fuiſſet:
Cùm fluminis ima ſequar, vt ſecuris,
Concedens hîc ranis natando ſecuris.
At mecum Pimplæi labores peribant,
Et ſub Tartaream Lethen properabant,
Qui me teſtes erant multùm ſudauiſſe,
Nec integras noctes non vigilauiſſe:
Dum ſtudeo verbis elegantiſſimis,
Quæ placent auribus erudítiſſimis.
Sed me miſerata proles Latonia,
Quæ rupe colitur ſub Heliconia,
Cum cœtu virginum dulcè canentium,
Exemit aquarum ſpumis canentium:
Vt quondam traxerunt filium Thetidis,
Neptunus, & Iuno ſtagnis è feruidis,
Quibus infeſtabat Heroa corniger,
Tandem Vulcaniis viribus moriger.
Sed cur ſæue Liger optabas perire,
Et ad Elyſios penates abire,
Qui ſemper nitidos latices amauit,
Et fluuios magna laude cumulauit?
Num tuos imprudens violauit ignes,
Et ſollicitauit Naiadas inſignes,
Quæ tuas per ripas choros meditantur,
Et tenero pede per prata vagantur?
Vnam tantummodò celebrat amicam,

Quam

Quam ſuis ſcit nunquam rebus inimicam.
Nec de longa laſſus via properabat
In caſtra Veneris, ac furta parabat,
Nec his terris, nec hac conſpicitur lympha,
Quæ SIMONEM pulcro cepit ore Nympha;
Tantò formoſior Ligeriadibus,
Quantò ſol clarior lunæ lampadibus.
Nec cruenta tibi prælia ferebat,
Inermis patriæ fines repetebat,
Phœbëius cliens, & ſacerdos Muſę,
Sępè lyra, nunquam mucronibus vſæ.
Nec æſtum fluminis auari ciebat,
Mercibus, ac gemmis, quas nullas ſciebat;
Ferè nudus parua vehebatur naue,
A Lucia miſer ſpoliatus aue,
Quæ vincit Harpyias Strophadicæ gentis,
Et falleret dolos Neritiæ mentis.
Tu me violaſti primus inter omnes,
Quos vnquam petij cæruleos amnes.
Illæſus amnium ſalutaui regem,
Et illæſus vidi Mincigenam gregem.
Nec me vorticoſus terruit Metaurus,
Licet amne ſuo mugiat vt taurus,
Nec in me ſæuiit paruulus Rubicon,
Quem funeſtum vocat Lucanus Helicon,
Nec me læſit Tibris, nec Tiberis frater,
Nec gelidus Vfens, nec Tartarus ater,
Nec mihi nocuit amœnus Atheſis,
Cuius lucos ornat Aonia theſis.
Incolumis clarum nauigaui Moſam,
Et tutus aſpexi magni Scaldæ Muſam,
Nec vitam rapuit Rhodanus, nec Arar,
In quos ſępè mouit Dionæus Cæſar,

Nec mentem turbauit amnis Sequanorum,
Nec qui blanda rigat arua Leuacorum.
Nec lumine mœſto fleui prope Lyſam,
Flentem Dardanios abitus Elyſam.
Et rate ſecura ſæpè ſum vagatus,
Per Aam, cycnæo cantu delectatus,
Nec timida naue preſſi Medoacum,
Et lætus excepi murmur Adriacum.
Nunquam non iniquus fuiſti Poëtis,
Gaudentibus Cyrrhæ montibus quietis,
Nec plurimis ab hinc diebus etiam
Ronſardus, qui colit domum Teumeſiam,
Prouocans Pindarum carmine Celtico,
Quod non inferius incedit Dorico,
In tui gurgitis vado penè merſus,
Vitæ finem fecit pariter, & verſus;
Et tamen Zephyri tunc blandè ſpirabant,
Nullaque flamina flumina turbabant.
Quin plures alios vates prætereo,
Qui de te queruntur barbariæ reo.
At tibi candore Memnonio Liger,
In Aganippæa nunquam damna piger,
Pro meritis, precor, tuus areſcat fons,
Nec tibi niuales aquas effundat mons,
Nec vllæ vehantur amne tuo rates,
Perpeſſo torridas anni tempeſtates,
Et te flammis premat proles Iunonia,
Quibus olim ſtagna preſſit Dardania.
Nec graues nimboſa cæſarie Noti,
Tuis vnquam ſpirent litoribus noti,
Sed ſicco Boreas ore violentus,
Et quicunque caret vdo rore ventus.
Nec te permittantur augere torrentes,

Altis

Altis de montibus in te concurrentes,
Nec te fleat pulcer cœtus Naiadum,
Nec Panes, nec Fauni, nec grex Oreadum.
Nec poſthâc melicos ſonores audias,
Chorósve ducentem Thaliam videas,
Nec aëdon tua mulceat nemora,
Nec conſpiciatur hac olor in ora,
Sed coccyx, & coruus, & dira Celæno,
Et ſtrix, & noctua non fœlice ſono;
Inque tuis paſtor alueis mox ſiccis,
Amaras præbeat fœdis herbas hircis,
Vel ſeruet hęrentes vix oſſibus oues,
Vel ſquallentes vaccas, vel hiſpidos boues.
Aut hîc vlceribus turpis paſcat equus,
Aut ſeni Sileno gratiſſimum pecus,
Et vlulent lupi rapinæ cupidi,
Et canes ieiunis dentibus rabidi,
Vel proiecta tegant gramen cadauera,
Nec hîc vnquam florem pandant papauera,
Nec creſcat Cytiſus, nec pallor violæ,
Nec thymum, nec Calthæ rubor luteolę.
Quòd ſi peruenias fortè ſub regiam,
Quam rex Oceanus habet egregiam,
Te ſæuo Tritones excipiant ore,
Et te ſuo Nereus exigat æquore,
Et ad peſtifera releget Auerna,
Floribus, & aue carentia verna,
Et nigris miſceat ſtagnis Acherontis,
Et fœdo ſulfuri Pyriphlegethontis,
Quòd ita Dircæos exagites cycnos,
Cycnos fluminibus nectareis dignos,
Vt Stygio tentes inuoluere fluctu,
Antè tua merſos vnda magno luctu;

Cùm truces belluę Trinacrij maris,
Opem non ſperatam tulerint citharis
Leſbiados Muſę,quam depoſuerunt
Iugis,quæ Ledæi fratres coluerunt,
Raptam piratarum votis furentibus,
Et auidiſſimis Erebi dentibus.

AD ANTONIVM CANTELEA ABATEM CLAROMARENSEM.

CAnteleu ſtemmate præſul clariſſimo,
Et auctc doctrinæ fœtu rariſſimo,
Sic mutata rerum ſunt prorſus tempora,
Ex quo Brabantica verſabamur ora,
Ad Leuacos ſaltus,& ripas Diliæ,
Qui prouocat lymphæ ſplendorem Dęlię:
Vt mutatur annus,qui menſe Veneris
Terræ flores omnis dederat generis,
Et nunc fumifero Decembris tempore,
Sparſa videt arua gelido frigore.
Nam Belgæ tranquilla tunc pace gaudebant,
Et vix diſtringuere gladios audebant;
At nunc,cum quiete ſpernunt concordiam,
Nec dediſcunt Marte pulſo diſcordiam.
Sic vbi ſe vident liberos obice,
Coërciti fontes ſeuero iudice,
Erumpere ſuo carcere cupiunt,
Et per campos curſus perennes capiunt.

AD VALERIANVM FLOSSIVM.

FLoſſi Catuacis teneor mœnibus,
Plenis Caſtalię gentis hominibus,
Nec auſim tempore Camœnis non æquo,
Romam cogitare,vel pede, vel equo;
Donec Cerciones ſiluas infeſtabunt,
Atque viatorum cædibus inſtabunt.

Quos

Quos autem foueo penates amice,
Muris haud inuita mente clauſus hiſce;
Cratera præferunt ære clarum fuluo,
Lumina vibrantem, vel tempore furuo;
Quem ſibi plurimi ſignum malint dari,
Per noctem ducentes vela ſæuo mari,
Quàm ſtellata face Caliſto lucidam,
Vel Steropen aſtro gemmante fulgidam;
Quo lucente nunquam timebunt Nerea,
Vel arua turbantes Notos æquorea.
Vnde tibi, ſi nos inuiſeris, fundam
Maronęam ſpumis rubentibus vndam,
Quam non neget Hebe parem ſucco dulci,
Qui ſolet roſeo Iouis ore duci.

AD GERARDVM CORNELIVM.

COrneli diſertis accepte Camœnis,
Et gaudens Parnaſſi collibus amœnis,
Nulla reuiſendi ſpes datur Italos,
Nec ad illud iter meos vertàm talos,
Dum grati Stygijs latrones ſortibus,
Tam multis per ſiluas ſtudebùnt mortibus.

AD IOANNEM CRISPINVM.

IOannes meam, qui miraris Muſam,
Nunquam tamen plectris Mæonijs vſam,
Meos prohibitus Italos adire,
Et murmur Tybridos flauentis audire,
Vrbem repetij rigatam fontibus,
Qui Morandiacis profluunt montibus,
Et nunc vmbrifera ſpatians in ora,
Imbrifera Noti cùm permittit hora,
Verto ſollicitos ad lyram digitos,
Cantuſque lacrymas fallere ſolitos,
Et Alexandręam memoro virtutem,

Miſeriſque Belgis remiſſam ſalutem,
Vt poſſum,non ita ſuffragante Cyrrha,
Sæuis perturbato vocibus, & ira
Gentis ſacrilegæ,quæ ſiluis agitat,
Et quoſcunque videt mucrone territat,
Ac glande plumbea,quod telum reperit,
Quæ gaudet Alecto, cùm quis fortè perit.
Igitur veniam dabis laboribus,
Quos legis,& æquis perleges auribus,
Qui licet careant venuſtate dia,
Fortè tamen tibi parient gaudia.
Coccygos etenim cantus propter aquas,
Cùm ver in paſcua ſollicitat equas,
Æque mouet,quamuis duro ſonet ore,
Nec vocem iucundo variet canore,
Ac Pandioniæ virtutis filia,
Quæ per odorata lauruum folia,
Diuerſos emittit gutture lepores,
Dum fœdos queritur Tereos amores.

AD LAVRENTIVM GAMBARAM.

GAmbara,qui ſtagna fugis paluſtria,
Et colis flumina ſemper illuſtria,
Quæ leuant aridam ſæpe tibi ſitim,
In pratis,quę ſæuam neſciunt Mephitim,
Hyacinthi tecta cœrulo colore,
Et roſis,& grato lilij candore;
Eſtne Romuleæ telluris in oris,
Tanta vis haud ſuo tempore frigoris,
Quale ſentit menſe Iunio Belgium,
Quod odit inſigne pacis egregium;
Et tantis imbribus verberat Adriam,
Quantis Oceani Iupiter patriam?
O quàm denſæ cælo nubes glomerantur,

Et quàm fœdos nobis imbres minitantur!
An redibit triſte diluuium Pyrrhæ,
Quod extat maximę pignus Iouis iræ?
Cùm pluuia celſas obruente quercus,
Nereïdes ſyluis inuenere lacus,
Altiſque Delphines ramis incurſarunt,
Et fului per vndas Leones natarunt.
Nec tamen pueri ſidus vrnigeri,
Aut cura Diones piſces ſquammigeri,
Nunc comites eunt axi Titanio,
Sed Cancer numini gratus Iunonio.
Ille quidem lymphis etiam tegitur,
Et ſibi dilecto flumine mergitur,
Sed petit interdum campos viridantes,
Et errat per herbas ripis incubantes:
At ille Carcinus ſidere fulgido,
Tepenti iuuatur, non imbre frigido,
Nec tantas ſolitus eſt aquas haurire,
Nec Auſtros tam ſæuis flatibus audire.
Qui terras vomere proſcindunt rigido,
Gaudentes Cereris munere florido,
Sæpe ſolſtitijs humorem precantur,
Verùm diluuiem feram deprecantur;
Seque mallent ſæuis coctos caloribus,
Atque Memnonijs tinctos coloribus,
Importuno ſolis ęſtu verberari,
Quàm videre niues æſtate bacchari.
O Cancer quid agis? vbi tuæ vires?
Nonne roboribus adhuc illis vires;
Quibus contra Iouis filium ſtetiſti,
Quem morſu pedibus inflicto petiſti?
Cùm Lernæam claua premeret Serpentem,
Septeno capite prælia gerentem,

Cui vix tandem victa victoriam ceſſit,
Et corpore fœdo Phlegethonta preſſit;
Sed te Saturnia donauit æthere,
Vbi clariſſimo refulges ſidere.
At nunc te ventorum flatu vinci ſinis,
Qui non Herculeis es territus minis.
Ardorem, quo viges, extinguere volunt,
Et luſtrare terras tuam lucem nolunt,
Quæ ſolent feruidum ſentire vaporem,
Et sereniſſimum videre ſplendorem,
Cùm caput oſtentas ſtellis decoratum,
Et ſequeris magnum Phäetuſæ natum,
Tuncque Ceres campis errat flauentibus,
Et tegit capillos ſpicis arentibus.
At tu purpurei comes ſolis frange
Superbos illorum ſpiritus, & tange
Aſtræam ſobolem tuis feruoribus,
Æthera prementem ſuis frigoribus,
Nec ſinentem matris luteę ruborem,
Oſtendere Muſis iucundum colorem,
Ne ſe iactet equos viciſſe candidos,
Qui te cœlo portant, & ignes ſplendidos,
Sed ſub Æolio mugiat carcere,
Apparente terris lucido Cancere.
Sic magnam referes à cunctis gratiam,
Damnantibus menſe tuo ſæuitiam,
Et frigus ventorum, quale non tolerant,
Qui terram Scythicis vomeribus arant;
Sed hanc à colonis referes maximam,
Meſſem relaturis copioſiſſimam,
Si ſegetes læſas frigoris rigore,
Tui iuues aſtri feruido vigore.

A D

AD IVNIVM.

IRenen, quam fudi muſa properante,
Siluularum ſcena tectus viridante,
Dum memoro magnum Ducem Parmenſium,
Hoſtium frangentem minas ardentium
Abſumere noſtras vrbes incendio,
Et nos almę lucis priuare radio,
Vt non ſatis mirer Batauos furores,
Et virum, qui perfert Herculis ſudores,
Vt ad nos reducat exoptatam pacem,
Et extingat Martis funeream facem:
Hanc mitto legendam tibi Lutetiam,
Ac te Iuni precor excuſes etiam
Tibi miſſum munus, quod non vates mittit,
Qui meſſes finibus Mantuanis metit,
Quem ſoles mirari Maia generatum,
Non ſecus, ac magnum Plëiados natum:
Sed SIMON, qui nunquam Pieridas vidit,
Nec agros ad flumen Dircæum poſſedit.
Nec dubito, quin quod à te Iuni peto,
Sim reportaturus domum corde lęto,
Cùm ſiluas laudaris ita nuper meas,
Vt lucis conferres Teumeſijs eas,
Quanquam multa deſunt illis, vel omnia,
Quę vetent Phœbæa ſperare męnia.

AD IOANNEM IACOBVM TONIALVM.

GRauiter dolui fratris tui morte,
Vt omnes, Pimplęa qui lætantur ſorte;
Teſtis pulcerrimus Venetiæ ſitus,
Vbi fleui triſtes illius obitus,
Antequàm linquerem fines Veronios,
Reuiſere volens montes Vatenios.
Ita pius, ita comis, ita bonus,

Nullum frater tuus recuſabat onus,
Quantumlibet graue,magnumq́; perferre,
Quod poſſet Dircęo generi conferre;
Et ita Cyrrhæas virgines colebat,
Et tempora lauro cincta diligebat,
Vt promeruerit viuendo viciſſe,
Quam Neſtor dicitur ætatem vixiſſe.
Et en nouus mihi gemitus paratur,
Nec placidi maris pelagus aratur.
Qui germanus erat natu nouiſſimus,
Sicut Antonius erat æuo primus,
Nuntiatur graui morbo perijſſe,
Et apud Vbias gentes obijſſe,
Adoleſcens,qui vix annos attigerat
Ter ſenos,& lyræ ſcitiſſimus erat,
Sortitus quod nomen gerit cælicola,
Quem canis illuſtrat ardente facula.
Sic licet reuerſum me gaudeat pater,
Et cum patre fratres & verenda mater,
Euitata manu cruenta virorum,
Qui madent in ſiluis cęde viatorum,
Lætitiam tamen haud poſſum fouere,
Nec oculos fletu meos prohibere,
Cùm venit in mentem tuę pietatis,
Quę verſatur orbe nunc acerbitatis,
Dum funera fratris immatura dolet,
Et nil niſi queſtus,& lacrymas olet.
At cùm luctiſonis volueris fluctibus,
Ego ſimul tecum maceror luctibus.
Nam tu lætis rebus,& rebus aſperis,
Alter ſemper ego mihi vocaberis,
Idq́ue propter tuos Iäcobe mores,
Suauitate mira comptos,& honores,

Qui-

Quibus aſſiduè proſequeris nymphas,
Choros exercentes ad Permeſſi lymphas.

AD ALLARDVM OGERIVM FRATREM.

ES germane meo cordi gratiſſimus,
Et id nouit Aa cycnis aptiſſimus,
Nam mater eadem nos àluo protulit,
Et in oras clari luminis extulit,
Meque cælicolûm numine ſuperno,
Iucundè compellas nomine fraterno,
Quod vincit ſapores Cecropij mellis,
Expers amaroris, & acerbi fellis;
Sed es mihi tamen iucundior multò,
Quòd vageris vnà mecum ſaltu culto,
Qui meo pectori ſummopere placet,
Nec genium, qui me verſat, vnquam tacet,
Sequentem Thaliam per floridos montes,
Ad liquidos vndæ Caſtalidos fontes,
Vbi dulciſſima componis carmina,
Sceleratiſſima deteſtans crimina,
Vt domitam claua trinodi ſerpentem,
Stygijs ſaltibus venena ferentem.
Sic caues, ne nomen domus Ogeriæ
Mergatur tenebris Lethes Cimmeriæ;
Studioſè tentans, vt Dircæus olor,
Albis ire pennis, vbi nitet color,
Nunquam violentis violandus Cauris,
Nec triſtes pluuias gignentibus auris.

SIMONIS OGERII
OMBRONTHERINON LIBER SECVNDVS.

Ad Ioannem Sixivm Episcop. Avdomarensem.

HEctor epiſcopus vrbis vocabatur,
Nam forti pectore ſuos tutabatur,
Et quod erat in rem ciuium curabat,
Et oculis ſæpè mœnia luſtrabat,
Ne qua Troiam cauſa neglectam proderet,
Et Achiuos intra muros admitteret;
Nec illo Pergama viuo ceciderunt,
Nec ſeruæ Troades dominos viderunt.
At tu nobis ſolers daris epiſcopus,
Et Sitio prębes cuncta, quæ ſunt opus,
Ac nos ingenio mitis Ioannes,
Seruas Morinorum nitidos ad amnes,
Et vigilantia paſcis magna gregem,
Et paſtoris exples diligentis legem;
Ne fera lupino vultu Caluinia,
Aut Harpyia fœdo ventre Plutonia,
Glorietur multas oues abſtuliſſe,
Et grege de tuo raptas appuliſſe
Ad Acherontium flumen, vbi gemant,
Et æternas ſuis pœnas culpis emant.

Ad Vedastvm Grenetivm Abatem Bertinianvm.

SI mihi bis quinque tribuerent ora,
Quæ Deæ Dircæa dominantur ora,
Et ſinerent cantus elicere chordis,
Quales effundebat vates docti cordis,
Dum Thraçię vallis ſub rupe canebat,

Et

Et huc illuc nemus, & feras trahebat:
Non tamen, vt par eſt, te poſſem laudare,
Nec cunctas virtutes tuas memorare,
Non ſi mihi tantùm donaretur tempus,
Quantum Titanijs eſſet equis opus,
Vt ter recenſerent ſena bis ſidera,
Quibuſcum fert annos Phœbus per ęthera.
Ideò mearum conſcius virium,
Quæ me vetant robur ſperare Clarium,
Vnam tantùm tangam virtutem, qua nites
Inter infinitas multa luce dites,
Et magnum videbor mihi ferre munus,
Si ſic eam mea tantum pingat manus,
Vt nequaquam poſſit luminibus tegi
Eorum, qui parent Caſtaliæ legi.
Hæc autem non caret egregia virtus
Laudibus virorum, qui celebrant ſaltus,
Quos Academicus celebrauit Plato,
Et cum Pollione Tullius, & Cato.
Nam quis ſanæ mentis non laudet principes,
Qui colunt Cyrrhæos Phœbi municipes?
Semper ſtudioſos Sophroſynes almæ,
Et ſic fama tactos, ac gloria palmę,
Vt loto comites Vlyſſęę laudis,
Non expertes tandem Formianę fraudis.
Hoc nam vates pleni diuino numine,
Et ſtolido plebis indigni nomine,
Sollicitè quęrunt, vt ſemper clareant,
Et nullo non æuo celebres clueant,
Stellatum vertice cacumen tangentes,
Et guttura læto nectare tingentes,
Quod deus ſtatuit illis tantùm dare,
Qui vitant obſcœnum Machloſynes mare,

Et

Et puro pectore viuunt,ac ſyncero,
Nec decipiuntur voluptatum mero.
Nec habet Megæra quo vates mordeat,
Et mores Pimplææ ſobolis rideat.
Non hos ſollicitat argentea fames,
Nec ambitionis faſtuoſus trames,
Nec premit poëtas Paphius Cupido,
Nec fœdis infecta vitijs libido.
Otia ſequuntur,ac ſola nemora,
Vbi dulciſſimæ vocis ſoluant ora
In cantum,quo cœli capitur dominus,
Et quo Tiſiphone nihil amat minus.
Nonne celebrandus es igitur ſonis
Teſtudinis altæ,verſibuſque bonis,
Cùm foueas eos,qui fouent mœnia,
Quæ Muſæ ſtruxerunt labis immunia?
Ope tua vates nectunt crinem lauro,
Pretioſiore,quod fert Hebrus,auro;
Et ſicca releuant puro labra fonte,
Qui decidit alto Theſpiarum monte.
Teſtes gymnaſia ſunt Bertiniana,
Tibi mente fota verè Chriſtiana,
Quibus inſtruitur Omerica pubes
Artibus, quæ pellant Amathiæ nubes,
Et oſtendant clarum veritatis ſolem,
Et ſapientiæ Pyropiam molem,
Eorum ſolitam lumine requiri,
Qui volunt per orbem ſe vixiſſe ſciri.
His Heroas factis priſcos imitaris,
Non cęcos,ſed mentis luminibus claris,
Cæſares,Auguſtos, necnon Alexandros,
Exoſos turbantes Hippocrenen Hydros,
Et quos Mecenates multos tulit ætas,

Quæ

Quæ mirè dilexit aurea poëtas;
Et hi munificos amplexati mores,
Non fruſtrà Grynæos amauerunt rores;
Nam pro muneribus æris perituri,
Famam receperunt, hac ſemper victuri.
At vatum ſpretores nocte nigra iacent,
Quorum nomen omnes ignobile tacent.
Igitur tu fautor gentis Pieriæ,
Haud tanges limina domus Cimmeriæ,
Sed curru Delio per cœlum veheris,
Et æternis vatum cantibus diceris.
Nam Smyrnæa virtus non timet ruinas,
Nec longinquum tempus, nec Atropi minas,
Nec Auſtros, nec Iouis irati fulmina,
Aut minitantia pontibus flumina,
Nec pauet armatam Martis ſęuitiam,
Nec diram barbaræ gentis duritiam;
Quæ fata debentur pulcris marmoribus,
Et gemmis, quæ rubris natant æquoribus,
Tectiſque, rogiſque fulgentibus auro,
Oſtriſque bis tinctis artifice Mauro,
Et claris patrio ſtemmate ſtatuis,
Et vrbis inuictę turribus arduis.

AD EDOARDVM LENTIVM,
Blendeckæ dominum, & apud
Audomaropolitanos
Demarchum.

QVi colunt Camęnas, & artes Delphicas,
Credunt fortunatas fore reſpublicas,
Cùm reges earum ſapientes erunt,
Vel legent, quæ verba ſapientes ferunt.
Hoc ſicut eſt dictum, ſi verè creditur,
Cur quæſo non fœlix commemorabitur?

Audoma-

Audomaropolis te conſule facto,
Ad ſapientiæ normam mirè ficto?
Nam quicunque tuas dotes inſpexerit,
Immenſas protinus eas inuenerit,
Et vix Homerica voce memorandas,
Nec vllo tempore ſatis celebrandas.
Cùm genitus eſſes gente perantiqua,
Mox parentes cauti curauerunt, ne qua
Claudicaret parte nobilitas nati,
Et Culpę fœdarent decus bene nati,
Tibiq́ue deeſſent, quæ ſunt veræ laudes,
Quas adulatorum non tribuunt fraudes.
Non etenim ſatis crediderunt eſſe,
Liberos in oras lucis edidiſſe,
Ni curent pariter hos bene formari,
Et fidis doctrinæ ſtudijs armari,
Quæ iurę vocatur altera genitrix,
Et humanę mentis perhibetur altrix.
Ergò tenellulum, plantiſq́ue vix firmis,
Educandum tradunt Diſciplinę formis;
Cyrrhæaq́ue iubent arua peragrare,
Et Camœnas ore caſto ſalutare,
Iuſſuras frequenter vagari per montes,
Vnde Caſtalij proſiliunt fontes;
Et haurire ſancta Sophiæ pręcepta,
Ad flumina lauro viridante ſepta;
Et cingere collum roſis tenerrimum,
Quas Pataræ fundit nemus pulcerrimum.
Igitur ætate ſimul procedente,
Virtus tua creuit Thalia gaudente;
Velut planta manu virginis rigata,
Ne ſæui Leonis rabies ſtellata
Igne tactam ſuo cogat areſcere,

Et

Et triſtes ocellos fletu turgeſcere.
Ac ſub Cyrrha diſcis, quę tradidit Plato,
Doctrina mirandus, & humero lato,
Quæque Virgilij blanda canit Muſa,
Quæque Periclæis fulminibus vſa,
Demoſthenis Graio lingua tonat foro,
Et quæ nectareo narrat dignus toro,
Hiſtoricus aula natus Olorica,
Cuius phraſim turba miratur Attica.
Et ita præceptis Sapientum miſſis
In pectus, accedis hortantibus Muſis,
Ad rem, quæ publica dicitur, tractandam,
Eamque commiſſam tibi gubernandam,
Sapienter, atque modeſtè gubernas,
Nec bonos ſeueris vocibus externas;
Neque te pupillus, nec vidua carpit,
Nec tui tædium niſi malos capit.
Quare perpetuum vellet te rectorem
Vrbs hæc mirè tuum celebrans honorem.
Nam te doctis canunt plectris Omerides,
Et his vocem ſuam iungunt Bertinides,
Iuxta patris Aæ flumen purpureum,
Et nitidos montes, & nemus floreum,
Siue Sol Eoo prodeat littore,
Siue Tarteſſio ſe condat æquore.

AD LEONEM CŒLESTEM.

EGi ſępe fero Borcę gratias,
Dum ſpiraret, mihi ferens ſuppetias,
Suis te temperans ſiccis flaminibus,
O Leo prædite feruidis ignibus,
Et augens acuti feruorem Titanis,
Sideribus æſtu torrido veſanis.

Cùm

Cùm ſpicę Iulio nectuntur crinibus,
Eleuſinæ matri dictis carminibus.
Cumq́ue ſitibundum poſcit aquàs pratum,
Egregijs florum coloribus ſtratum,
Et æſtum niueæ refugiunt oues,
Et vmbras,& frigus paſtę captant boues;
Ægriquę mortales lętantur fontibus,
Et multa veſtitis arbore montibus.
Nunc oratum velim te decus leonum,
Vt cum ſole ſedes iras Aquilonum.
Nolim flauo meſſis tempore frigora,
Qualia ſunt,quando profert hyems ora,
Et flumina gelu nectuntur acuto,
Et arua rigore caneſcunt hirſuto,
Vt nec valdè placent æſtatis feruores
Menſe,qui Chironis obſeruat honores.
Sed cur Leo flagrans igne ſidereo,
Præter morem riges menſe Cæſareo,
Vt Ægocerotis ſuperes frigora,
Quæ gelida ſumunt hyeme robora?
Cur ſic dominari permittis algores,
Cur æthere nulli labuntur ardores?
Vbi nunc tua vis,quid ceſſat Sirius,
Nunquámne feruescet, vel ęquo ſerius?
Algerem ſub canis æſtiferi ſigno,
Niſi frigus multo depellerem ligno.
O Delie,cur nunc friges?vt opinor,
Amare deſinis,& Venus eſt minor,
Quàm tibi ſolebat,vtinam caleres,
Vt tunc caluiſti,cùm Daphnen arderes.
Si nos ô Sol ſpernis,& tu magne Leo,
At honor Ennęæ ſit,& Eleleo.
Vterque laborat,& eget feruore,
Vt

Vt optato tandem coronetur flore.
Nec vobis gratia ſit vilis nympharum,
Quæ colunt flumina,lucoſq; ſyluarum;
Tali nefas cœlo choreas ducere,
Et florea verſus per prata dicere.

AD ADRIANVM RHODIVM.

ADriane Rhodi Phœbo gratiſſime,
Et Machaonio ſaltu notiſſime,
Et ſic inter natos Hippocratis præſtans,
Vt iucundiſſimis odoribus fragrans,
Inter purpureos flores prȩſtat roſa,
Merito vocanda nomine formoſa:
Tireſias vates Thebanus dicitur,
Si Cyrrhæ talia canenti creditur,
Fuſte non fœlici percuſſis anguibus,
Per Heliconios ſaltus vagantibus,
Protinus viriles vultus exuiſſe,
Atque fœmineos artus induiſſe.
Has ſerpentes lȩſi pœnas exigebant,
Et ſic ſæua Iouis numina poſcebant.
Nec ſemel doluit vates fatidicus,
Quòd ſe tetigiſſet tam grande dedecus.
At hoc eſt imprimis mirandum tempore,
Quoſdam barbigero decoratos ore,
Suis faſtiditis,capi nominibus,
Vſurpandis ſolis à mulieribus.
Scilicet vt magnus Palȩmon voluit,
Nec grammaticorum conſenſus noluit.
Sed tamen vocibus gaudent Heroinis,
Id quod laudi datur,& verè Reginis.
Nam ſe Therſitæas nolunt Ineptias,
Nec ſe Margitȩas dici Stultitias,
Et excludunt aure ſua Vecordiam,

Nec admittunt poſte ſuo Socordiam,
Sed illuſtri ſono Dominationes,
Et Auguſta voce Venerationes,
Ac Veneto more Magnificentias,
Nunquam tamen volunt Munificentias;
Nec prudentiſſimas Virtutis comites,
Nec Dicen,nec Themin, nec Camœnas mites.
Hoc prodit,vt aiunt,ſpiritus animi
Excelſos,& vulgi contemptores imi,
Et qui dominari cupiant ad ædem,
Qua Philotimia ſuam fixit ſedem.
Quanquam voces captant & has balatrones,
Et cum meretrice perfidi lenones.
Nam germanos ruris mores obolebat,
Et vrbanitatis ſales abolebat,
Quod minaci pede TV TV ducebatur,
Et ſemper,& paſſim cuiuis dicebatur,
In foro,palęſtra,ludis,quadriuio,
Et ſtructo dapibus lautis conuiuio;
Homini præſertim locuplete zona,
Et claro veſtitu,grauiq; perſona.
Nec vox iſta læti ferebatur ſoni,
Nec alitis fauſtæ,nec ominis boni,
Sed imitabatur infœlices ſonos
Noctuę,nocturnos perturbantis ſomnos.
VOS olim Cæſari tribuebant ſoli
Auſonij ciues,& Quirites olli,
Cùm iam Prętor,Conſul,Tribunus,Ædilis,
Pontifex,Dictator,Augur eſſet illis;
Atque dignitates omnes occuparet,
Et in vrbe,victo ſenatu,regnaret.
Sed rauco videtur ſono mugire bos,
Aëra cùm ferit,& aures iſtud VOS,

Vel

Vel exprimit canum fremitus latrantes,
Vel ranas viridi palude rixantes.
Ideò mollibus iuſſis Aulicorum,
Et verbis Gnathonum lepidiſſimorum,
Dominationis vox blanda proceſsit,
Et nimis aſpero nomini ſucceſsit.
Nec hoc reprehendet vllus ſapientum,
Nec exagitabit vllus eloquentum,
Quod homines belli, nec inelegantes,
Et totos odores Arabum ſpirantes,
Excogitauerunt ſolerti pectore,
Et vrbaniſsimo dictauerunt ore;
Vt ſcilicet vili procreatus humo,
His demulceretur epithetis homo,
Qui mox ætherea luce priuabitur,
Et obſcœnis eſca vermibus dabitur:
Niſi Democritus cenſor grauiſsimus,
Et Menippi lepor longè ſuauiſsimus,
Qui deſtinet illis Anticyras omnes,
Quæ vident, & polos, & Stygios amnes;
Quòd ſui nominis affecti tædio,
Vt cœlites ſono dici velint dio.
Sed illi ſub nocte cenſores habitant,
Et æuum Lethæos ad lacus agitant;
Nec nos irridebunt vllis temporibus,
Vt Typhonas fœdis gaudentes floribus.
Nam Dominatio, nec dubium, noſtra
Nos inter nitida collocabit aſtra,
Nec in Tartareum ſpecus deſcendemus,
Cùm corpus animo noſtrum deſeremus.

AD PETRVM LIGNIVM
PIPPEMONTIVM.

CVR me meam Daphnen prohibent amare,
Nullis ô amice partibus amare?
Funera Lethæis ſparſa liquoribus,
Sola me reſoluent iſtis amoribus;
Mentior, nec mortis terribiles iræ,
Nec fontes Stygios incolentes Diræ,
Effigiem mihi iucundam delebunt,
Sed vanos hîc ſuos labores dolebunt.
Nam vel ingratijs Ditis,& Cerberi,
Monſtri Meduſæis ſerpentibus feri,
Inter Elyſias pulcra fronde lauros,
Vbi lyram pulſat Thrëicius heros,
Virginis inſignem formam prædicabo,
Et eius doctrinam ſemper reſonabo.
Quòd ſi fatilegas Atropi comites,
Quæ nullo tempore ſolent eſſe mites,
Ego dei iuſſu cernam poſterior,
Illa Sibyllina luce digna prior:
Tunc Hyperionis iucundi lumina,
Erunt mihi mortis vt nigræ limina,
Nec vnquàm ceſſabo lacrymas fundendo,
Et męſtos gemitus pectore ducendo,
Horrentes ſagittas prouocare leti,
Illa tempeſtate mihi tamen læti:
Donec mihi detur reuiſere meam
Omnibus fulgentem virtutibus Deam.

IN PHLYARON.

AIS deſtitui me vocis munere,
Pręſertim cùm menſa tegitur Cerere,
Et gaudentis ſomno Nyctelij donis,
Alijſque gratis conuiuio bonis:

Hoc

Hoc in me vitium nunquam notauerunt,
Qui bene me viri ſagaces nouerunt,
Liſca,Cerutides,Peranda,Muretus,
Carga,Frizolides,Gambara,Sirletus.
Nec alij quos fert Italia vates,
Nec illi quos alunt Belgici penates.
Quos inter non bene Floſſium tacerem,
Et malè Criſpinum,Thomamque ſilerem,
Percuſſaſq; Petro fides Gillemano,
Minimùm cedentis Dictynnę germano,
Et Seclinenſium decus Dyderium,
Et cum Iamotio dulcem Ferrarium.
Nec fas pręterire lepóres Blondelli,
Cum laude certantes Cecropio melli,
Nec virum,quem colit gens Betencuria,
Colentem Parnaſſum procul Barbaria.
Ergo cur ad ſcyphos muſſitas fœcundos,
Vbi Liber facit infantes facundos?
Quia tunc auribus nil haurio meis,
Quod probari poſſit Caſtaliæ Deis,
Et cuncta reſonant verbis ſcurrilibus,
Atque Therſitęę voci ſimilibus.
Nulla fit mentio diuini Platonis,
Nec docti Plinij,nec magni Catonis.
Nec vllo ſermone laudatur Homerus,
Nec Andinus vates eius frater merus.
Tacetur & autor ſanctus Euripides,
Atque Ptolomæus,atque Thucydides.
Nec vel tempeſtiuè,vel quamlibet ſerò
Ad epulas venit lepidus Cicero.
Nec odori flores collecti ſub ora,
Quam viridem Cyrrhę faciunt nemora,
Inferuntur menſę ferendi frontibus,

Purpureo Bacchi flore feruentibus.
Spurcities Oſca regnum tenet ibi,
Nullo non tempore gratiſsima tibi;
Et clamor aſellis dignus Arcadiæ
Expertis carminum Melpomenes diç.
Vel oritur Midæ placens oratio,
Diſplicens exoſo ſordes Horatio.
Nec non ſacrilegæ probantur vſuræ,
Et laudantur naues lucra relaturæ.
Atque maledictum fortiter ſeritur,
Et abſentis turbæ gloria teritur.
Has ob cauſas non eſt Phlyare mirandum,
Nec tuæ dicaci Thaliæ culpandum,
Si muto mutior vel ſaxo, vel piſce,
Aſſideam vinis, & dapibus hiſce;
Et ore tacito reddar Harpocrates,
Quem ſapiens nunquàm culpet hîc Socrates.

AD GVLIELMVM SCOYTHEVM.

GVlielme robur ineſt achthophoris,
Et meretricibus ſplendor ineſt oris:
Veruntamen ad ſe neutrum trahit horum
Oculos hominum prudentiſſimorum.
Nam baiuli vile robur perhibetur,
Licet ferre Taurum poſſe memoretur,
Quia ſuas paruo vires ære vendit,
Quóque iubes ire vel trinummo tendit.
Sic lupæ venuſtas nihili penditur,
Et quantumuis pulcra facies temnitur,
Quia quæſtum facit infamem corpore,
Et canino viuit impudenter more.

AD PETRVM LIGNIVM PIPPEMONTIVM.

SApientum quidam dicitur dixiſſe,
Cùm videret lucem ſupremam luxiſſe,
Se pœnitentiam trium ferre rerum
Ad Stygiam Lethen,& Ditem ſeuerum.
Si quando per aquas iter habuiſſet,
Cùm ſibi per terras ire licuiſſet.
Et ſi credidiſſet mentem mulieri,
Quod ſolet Arcano vetante fieri.
Tum ſi quam clauſiſſet diem,nec legendo,
Nec aliquid ore cupido diſcendo,
Quod ſe reddidiſſet ſapientiorem,
Et multò,quàm prius,Ligni,meliorem.

AD ASCANIVM SCALIAM.

TRia memorantur Aſcani peccata,
Longè fœdiſſimis maculis notata,
Quæ laceſſant dei terribiles iras,
Nec pœnæ differant venientis horas.
Hæreſis,in cœlum dicta conuitia,
Et quę placuerunt Sodomæ vitia.
Hęc vbi delicta grauiſſima florent,
Quæ veritæ Deum pię gentes horrent,
Ibi dira feruet tempeſtas bellorum,
Ac celeres iactus ſtrident iaculorum,
Et graſſatur peſtis,atque febris mala,
Quibus horribilis inſtat mortis ala.
Nec hyberna ceſſat niue diues amnis,
Diluuio campos miſcere quotannis.
Et ſæuit in meſſes,& vineas grando,
Et deſilit fulmen ictu formidando.
Atque frequens terræ trepidantis motus,
Pallidos incutit indigenis metus.

Feriſque Boreas flaminibus mugit,
Euerſiſque tectis,ac turribus fugit,
Nec ſoles ęthere vehuntur lucidi,
Sed obſcuro vultu triſtes,ac luridi.
Et æſtates aura leni breuiſſimę,
Et hyemes acri gelu longiſſimæ.
Seruntur que manu ſemper larga lites,
Sollicitudinum veræ ſatellites.
Amor que virgines impudicas vrit,
Ac adulterio coniunx mala furit,
Et partus eduntur patri diſſimiles,
Et perditiſſimi nępotis ſimiles.
Si qua vehit merces per æquora nauis,
Illam Cimmeria comitatur auis.
Breuiter malorum floret hîc Ilias,
Nec hîc Euphroſynes aſpicis filias
Ore lætiſſimo carmina fundentes,
Et alacri pede chorę as ducentes.

AD DOMINICVM LAPIOTVM.

DOminice putat beatum poëta,
Cuius pennæ fauet Aſcræus aëta,
Quiſquis egregio valet conſilio,
Et vanos errores multat exilio,
Hac in re nullius indigens opera,
Et per ſe ſapiens,& cinctus hedera,
Qua cautam redimit Prudentia frontem,
Ad lucidiſſimum Pieriæ fontem.
Et illum fœlicem vates idem dicit,
Qui cùm tardiorem ſe pectore ducit,
Conſilio paret amicè monentis,
Nec iuſſa negligit hominis prudentis.
Eris proptereà nunquam non beatus,
Quocumque terrarum protendes meatus

Et

Et in negotia caput geres ſanum,
Et fœlicem rebus implicabis manum.
Nam quamuis nullius monitis egeas,
Et per te rem tuam prudenter augeas,
Tamen non reijcis ſapientum voces,
Ne domum cum damno Rhamnuſiam voces.

AD ANTONIVM TIRANTIVM.

STudioſè debent canes imitari,
Qui volunt ſtudia Mauortis ſectari.
Canes fidi lares ſeruant domeſticos,
Exagitant fures, ac vultus hoſticos.
Sic boni milites in hoſtem graſſantur,
Et ciues mucrone fideli tutantur.
Sed tamen Antoni noſtra tempeſtate,
Vigentibus malis, & crudelitate,
Hęc Socratis iuſſa non optimè colunt
Pleriq́ue, qui dici ſe milites volunt.
Nam clades inferunt maiores ciuibus,
Quàm viris aduerſas partes ſequentibus,
Quorum rarò fines opulentos vaſtant,
Et lętas ſegetes, & agros infeſtant.
At ciuium mactant crudeliter oues,
Et opimos cædunt, vel abducunt boues,
Ac vim venerandis ferunt virginibus,
Et matrimonio iunctis agminibus.
Tùm ſi quas poſſident opes diripiunt,
Et inſuper vitam truces eripiunt,
Si damnare ſuis hęc verbis audeant,
Et contra conatus ſceleratos eant.
Quin meſſes, & villas circumdant ignibus,
Et ruſticos mulctant damnis inſignibus.
At cùm vident hoſtes ad pugnam paratos,
Tunc oſtendunt pedes fugæ turpi natos.

SIMO-

SIMONIS OGERII
OMBRONTHERINON
LIBER TERTIVS.

Ad Sixtvm Qvintvm Pont. Max.

Pontifex, qui Pius dicebatur Quintus,
Ab ijs qui virum cognouerant intus,
Heros habebatur acer,ac diligens,
Nec vllo temporis momento negligens,
Dum Tiberis fluet ſemper celebrandus,
Et Aganippæa voce memorandus.
Nam miſsis in mare ſuperum copijs,
Magnam dedit cladem gentibus impijs,
Et tinxit pelagus Ionium tabo,
Quod olim celebri carmine cantabo,
Si mihi faueant ſorores diuinæ,
Per arua currenti Doridos marinæ.
Tunc arcus natarunt, & ſagittę leues,
Et merſit galeas Galatea læues,
Ac obruit vnda milites Geticos,
Qui ſibi ſperabant faſces Italicos,
Et moliebantur Galliæ ruinam,
Et Anglos,& Sueuam petebant pruinam,
Ac Hiſpanis ſæuas parabant catenas,
Et lora,fuſteſque,nec dapes amœnas.
Tunc Turcia fleuit,ac rupit capillos,
Et indigna mente tulit caſus illos.
Teſtis Achelous,atque Perimele,
Et quæ Nymphę fundunt Iſthmiaca mele.
Quòd ſi diutius vixiſſet, nec raptus
Tam citò fuiſſet terris, erat aptus,
Vt cenſent periti rerum bellicarum,

Fran-

Frangendis omnino viribus Turcarum.
Et Quintus Iberi Carolus regnator,
Egregius, ſi quis vllus, imperator,
Hanc ſtirpem Scythicam ſceptris excuſſiſſet,
Et cunctis, quæ tenet, regnis exuiſſet:
Si non faceſſiſſent ſibi negotium,
Dum Turcas agere non ſinit otium,
Celtæ cum Germanis, quorum magna virtus
Memoratur Solis vel primos ad ortus.
Ita qui principes Quinti nomen ferunt,
Magna pollicentur de ſe, nec ſe gerunt
Placidè cum Turcis, & impia gente,
Quæ paſſim ducitur Tartarea mente.
Sed pugnas libenter illis meditantur,
Et Panolethriam triſtem machinantur,
Nec temerè lucis ſubeunt exitus,
Ni prius contundant ſuperbos ſpiritus.
Ideo ſperamus ſub te Quinti nomen
Sixto coniungente, velut fœlix omen,
Iri debellatum, qui colunt Thraciam,
Et malis exercent auibus Græciam.
Tibi magni cenſus, ſenecta viridis,
Othomanos odit dominus Perſidis,
Pietate flagras maxima, ſequentur
Tuos nutus omnes, qui Chriſtum verentur.
Et quis erit arma qui ferre recuſet,
Et hîc graues belli labores incuſet,
Vt Chriſti ſepulcrum iugo liberetur,
Et euangelica dulcedo libetur
Omnibus in locis, quæ perſonant lyræ,
Quas pulſant digitis Arabides Diræ?
Satis diu Mauors floruit ſceleſtus,
Nunc miles floreat ſceleri moleſtus.

AD

AD PHILIPPVM HISPANIARVM REGEM CATHOLICVM.

VAtes Mycenęum celebrauit regem,
Quòd populo diti ſanctam ferret legem,
Imperans duobus, vel tribus opidis,
Refertis ouibus, ac bobus validis.
Sed quid Mæonius poëta diceret,
Quibus carminibus dignum te duceret?
Si reuerteretur permiſſu ſtygio,
E campo floribus vernis egregio:
Et te conſpiceret non tantum duorum,
Vel trium regnare ſeptis opidorum,
Sed tenere manu ſceptra vel trecenta,
Nec Tritonas forma natos truculenta
Tridente donatum regem recuſare,
Sed vt Neptunium numen obſeruare,
Cum regnis, quæ nati luſtrant Antipodum,
Qui contra nos figunt veſtigia pedum,
Orbis nouus, nunquam cognitus Germanis,
Nec Argiuis olim, nec bonis Romanis,
Qui ſcilicet latè reges dicebantur,
Et magni domini rerum ferebantur.
Te colit etiam pulcra Parthenope,
Vbi ſedem fixit docta Calliope,
Et tuos patitur titulos Typhoëus,
Et qui cingit moles Æolias Nereus.
Te Tagus honorat aureo flumine,
Et Sardous Auſter tepido flamine,
Quique regna tenent vndiſoni maris,
Quod ſibi vindicat tellus Balearis.
Tibi ſe ſubmittunt Inſubres, & Belgæ,
Qui gaudent Flandricæ litoribus algæ.
Certè nunquam dici poſſet potentia,

Qua

Qua te Dei donat munificentia,
Et hîc Mnemoſynea verba deſtituant,
Quæ terminos illi ſuos conſtituant.
Quin annuet tandem tibi ditionem,
Quam ſibi ſtatuit Turca ſtationem:
Nec abnuet tibi montes Armenios,
Nec Ioui ſacratos ſaltus Ammonios.
Nam tu pius, ſumma pietate colis
Regem, quem ſuſpicit ſidereus collis,
Et Romanæ foues eccleſię ritus,
Et odiſti gentis Bezanæ ſpiritus:
Nec Lycaonios pro nepotes ſinis,
Vrbem ſanctam ſuis territare minis.
Vnde datur nomen tibi Catholico,
Illuſtrius multò nomine Perſico,
Vel quæ donabantur imperatoribus,
Alicuius olim gentis victoribus.
Et qui pij cultus fuerunt amantes,
Nullo reges æuo dicti ſuntamentes.
Nec tantùm longęua luce floruerunt,
Sed maiora ſemper regna tenuerunt,
Quàm ſceptris fortibus aui poſſederant,
Et ſibi parentes morte reliquerant.
Teſtis Solomonis pater mitiſſimus,
Et natus Pipini longè fortiſsimus,
Ac tuus genitor, qui ſpreuit labores,
Nullos cœlicolis laturos honores.

AD ALEXANDRVM FARNESIVM PARMENSIVM DVCEM.

NON ego te meis excipiam plectris,
Heros Mattiacis metuende ſpectris?
Nec vlli concedens illuſtri ſanguine,
Nec antiquæ domus celebri nomine,

Far-

Farneſiæ gentis pręclara propago,
Et aui Cæſaris virilis imago,
Belgas bello tutans cum ſuis opidis,
Et imperans turmis prælio validis.
Si te Tyndarea videret filia,
Inter multa virûm fortium milia,
Remiſſa ſuperos ad orbes è prato,
Roſis,ac lilijs Elyſijs ſtrato,
Ita permittente rigido Plutone,
Nec inuita Lethes domina Iunone:
Ea daret tibi laudum pręconia,
Quibus acta tulit Agamemnonia,
Tunc cùm Graiugenas Priamo monſtrabat,
Et eos de turre Troiana laudabat.
Teq́ue iudicijs,ac prę lijs clarum,
Aſſereret Phœbo,Mauortiq́ue carum.
Vtrumque colere numen voluiſti,
Simul lyrę,ſimul tubę ſtuduiſti.
Et artes bellicas iunxti pacalibus,
Quæ duo pariunt famam mortalibus;
Imitatus duces excellentiſſimos,
Et vatum carmine decantatiſſimos,
Magnanimum regem Pellæ generatum,
Qui regem proſtrauit Medo patre natum,
Atque Scipionem metum Carthaginis,
Et Iulium cladem Gallæ propaginis.

AD LVDOVICVM BARLÆMONTIVM ARCHIEP. CAMERACEN.

DEbemus principi multa Parmenſium,
Qui parmis,& claris ictibus enſium
Nos tectos defendit,ne rigidus Mauors,
Et gentis violet ſacrilegæ cohors.
Quapropter extincta belli dira face,

Et

Et reddita noſtræ regioni pace,
Duo docta manu ſerta nectent Dei,
Quibus magnum caput inſigniant ei.
Et Liuor Megæra genitus lugebit,
Cùm laurus oleæ coniuncta fulgebit,
Parmenſis herois ſanctis temporibus,
Qui cunctis vireſcet honor temporibus.
Sed veſtræ debemus non parum domui,
Quæ nec laboribus parcit,nec ſumptui,
Vt Martem Belgica pellat ditione,
Et mulcet gelida Thracum ſtatione;
Qua propter rigida Strimonis flumina,
Quæ vexant æterna Boreę flamina,
Dicitur editus nupta magni Iouis,
Vel Hydrę potius peſtiferis ouis.
Vt tuos omittam fratres fortiſsimos,
Atque Batauico Marti notiſsimos:
Quid illa pietas tua Ludouice,
Qua Dircææ gentis eſt canenda voce?
Seu Sol matutinam ferat imaginem,
Seu nox veſpertinam fundat caliginem,
Cunctis locis tuæ iuriſdictionis,
Quæ tractus occupant latæ ditionis,
Preces pia iubes fundere pectora,
Quæ molliant cautes,ac ferri robora,
Et lacrimis oras effuſis Tonantem,
Vt ponat Ægida fulmine ſonantem,
Et mala ſolutos Belgas diſcordia,
Sempiterna iunctos liget concordia.
Et credimus votis aures præbiturum,
Atque pacem Deum nobis redditurum.
Nam quid preces tandem nequeunt facere?
Illę deum poſſunt,quò volunt,lacere.

Opem

Opem Moſaïcę preces attulerunt
Iudæis,qui metu pulſo pepulerunt
Agmen barbaricum ſuis cuſpidibus,
Et terram tinxerunt hoſtium cędibus.
Preces Solis equos labentes ſtiterunt,
Et Ioſuę lumen roganti dederunt,
Dum ſe ſatiaret gladius mortifer,
Ne victos ſeruaret Heſperus noctifer.
Et fuſis precibus regnator Sionis,
Effugit impios enſes Abſolonis,
Et manum ſedauit ſuos occidentem,
Et exegit vrbe morbum peſtilentem.
Quin cùm triſtes æſtus mortales vrgerent,
Et ſaltus & montes humoris egerent,
Magni preces vatis orbem refecerunt,
Et largos Telluri rores ſuffecerunt.

AD CLAVDIVM BARLÆMONTIVM
Altæpennæ dominum.

GErmanicus Cęſar bello clariſſimus,
Et Heliconia laude rariſſimus,
Oſtendit qua dote debeat ditari
Ductor exercitus,ſeu terra,ſeu mari:
Si ſe velit parem vocari Superis,
Atque perpetuò cantari poſteris.
Huius Claudi magna premis veſtigia,
Qua contendit,via ductus egregia.
Nam pręlijs præſtas Peleos filium,
Qui multos ſuperbum ſtrauit ad Ilium;
At Aganippæa Linum reddis arte,
Quem Phœbus cithara donauit ſolerte.
Sic familiares tuos iuuas domi,
Et foris hoſtilem manum fundis humi,
Et hac arte ſtellas alta petes penna,
Nec Orci Lethæa terrebere pœna.

AD ALEXANDRVM FARNESIVM PARMENSIVM DVCEM.

ALEXANDER Heros cordis egregij,
Quem iure vocamus clypeum Belgij,
Et ob ſolertiam, quâ Mauortem regis,
Et fortitudinem, qua populum tegis;
Te quis dedignetur conuiuio Diuûm,
Semper ſociantem Delio Gradiuum?
Sic enim fecerunt antiqui Principes,
Atque viri veræ laudis participes;
Quos defunctos terris collocauit polo,
Fama Cimmerio nunquam viſa ſolo.
Magnus Æacides quem laudat poëta,
Ad Colophonia genitus laureta,
Non ſolùm vibrare iacula ſciebat,
Sed cithara cantus etiam ciebat,
Et clarus in foro, pugnaque Martia,
Robore præſtabat, & eloquentia.
Heroes Pellæi, Cæſar, & Scipio,
Lucullus, Catonum gens pectore pio,
Atque Neoclides decus Athenarum,
Et Epaminondas gloria Thebarum,
Bellicæ virtuti iunxerunt Camœnas,
Et lyræ ſtrepitus, & artes amœnas.
Quique dux excellit robore corporis,
Nec ſimul effulget virtute pectoris,
Vt vmbra dicitur Orco volitare,
Nec in Tireſiæ caſtris habitare.
Nec mirum, ſi miles demittat lacrymas,
Tali duce miſſus tenebras ad imas,
Et dulci priuatus victoriæ fructu,
Et Lethæo merſus ante diem fluctu.
Quare propter vrbes, quas multas poſſides,

Et opes quas arca cumulatas vides,
Ac decorem vultus, & nobilitatem,
Et antiquiſſimæ domus claritatem,
Videare multis meritò laudandus:
Sed tamen es multò magis admirandus,
Propter mentis tuæ dotes non obſcuras,
Et animi laudes nunqnam morituras;
Non fortunæ cæcis tribuendas donis,
Sed tui ſolius adſcribendas bonis.
Me verò, cùm talem te videam, monent,
Et ſponte, quod aiunt, properantem mouent,
Vt te mirer, colam, laudem, ſuſpiciam,
Et qui tale decus ſpernunt deſpiciam.

AD CAROLVM LONGOVALLVM
BVSCOIÆ COMITEM.

PAter tuus artes Martias dilexit,
Et ad ſe virtutes Clarias illexit,
Quem ſibi Philippus legerat comitem,
Et bonum Mauortis, & Dices militem;
Sed cùm te teneris ita vident annis,
Amare Dircæi ſacros fontes amnis,
Et errare ſilua Caſtalidos vmbræ,
Et legere flores prope iuga Tymbræ;
Arbitrantur omnes te ſuperaturum
Laudibus parentem, nec ſecus victurum,
Quàm vicit Achilles virtute Pelea,
Et Theſeus validis viribus Ægea,
Atreumque rebus geſtis Agamemnon,
Tithonumque fama bellicoſus Memnon.
Dent modo virtuti tuæ locum fata,
Et tempus fatali fuſo gens armata.

AD LAVRENTIVM FRIZOLIVM.

LAurenti tot nubes Cæcias glomerat
Aëre Belgico, quot ſtultus numerat
Arenas litore flauenti iacentes,
Aut quot gerunt ſiluæ robora virentes.
Et eſt mirum nimbos brumales vigere,
Et terram Scythico frigore rigere,
Menſe quo coluntur Laurentij feſta,
Quæ feruere ſolent ſolibus infeſta,
Vix venti gelido leuandis flamine,
Vel vmbroſo ſaltu, vel vdo flumine.
Licet Partheniis gaudeas iaculis,
Nec Paphiis virgo feruea facculis,
Sanguis tamen venas decebat tepidus,
Non Hecubaicus, non ita frigidus.
Num vis Icaridum ſplendor æmulari
Anum Dyndimenen flore puellari?
An quia meſſores patrem iugularunt,
Et herili tabo ſeſe macularunt,
Nunc pœnas repoſcis à ruſtica prole,
Nec permittis vuas maturari ſole,
Nec doliis lætum recondi liquorem,
Quem vocas patrij funeris autorem:
Vt ſic agreſtium cenſus minuantur,
Ac villica domo luctus ſtatuantur;
Et vino viduæ fleantur feriæ,
Et lacrymæ patri cadant inferiæ?
Ah animum placa virgo mitiſſima,
Nunc Hyperionis comes citiſſima.
Erit turpe tibi, tolerare Notum
Imbre procelloſo ventum terræ notum,
Ita menſe tuo per cœlum vagari,
Et Rhodopeïo flamine bacchari.

Non audis Auguſtum,qui vates dilexit,
Et donis ad cantus varios illexit,
Rogantem,recrees poëtas ignibus,
Quos æthere portas claris luminibus?
Hi timent imbrium fœdam tempeſtatem,
Cùm lyra capere volunt voluptatem,
Nec cithara reddunt optatos ſonores,
Niſi ſiderei fulgeant honores;
Tunc chordæ ſecuri frangendæ procedunt,
Et ad fontes rectà Cadmæos incedunt;
Et celebrant deos,& Deûm ſanguinem,
Et qui virtutibus ornatur hominem.
Quòd ſi vatum iuſtas preces audiueris,
Reducta tepidi temperie Veris,
Tua tunc lumine fulgenti ſidera,
Erunt curæ viris ornatis hedera;
Et tu pulcerrima cum ſplendore tuo,
Excepta florebis cantu perpetuo.

AD AVGVSTINVM ROCHVM.

GErenius eques,cùm videret Græcos,
Pectoribus ira tumentibus cæcos,
Et Agamemnoni minantem funera,
Qui ſibi dolebat eripi munera:
Feſtinauit diras componere lites,
Inter eos,quibus parebant milites,
Et in hæc prorupit Neleïus verba:
O quantùm Pergama gaudebunt ſuperba,
Et Troës,& magni regia Priami,
Et filij verè Martiales rami,
Iuſſuri ciuibus,cœlicolis cædant
Pingues Hecatombas,nec ab aris cedant,
Niſi grata prius fuderint carmina,
Ob ſata malarum litium crimina,

Inter

Inter hunc & illum fortiſſimum ducem,
Quos Græcia ſuam nominabat lucem.
Hæc controuerſia, proh dolor, & pudor,
Erit cauſa quare diſtillabit ſudor,
Artubus Argiuis mixtus cruoribus,
Quos fundent mediis campi pulueribus,
Hectore de nobis mittente plurimos,
Ad triſtis Erebi lacus teterrimos,
Quorum membra canes diſcerpent auidi,
Ad ripas Scamandri fluminis rapidi.
Hæc & plura Neſtor fundebat lacrymans,
Ad pacem Danaûm ductores animans.
Sic nos Auguſtine poſſumus dicere
Chriſtianis ſuo violatis ære,
Atque ſuas vrbes igne vaſtantibus,
Nec iræ ciuili terminum dantibus.
O cur Chriſti ſacro redempti ſanguine,
Amoris fraterni ſepulto nomine,
In vos violentas manus conuertitis,
Et in cladem veſtram gladios cuditis?
Quanta lætitia Turcæ perfunduntur,
Et quot præ gaudio lacrymis tinguntur,
Cùm diris audiunt diſſenſionibus
Veſtras premi terras telis, & ignibus,
Et ſeſe quietas ſedes poſſidere,
Et apud ſe lætam pacem reſidere,
Indieſque ſuos fines dilatari,
Sceptraque Gallica fœdè lacerari?
Et nunc quid ceſſatis, cur non pace facta,
Et ſeditionum ſtirpe procul acta,
Scythicam vexatis bello progeniem,
Et feram domatis Turcarum rabiem?
Imitandus vobis acer Godefredus,

Qui ſemper coluit Chriſtianum fœdus.
Hic Mahometanis abſtulit Syriam,
Et hîc coli iuſſit cum Chriſto Mariam,
Et Superos omnes; ſceptra gerens pulcra,
Vrbe Seruatoris ſeruante ſepulcra.

AD MICHAELEM ESNEVM BETENCVRIÆ DOMINVM.

BEtencuri clara domo progenite,
Et bene Grynæis montibus cognite,
Eam mihi velim dari facundiam,
Et eloquentiæ ſuauitatem diam,
Qua barbaros hoſtes petiit orator,
Quem Sirena vocat Atticus arator,
Nullis temporibus collaudatam ſatis,
Ac ſemper victuram vetantibus fatis.
Nam velut optabat res hoſtium verſas,
Et ſuos in ſæuos concitabat Perſas;
Sic ego monerem reges Chriſtianos,
Vt aggrederentur bellis Aſianos,
Nec ſinerent ſceptra ferre per Syriam,
Impias colentem leges barbariam.
Sed hanc laudem tibi Phœbus reſeruauit,
Et Petro Bargæo, quos ambos ornauit,
Cunctis ingenij præclaris laudibus,
Ederoſis Cyrrhæ dignatos ædibus.
At mihi Dircæos inuidit liquores,
Et Tymbrææ fidis iucundos ſonores,
Nec vnquam ſum viſus ad Heliconia
Quæ vos aſſiduè fouetis mœnia.

AD PAVLVM MONTIVM.

PAule qui celebras montes Pierios,
Et cùm libet libas latices Clarios,
Ille dies nunquam veniet optatus,

Cùm Belgæ ſedabunt impios conatus,
Et belli ciuilis compeſcent tumultum,
Quo fuſum fraterni ſanguinis eſt multum;
Ac Bezano iuſſu templa ſunt diruta,
Et oſſa cœlitum fluuiis obruta?
Heu quantò ſatius erat demoliri
Templa Mahumetis, prophetæ deliri,
Quàm furialibus monitis parentes,
Violare diuos ad aras ſplendentes?
O vtinam tandem reſipiſcant illi,
Qui talia tentant audaces homilli,
Et potius manum vertant in Moſchæas,
Vbi nunquam fides audies Muſæas,
Sed Mahometanos canes vlulare,
Et laudes impij vatis celebrare.
At noſtri proceres coniunctis viribus,
Obuiam barbaris eant furoribus;
Vt Euangelica dogmata ferantur,
Vbi ſpurciſſimæ leges obſeruantur;
Et finem capiat imperium Turcæ,
Meriti Stygiæ nigrores amurcæ,
Non flauentes fœtus, qui fundunt Pallada
Per Pandionios montes, & Hellada.

Ad Carolvm Dyderivm.

QVi bellis tulerunt arma ciuilibus,
Similes, Carole, feris crudelibus,
Vel in marmoreas ædes ſuperorum,
Vel in magnum caput regis Iberorum,
Aut religionis cultores Romanæ,
Damnantis Echidnæ vocem Luteranæ,
Impioſque ritus, & gentes Scythicas,
Quæ malè ſequuntur leges Arabicas:
Omnes digna factis præmia tulerunt,

Et amaros vitæ terminos viderunt,
Vel turpes laqueos, vel flammas, vel ferrum,
Vel tetros carceres, vel laticem ferum.
Sic qui bis clauſerunt carcere Bruxellis,
Heliconiacis dilectum puellis,
Heu Valerianum, iucundum ſodalem,
Cuius eruditum probant omnes ſalem,
Interceptum via, dum negat otiis,
Quod multis implicat pectus negotiis,
Excelſa de trabe paſſi ſupplicia
Cannabea collo geſſere licia.
Id quod prædixerat verſu pulcerrimo,
Carmine Floſſius vtens acerrimo,
Cùm Pario more ſcelus acre carpit,
Nec motas in malos iras in ſe capit.

Ad Carolvm Croivm.

O Stolidam manum; nam quis dat muneri
Triticeas meſſes Atticæ Cereri?
Et quis arma donat armorum domino,
Et Euanti ſerta contexta pampino,
Natoque Cyrenes mella flauentia,
Regique Phæacum mala rubentia,
Capreasque deæ ſiluarum potenti?
Et quis addit cœlo ſidera nitenti,
Et aquas pelago, nemoribus ligna?
His me verbis lingua peteret maligna,
Si tibi mitterem carmina Carole,
Qui luſtraris claro Pïeridum ſole.
Scimus te poëtam ſummum, cumquelibet
Bibere, quem fontem Dirce ſemper bibet,
Nec caput ornare frondibus aliis,
Quàm quæ verticibus virent Caſtaliis,
Et multos in lucem verſus edidiſſe.

Et multos ſcriniis adhuc condidiſſe,
Qui tunc clauſtra rumpent inuida, cùm voles
Rem facere gratam vatibus, quos ſoles
Excipere toto pectore dilectos,
Vt Phœbi cultores, & milites lectos.
Nam non es contentus bellicis artibus,
Nec antiquæ domus claris ſtemmatibus,
Niſi Mȩonias illis iungas laudes,
Quæ rident lethæas Libitinæ fraudes,
Et nobilitatis verȩ meſſem ſerunt,
Et gloriæ fructus ſempiternȩ ferunt.

AD ALLARDVM OGERIVM FRATREM.

MIchaël Atropo ceſſit infantulus,
Nuper morte raptus, vt Hyacinthulus,
Qui recens in aruis genitus floridis,
Cadit ſtratus humi flatibus horridis.
At vos Niobæo tetigit dolore,
Quem penè Lethæo cumulaſtis rore.
Nunc Deus curarum largitur leuamen,
Et importunorum luctuum ſolamen.
Nam Lucina partum dante facillimum,
Eſt enixa natum patri ſimillimum
Margarita coniunx, qua vitam ducente,
Cernes domi gemmas lapillo lucente,
Clariores illis, quas generat Indus,
Nec his abſimiles quas effundit Pindus,
Ergo mitte tuam frater triſtitiam,
Et pectore toto foue lætitiam.
Michaël receptus axe ſidereo,
Dulce bibit nectar ore purpureo,
Cumque ſuos omnes, tum parentes iuuat,
Atque periculis ſæpiſſimè leuat,
Fuſa prece Deo commendans abſentes,

Quos

Quos tandem ſe iuxta videbit præſentes.
Ioannes verò dabit ludos mille
Modò tibi natus,cùm ridebit ille,
Ore renidenti referens gemmulam,
Vel præuiam Solis naſcentis flammulam.
Et iam brachiolis amplexum captabit,
Atque baſiola labellis aptabit,
Et trahet tenellos ludibundus pedes,
Per tuas quæ riſu quatientur ædes.

AD PETRVM CRVCIVM THEOLOGVM.

PEtre cui cognomen à cruce ducitur,
Quæ noſtræ ſalutis origo dicitur,
Antuerpiam tandem gaudeo receptam,
Et regi parére Batauis ereptam,
Vrbem Mauortiam,ſuperbis mœnibus,
Quæ Neptunus ſuis extruxit manibus.
Et autoritatem credunt huius vrbis
Vrbes attracturam quas aſpicit orbis,
Quem vocant Bataui Nereos regiam,
Cœrulis Nympharum formis egregiam,
Ad pacem ſcilicet,contempto Mauorte,
Quem Styx comitatur comitata morte.
Ah Bataui tandem ſe quieti dedant,
Et Martem malorum caput eſſe credant.
Quòd ſi perſequantur furorem bellicum,
Nec deſiſtant fœdus turbare Belgicum,
Inuiſent amaras Metanœæ ſedes,
Ad cuius ſolium ſeros ferent pedes.
Iam cernent crumenas deficere fidas,
Nec Nymphas videbunt Oceanitidas,
Accurrentes certo ſibi ſubſidio,
Eripere ſuas vrbes excidio.
Nam vis Auſtriadæ nimia Philippi,

Quam

Quam vel Æmathij formidant Philippi,
Cognitam gentibus ſolis orientis,
Nec ignotam turbæ ſolis occidentis;
Et regem delubra Superûm tuentem,
Atque ſacerdotum capita tegentem,
Ne ferro vel flammis hoſtium petantur,
Qui diros Caluini furores ſectantur,
Nullum non adiuuat numen, amat, fouet,
Et amicum tantæ pietati fauet.

IN CAVSIDICVM ἀμουσότατον.

TVrpe mihi ducis donato lautea,
Quam iurecōſulto dat Themis aurea,
Saltu Mæonio carmina pangere,
Et Colophonium poëtam legere.
Sed quid vis faciam Cauſidice rapax,
Et ad euertendam rem pupilli ſagax,
Cùm feſſa ſtudio mens mea ſeuero,
Recreare quærit ſeſe?num vis verò
Recurram,quod facis,ad œnopolia,
Vel aleæ luſum, vel Phrynes ſolia?
Iſta mihi ſordent, & pulcrum videtur
Inuiſere lucos, vbi perhibetur
Docta Terpſichore choræas ducere,
Et cum virginibus Pimplæis ludere.
At iuris prudentes dedecet, vt ais,
Ire,quo Cyrrhæa iugo manet Nais,
At te dedeceat inepte rabula,
Nunquam Piëria luſtrate facula,
At non dedecuit olim Modeſtinos,
Et quos multos laudat Romuleus Minos.
Nec eſt Alciatis dedecori datum,
Frequentaſſe mōtem Phœbo dedicatum,
Nec Biſciis,quos nunc habet Italia,

Nec

Nec Cuiaciadis quos habet Gallia.
At Homerus quem tu deſpicis neglectū,
Omnium virtutum vocat architectum,
Qui Dicen Iuſtini filius coluit,
Et Romanas leges ſeruari voluit;
Et multis in locis ornantur Pandectæ,
Et veterum Iuris interpretum ſectæ,
Vatis egregij præclaris verſibus,
Et illis vt veris vtuntur teſtibus.

AD LECTOREM HVMANISSIMVM.

SI tibi diſplicent quæ legis carmina,
Non tamen hîc leges impia crimina,
Nec quæ mentem fœdo polluāt amore,
Et caſto diuertant virtutis honore;
Scias ea Lector doctiſſime facta,
Nimboſis ęſtate furoribus acta.
At nequeunt vates Phœbæi fundere
Dircæos lepóres frigenti ſidere.

SOLOR OLOR.

SIMO-

SIMONIS OGERII

EVCHON

LIBRI TRES.

IN EVCHAS.

PReces per ſe gratæ ſunt turbæ cœliti,
Sed ſunt gratiores,
Ac præſtantiores,
Cùm comites habent duas ore miti;

Alteram, quæ iuuat egenos opibus,
Alteram quæ curat,
Ne Methe cor vrat,
Et poſt iuſtum detur ieiunium cibus.

Hiſce virtutibus qui Litas ſociat,
Vt alis fortibus,
Inſtet volatibus,
Vt ſub pede ſuo ſtellas aſpiciat.

Non erit timendum ne mergatur ſalo,
Delapſus æthere,
Nec dignus ſidere,
Vt olim ſoboles genita Dædalo.

AD IOANNEM SARACENVM ABBATEM VEDASTIVM.

HOmo cuius cœlum redolet animus,
Corpus enim ruber generauit limus,
Officium ſua demum lingua facit,
Cùm laudes in Deum laude dignum iacit;
Et memorat eius liberalem manum,
Nec eundem tacet Iuſtitia magnum,
Oratq́ue præſentem ſibi ferat opem,
Si qua calamitas ſe trahat inopem,
Et ſupplex veniam poſcit delictorum,
Non vnis nec locis,nec horis actorum:
Ne Phlegethontio carcere damnetur,
Sed cœlo ſtellante poſt fata donetur.
Ideò culpandi qui laudant Corinnas,
Et dulces Veneris celebrant Merimnas,
Et edunt mergenda Lethæo flumine,
Non ſpargenda ſolis nitido lumine.
Contrà collaudandi qui canunt virtutem,
Et relatam nobis à Chriſto ſalutem,
Quæq́ue iubent cani leges Iuſtitiæ,
Et intemerata vox Pudicitiæ.
Nam quis non dignetur laude Prudentium,
Canentem martyrum facta prudentium,
Qui forti tulerunt animo tormenta,
Licet Perillæis artibus inuenta,
Chriſtum Dei natum liberè fatentes,
Ac vana Deorum nomina ridentes?
Multiq́ue poëtam genitum ſub oris,
Quas Iberus ſecat fluctibus ſonoris,
Noſtra tempeſtate ſecuti,ſcripſerunt
Plurima cum laude,verſusq́ue fuderunt

Pios,ac ſpirantes ſanctiſſimam mentem,
Quæ geſtit ſcandere Deo cultum mõtem.
Hic partus virginis blando canit ore,
Hic memorat prorſus Andino pectore
Morientem Chriſtum,ſanguinisque riuos,
Qui barbaros lauit,ac lauit Achiuos;
Et Erebi fregit portas Auernales,
Et redemit Orco miſeros mortales:
Atque beat cœlo,qui Deum ſequuntur,
Et latas ab illo leges amplectuntur.
Nonnulli celebrant Tonantis famulos,
Quorũ mens in cœlis,corpus per tumulos,
Vel qui manent adhuc oris terreſtribus,
Sed animo fixi regnis cœleſtibus,
Pietatis veræ ſynceri cultores,
Et amatæ Chriſto legis amatores.
Aſt alij reges hortantur ad arma,
Leuaturą gentes oppreſſas à turma,
Quæ terris fruitur quas rigat Iordanis,
Et vmbratus lauro Penëius amnis:
Præferens quæ ſcripſit proles Arabica
Scriptis,quæ protulit vox Euangelica.
Iſtorum,quà poſſum,veſtigia ſector,
Et nunquam ſpernendis conſiliis vtor.
Et Euchas nunc quidem paucas compoſui,
Quas tuo nomini dicatas volui,
Prę́ſul eruditę pietatis amor,
Et muſas peroſæ ſobolis amaror.
Quas ſi tuæ menti gratas inuenero,
Nec nigro carbone notatas videro:
Adducar ad plura multò meditanda,
Chriſtianæ plectro Muſæ reſonanda.
Si modò qui pios adiuuat conatus,

Meæ Deus pennæ iuuerit volatus.
Hoc porrò ſcribendi genus non diſplicet,
Sed credo Superis ſummopere placet:
Nam quoties ægri mortales proponunt
Suas Deo curas,& ſeſe ſupponunt
Miſericordiæ,quę nullum reijcit,
Sed miſerum malis liberum reficit:
Rem non iniucundam faciunt Tonanti;
Quem credunt ad opem brachio potenti:
Et ita credendo colunt, & honorant,
Ac piis ſupplices vocibus adorant.
Et quid iucundius, quàm cum Deo loqui,
Terriſque ſemotos mente cœlum ſequi?
Et quem niſi Chriſti numen rogabimus,
Dum noſter exulans hîc timet animus
Acroceraunia,Charybdin,& Scyllas,
Et Styga,caneſque Stygios, & illas,
Quæ geſtiunt noſtris rupes naufragiis,
Et nobis illatis damnis egregiis?
Quin fructus adferunt Litæ dulciſſimos,
Nec guſtus deſinunt in amariſſimos.
Iudæi cùm Pharo relicta ſtreperent,
Et pede non vdo pelagus carperent,
Fluctibus in montis faciem curuatis,
Et tutum dantibus iter Iudæ natis;
Vrgente celerem fugam Pharaöne,
Cum turba crudeli digna Parthaöne:
Vnda legiferi precibus ductoris,
Protinus obruit Pharij rectoris
Vultus,equos,currus,ac ſæuos milites,
Nantes per liquidos Neptuni limites.
Et appropinquantes mellitis finibus,
Telluris beatę lactis fluminibus,

In fero-

In ferociſſimas gentes inciderunt,
Quæ ſua prælijs arua defenderunt.
Et quoties Deum Moſes appellabat,
Et ſuis victrices lauros poſtulabat,
Vincebant Ægypto liberæ cohortes,
Et hoſtes ad mille compellebant mortes.
Eiuſque ſucceſſor heros fortiſſimus,
Magnoque ſuperûm regi gratiſſimus;
Cùm vergeret vndas ſol ad Heſperias,
Et nox appararet vices Cimmerias,
Opuſque lucidis haberet facibus,
Ad ſequendos hoſtes tergis fugacibus:
Iuſſit Titanij currus axem ſtare,
Et ſibi cienti pugnam lucem dare,
Miniſtram cædendis diris agminibus,
Quæ templa dicabant falſis numinibus.
Et paruit ſolis lumen. Tantùm poſſunt
Quę ſyncero labra deum corde poſcunt.
Pater Solomonis torum violarat,
Et militem pium nupta ſpoliarat;
Nec eo thalami pudore contentus,
Innocui fatis hominis intentus,
Coniecerat virum prælijs optimum
In primos congreſſus, non agmen vltimum,
Quo loco non vno confoſſus vulnere,
Indignè perijt regio ſcelere.
At Deus perſequens pœnis hunc amorem,
Nec inultum ſinens Vriæ cruorem;
Hominum millia dedit multa leto,
A rege ſpectata lumine non lęto;
Qui tamen armata precibus dextera,
Iras acres vertit à plebe miſera,
Et ſuo capite, tectiſque canoris,

Ac peſtem Stygijs relegauit oris.
Quid ille, quem currus flammifer rapuit,
Non terras torrido ſidere terruit,
Quæ per annos Auſtris tres ſupplicauerunt,
Nec hi nimbos cœlo præcipitauerunt,
Niſi demum vatis eiuſdem rogatu,
Qui cuncta refecit hilaro rigatu?
Herodes cùm feros enſes ſaturaſſet
Iacobi cæde, necdum ſatiaſſet
Corda Chriſtiana nece gaudentia,
Duriq́ue rigorem ferri vincentia,
Et in Petrum manus cruentas iniecit,
Tetrumq́ue carceris in ſitum coniecit:
At prece fatigans Eccleſia Deum,
Indigno carcere liberauit eum.
Et Chriſtus labore vocat ad ſe feſſos,
Ac releuat iugo peccatorum preſſos;
Si velut ægroti ſanctum numen orent,
Et vocent medicum, cùm ſe febres torrent.
Et nonne cœleſtis imber iuuat arua,
Æquè ſcelerata quæ colit caterua,
Ac illa, quæ findit ſuis vomeribus,
Nullis obnoxia manus ſceleribus?
Et tam ſol tellurem luſtrat impiorum,
Ita ſtatuente Deo, quàm piorum.
Et numen daturum lapides putamus,
Si candidos panes ab illo petamus;
Atque porrecturum Scorpij nigrorem,
Si velimus oui niueum nitorem,
Et elargiturum nobis anguem malum,
Pro muta pecude, quam genuit ſalum?
Non eſt ita; nam, qui deum petit, habet,
Quod petit, & Deus nobis cuncta præbet,

Qui filium cruci præbuit figendum,
Ad mortale genus pœnis eximendum.
Et qui diligenter inueſtigauerit,
Inueniet tandem, quod perquiſiuerit;
Et illi ſtellata domus reſeratur,
A quo violentis manibus pulſatur.

SIMONIS OGERII
EVCHON
LIBER PRIMVS.

Ad Christvm Sotera.

Euche 1.

CHriſte mortalium ſemper miſerate,
Nec vnquam ſupplicum preces aſpernate,
Ago tibi grates merito debitas,
Quòd me limitibus ab vſque Romulis,
Nunquam tua ſatis laudanda bonitas,
Tot occurrentibus vię periculis,
Saluum reduxerit dulces ad Morinos,
Meſſe fertilium camporum Dominos.

Quòd non per horrida ſtabula ferarum;
Ac formidoloſos receſſus ſiluarum,
Letifero pectus enſe recluſerit;
Cæde viatorum cruentata manus;
Nec mortis honore manes fraudauerit;
Solius eſt tuum me ſeruantis munus;
Et eſt tuum munus, quòd ceſſarint dentes;
Quibus lupi multas violarunt gentes.

Abſque te Borea procellam ciente,
Et per terras, & per aquas ſæuiente:
Commotum grauiter amne lato flumen,

Cum puppi me mea fluctibus texiſſet,
Et ſine te flamma tricuſpide fulmen,
Igne fero tactum viuis exemiſſet:
Vel montes per altos ſenſiſſem tumulum,
Albicantem niuis Alpinæ cumulum.

Et nunc finem bellis annue Belgicis,
Et reduc ſopitis citharas claſsicis,
Meq́ue da placidè patria viuere,
Tot ope defunctum tua laboribus;
Teq́ue clementiæ parentem dicere,
Fide Mæonia, claris ſonoribus.
Nec ſinas laxare vitijs habenas,
Sed ſemper colere virtutes amœnas.

Vt hoc exilio liber poſsideam
Sidera, veroſq́ue penates videam.
Vnde, qui præſenti vita tolerantur,
Exulant tetrica facie labores;
Vbi nec febrium cohortes vagantur,
Nec fames, nec ſitis, nec belli furores,
Nec curæ leguntur ſemina, nec luctus,
Sed fœlicitatis ſempiternæ fructus.

AD CHRISTVM TARTAREI SERPENTIS DOMITOREM.

Euchè 2.

ME quoque, nec rarò, dolis tentat malis,
Qui fefellit Euam ſerpens in arbore;
E cuius vetitis manauerunt malis,
Quæ vix mala docto memorentur ore.

Ah quàm vellet lacus Lethęos colerem,
Aruaq́ue Manibus nigris habitata,
Vnde fallax pedem tulit huc celerem,
Si poſsit me mala multaturus Ata.

Sed

Sed, quem tuus ſanguis voluit emere,
Cùm pro nobis Chriſte vitam proiecisti,
Ne permittas dolos anguis perimere,
Sed mihi da vires reſponſuras iſti.

Vt tandem valeam ſidera tangere,
Vbi nulla fides Stygijs fraudibus,
Nec cogar Cocyto carmina pangere;
Sed tuis in cœlo ſtudeam laudibus.

AD CHRISTVM MANE POST SOMNVM.

Euche 3.

CHriſte cœli decus, & ſol Iuſtitię,
Sidera nocturni temporis abeunt,
Et Eous moras negans Pigritiæ,
Treſque ſimul fratres in lucem redeunt;
Auroramque ſiluis volucres ſalutant,
Et varijs vocem concentibus mutant;
Sparſuſque per arua terreſtria Phœbus,
Diurni mortales admonet laboris,
Et qui negotia ſequitur ſudoris.
Tempus nunc eſt aptum peragendis rebus.

Et plumas & lectum relinquo languidum,
Lethæo iam ſatis eſt indultum ſomno,
Non fert ſegnitiem ſidus hoc lucidum.
At lęto gratias agam tibi ſono,
Quòd hac nocte meum caput ſeruaueris,
Et Stygios canes procul amoueris,
Nec dum leni ſomno reguntur lumina,
Me multo vitij pondere grauatum,
Et claro virtutis ſplendore priuatum,
Tetra detruſeris ad Orci limina.

 Modò

Modò præteritę curriculo noctis
Haud pauci mortales vita deſeruntur,
Re iucundiſſima doctis,& indoctis;
Necamplius luce ſolari fruuntur,
Sed iacentes humi corpore frigido,
Cogunt ſuos rore ſtillate tepido;
Et me tamen illi longè ſuperabant,
Et pijs ſtudijs,& ſapientia,
Magnarumque rerum dulci ſcientia;
Meque digniores hoc iubar ſpectabant.

Non me per obſcuras noctis vmbras ignis
Ortus repentino furore cremauit;
Nec ruina domus obruit inſignis;
Nec aqua creſcente fluuius raptauit;
Nec violauerunt perfidi mucrones,
Et qui gaudent cæde nocturna latrones;
Nec me ſuis ſaga læſit carminibus,
Nec Orcus intulit mihi quidquam damni
Cum prole,lurido quæ præſidet amni,
Et Acherontijs imperat Manibus.

Nunc etiam te rex precor angelorum,
Vt hunc peragere mihi ſinas diem,
Expertem terroris,ac periculorum,
Et hoſtis inferni compeſcas rabiem,
Et fraudes,& dolos,& thecnas audaces,
Ac præſtigiarum faſcinos fallaces,
Tum quicquid dæmones moliuntur mali,
Dum caſſes miſeris tendunt mortalibus,
Vt eos inuoluant lymphis letalibus,
Et cogant dapibus Tartareis ali.

Hoc quoque da votis Chriſte ſupplicibus,

Vt

Vt leges tuorum ſeruem maddatorum,
Nec eas impijs violem vocibus,
Et impuriſſima ſtrue delictorum,
Quæ Dice diuina cuſtodiens iura,
Erebæa mergit Styge, nunquam pura;
Nec vlli noceam moleſtus vel ore,
Horridas miſcente conuitijs minas;
Vel re funereas ciente dominas,
Nec cupiam malè verſuto pectore.

AD CHRISTVM VESPERI ANTE SOMNVM.

Euche 4.

DEus qui diſpellis animi tenebras,
Luce tibi ſemper caræ veritatis,
Nec fers fœdiſſimæ verba vanitatis
Obſcuras Erebi meritę latebras;
Iam nox Cimmerio progreditur caſtro,
Iberum tangente litus ſolis aſtro,
Ac cito per terras axe diſtrahitur,
Et piceo regnat velata colore,
Ac eodem curru ſopor deuehitur,
Quieſque paratur defeſſis labore.

Ago tibi grates ore lætiſſimo,
Et agam dum vocis munere donabor,
Et nitidi Solis ſplendore luſtrabor,
Humanis oculis longè gratiſſimo:
Quòd hodie per te vitarim retia,
Mille locis ſparſa fraude Cocytia;
Nec vibrata manu ſubita ſenſerim
Tela Libitinę nimiùm rigidæ;
Nec diros horrores febris exceperim,
Viciſſim calidę, viciſſim frigidę.

Hoc etiam caput, rex bone, tegito,
Dum curis quiete laxatis mulcebor,
Et per noctem ſomno ſepultus videbor;
Nec Lethęo rore damnatum mergito.
Nam gens Auernali bile ſtimulata,
Et paratis leto iaculis armata,
Vt percitus fame Leo paſsim currit,
Veſtigans, quem feris laceret vnguibus:
Ita ſollicitis pectoribus quærit,
Quem Phlegethontijs offerat anguibus.

Te ſpirante pectus rigetur ſopore,
Nec ſopitos ſenſus inſomnia ludant,
Nec me quieſcentem prodigia lædant,
Quæ Styx anguineo procreat horrore,
Vt ortis Eoæ facis luminibus,
Marmoreis aſtem templi liminibus.
Et tibi debita concinam carmina,
Chriſte perditorum ſeruator hominum,
Quòd non perſecutus ſis mea crimina
Pœnis ardentium Tartaro fluminum.

AD DEVM ANTE SVMPTVM CIBVM.

Euche, 5.

QVÆ tu magne pater olim creauiſti,
Et in oras claræ lucis protuliſti,
Hæc omnia valdè bona produxiſti.
Sidera per cœlum ſparſiſti lucidum,
Diem vis luſtrare Titana nitidum,
Noctu Lunæ vultum fulgere candidum,

Mare magnum fundis, ac blanda flumina,
Et iucundiſsima Zephyri flamina.

Ac tincta roſcido liquore gramina,
Aprilem floridum iubes tepeſcere,
Iulium feruentem meſſe flaueſcere,
Octobrem grauidum pomis diteſcere,

Suppeditas vitis generoſas opes,
Et quæ mel generent florilegas apes,
Ac dulces lacteis humoribus dapes.
Suggeris & gemmas,aurique fulgorem,
Et æs,& argentum,ferrique rigorem,
Eburnumque vaſtæ belluę candorem.

Hominem formatum rubro terrę limo,
Immortali dotas inſuper animo,
Laude puriſsimis Angelis proximo.
Hinc artes,& docta naſcuntur pręcepta,
Hinc viridis Cyrrhę per amœna ſepta,
Carmina muſarum celebrari cœpta.

Illius pedibus ſubieciſti boues,
Lanaſque ferentes argenteas oues,
Et piſces, & alis picturatas aues.
Quin morte filij redimis perditum,
Et petenti ſanctum largiris ſpiritum,
Et ęthera piè viuenti debitum.

Ecce menſa ſuis dapibus tegitur,
Et tempus ſerena facie naſcitur,
Quo ieiuna fames epulis pellitur.
Ad menſas accedam;ſed precatus antè,
Vt nos tegas ſcuto,manuque Tonante;
Nam ſalus hominum ſola pendet à te.

Hinc malus veneni procul eat vſus,

Nec

Nec minus veneno nocens menſæ luxus,
Et pocula tentant quæ ſobrios paſſus,
Quantùm ſat eſt Deus ſine nos optare
Et potus, & cibi, ne fallamur à re,
Quæ ſolet hominem Sui comparare.

AD DEVM POST SVMPTVM CIBVM.

Euche 6.

DApe ſuauiſſima refectis viribus,
Laudes tibi grato canimus pectore,
Rex tempora cincte ſtellatis floribus,
Qui mortales magno cumulas robore,
Eſcis alens natis terræ viſceribus,
Et fluentiſono Nereos æquore.

At calidis rurſum precibus inſtamus,
Vt hęc ſumpta bono ſe vertant munera,
Nec quid numinibus læuis admittamus,
Quod lædat animos regentum ſidera,
Nec pede proteruo Cythera petamus,
Merituri caſtris Dionæis æra.

Inſuper oramus auerſor malorum
Vt hos dape iuues, qui dapibus carent,
Et poculis fauces hilares illorum,
Qui ſiti ſiccatis gutturibus arent,
Et foueas lęſos vulnere telorum,
Quibus caſtra brumæ glacialis horrent.

Illos præcipuè iuuare memento,
Quos vexat Turcarum manus barbarica,
Inceſſabiliter, non breui momento,
Quibus lex fuiſſet æquior Taurica,
Nam pœnę leuaſſet illos incremento,

Non

Non finiſſet premi ſorte Tantalica.

At quos expoſitos oculis habemus,
Et acerba fame videmus tentari,
Fac dextera ſemper benigna iuuemus,
Licet hoſtes nobis exiſtant amari,
Nec promereantur vt ſe ſubleuemus,
Cùm ſint Chriſtianæ virtutis ignari.

Ad Christvm Ivdicem Vivorvm, Ac Mortvorvm.

Euche 7.

Semel eſt homini vita decedendum,
Nec fallent miſeros mortales funera,
Quorum corpus vermes expectant edendũ.
Nil aurea mortem morantur munera,
Nec lacrimæ verbis mixtę ſolertibus,
Neç lucentes vultus, vt cœli ſidera.
Nec gens erudita magicis artibus,
Nec altis opida turribus, & vallis,
Atque circumdata clypeis fortibus.
Nec hanc mons impedit, nec obſcura vallis,
Nec cautes, nec torrens horribili ſono,
Nec iniquus trames ſenticoſi callis.
Vbi nunc Abſolon ſummo formæ bono,
Vbi frater eius ſapientiſſimus,
Et Hector galeæ terribili cono?
Vbi Gordiades opulentiſſimus,
Quique fugit flammæ Crœſus pericula,
Et qui Crœſum vicit rex potentiſſimus?
Tandem letifera ſenſerunt ſpicula,
Vt vulgus infimum morte violati,
Et pulcra liquerunt aulę ſpectacula.

Tectique ſunt terra ſceptro ſpoliati,
Poſt multos quos viui tulerunt labores,
Et tamen vix vnquam vita ſatiati.
Letales me quoque tentabunt dolores,
Et exinde mihi ſidera petentur,
Vel fœdi Charontis illudent ſorores.
Si culpæ ſtudeam, Tartara colentur,
Et obruar multa mole tormentorum,
At ſi piè viuam, ſtellæ contingentur.
In cœlo terminus eſt certus laborum,
Nec nos afficient ſollicitudine,
Quibus hîc voluimur pelage malorum.
Hinc arcentur alba niues imagine;
Nec cœleſtes domus fœdantur nubilis,
Nec amiciuntur nigra caligine.
Nec concutiuntur ventorum ſibilis,
Nec Sirium timent, nec timent frigora,
Nec horreſcunt tela Bellonæ flebilis.
Nec oſtentat ibi ſua febris ora,
Nec fames, nec ſitis inueniunt ſedem,
Nec mortis horridæ formidatur hora.
Cum Deo diſcumbunt auream per ędem
Fœlices animæ, gaudentes nectare,
Et claris fulciunt ſideribus pedem.
Ac amœno Chriſti luſtrantur iubare,
Et lætis hauriunt auribus carmina,
Semper ſonantia Panomphæo lare.
Nec poſſet dicere vel vir, vel fœmina,
Quæ Deus præmia reddet hominibus,
Qui fugiunt fœda ſcelerum crimina.
At ſcatent Auerna læuis ominibus;
Ibi vigent curæ, gemitus, mœrores,
Et horrent anguinis Furiæ crinibus.

Tum ſono mugiunt horrendo dolores,
Et æterna mortis cernuntur ſpecula,
Ad Phlegethontios ſulfuris ardores.
Nec vel parua fugę ſolatur ſpecula,
Quos graues delicto funus occupauit,
Et ſemel Lethęa conſpexit ſpecula.
Ah Chriſte, quem fera mors exanimauit,
Tunc cùm reparabas hominum ſalutem,
In cruce, quam tuus ſanguis inundauit:
Da me iuſtificam ſeruare virtutem,
Et Euangelica colere præcepta;
Vt poſt exequias terram cœlo mutem,
Et epuler aula lætitijs ſepta.

Ad Devm Regem Regvm.

Euche 8.

Deus qui nos iubes regem venerari,
Populi paſtorem,
Ægrè diadema ferens violari,
Sceptrique nitorem:

Fac obſeruet leges diuinas Morinus,
Et ritus Romanos,
Ac regem, qui cluet Iberi dominus,
Et regit Hiſpanos.

Et necte meritam Carolidæ laurum,
Seu vexet Turciam,
Et repetat ſtagni rutilantis aurum,
Quod beat Thraciam:

Seu pergat Lernæas extinguere peſtes,
Et gentem Bezanam,
Ac Melanchthonios euertere poſtes,
Et vim Lutheranam.

AD

AD DEVM AETHRÆ DOMINATOREM.

Euche 9.

OPtime Belgarum deus miſerere,
Qui prælia ſempet prælijs cumulant,
Et fraterno manus cruore maculant,
Nunquam non Martio rutilantes ære.

Et ecce bellica prȩter certamina,
Æſtate nimios imbres patiuntur,
Atque terribili vento quatiuntur,
Quem lymphata mouent Auſtrorum flamina.

Quin Boreas ſiccus qui ſpirare ſolet,
Etiam frequentes effundit pluuias,
Et nimboſo furit turbine Cȩcias,
Nilque niſi fœdas tempeſtates olet.

Diluuies campos virentes obruit,
Et certum molitur obitum frugibus,
Et malè defenſis ſtabulo gregibus,
Aggereſque paſsim, ponteſque proruit.

Sparge tui ſolis vires clariſsimas,
Super arua multo fluctu natantia,
Et differ nubila cœlo palantia,
Ac remitte mundo luces puriſsimas.

Ne bellis, ac peſte Gallos prementibus,
Accedat tertia famis calamitas,
Omniumque rerum ſuprema caritas,
Et his incumbamus fatis vrgentibus.

AD

AD CHRISTVM PACIS AMATOREM.

Euche 10.

CHriſte qui nos tua morte redemiſti,
Fœdiſſimè lapſos Tartarea fraude,
Cùm cruce brachia fixus pependiſti,
Aſſidua nobis celebranda laude.

Statue terminum pugnis flebilibus,
Et Belgæ quietem, pacemq́ue foueant,
Vel ſemel omiſſis bellis ciuilibus,
Edonis prælia gentibus moueant.

Tandem verte deus animos illorum,
In Turcicæ gentis ſceleratos fines,
Aſpiciat enſes Rhodope Gallorum,
Ripis Thrëicij fluminis confines.

Et eiecto Turca Conſtantinopoli,
Qui nos aſſiduis petit vulneribus,
Thracia colatur, vt ſolebat coli
Aliquo tempore noſtris vomeribus.

Vt ſacrata tibi ſepulcra petantur
Pedibus ſecuris latrociniorum,
Et Araba flammis dogmata dedantur,
Lectis paſſim libris Euangeliorum.

AD CHRISTVM CONCORDIÆ AVTOREM.

Euche 11.

CHriſte, genu flexo rogant Arteſides,
Vt Mauortis ſiſtas cruentum furorem,
Et his ſe ſocias addunt Pleumoſides,
Quæq; bibunt Moſę limpidum liquorem.
Tum fortibus nuptę viris Tornacides,
Et quæ luſtrant vallis cycnææ virorem,
Et cultrices magni ſaltus Ardennides;
Iſtæ ſuis pium timent ob amorem.

Satis

Satis Belgæ raucas audiuerunt tubas,
    Et terram ſanguine viderunt rigatam,
    Ac deletas vrbes igne ſęuiſſimo.
Iam currus pacalis aſpiciant iubas,
    Et Themida rotis eiſdem portatam,
    Cum Calliopæa, vultu blandiſſimo.

Ad Mariam Virginem Deiparam.

Euche 12.

Dei ſanctiſſimi mater ſanctiſſima,
Ad te miſerijs onuſti fugimus,
Ne permitte Cauris virgo mitiſſima,
Quas preces calido pectore fundimus.

Tuum roga natum fontem clementiæ,
Pro noſtra ſalute tormenta perpeſſum,
Et, vt agnum, telis cęſum dementiæ,
Ac nunquam parenti parere defeſſum.

Vt Belgarum longam ſiſtat diſcordiam,
(Heu nimis Gallica tellure bellatur)
Et remittat almam nobis concordiam,
Quam quiſquis diligit, prudens appellatur.

Armaque transferat quæ ſtrepunt hîc fera,
In Geticam gentem, quæ Chriſtum deſpicit,
Atque deliria colit peſtifera,
Et Mahometanos errores ſuſpicit.

Turpe, vetus regnum Solymę telluris,
Quo vitales auras natus hauſit tener,
Hoſtem Chriſtiani poſſidere iuris,
Qui verè vocandus feritatis gener.

Ibi tuum ſuxit lac ſynceriſſimum,

Primis

Primis Chriſtus annis educatus à te,
Et edidit dogma longè puriſſimum,
Æterni refertum patris voluntate.

Et fatales clauſit dies;& ſepultus
Tertia lampade ſolis reſurrexit,
Et apud Erebum terrigenas vltus,
Ad ſidera morte deuicta perrexit.

Et inde ſpiritus ſancti miſit auram,
Effigiem linguæ gerentis igneæ;
Nec extremam terræ gens incolens oram,
Expertem doctrinæ ſe ſenſit niueæ.

O quoties alta ſede deuolarunt,
Ad Palæſtinorum claras regiones,
Et te magni iuſſu regis ſalutarunt
Angelicæ læta voce legiones.

Et piam iuſſerunt gentem tolerare
Fortiter laborem,quo vita premitur,
Et virtutum telis Orcum ſuperare;
His etenim cœlum pretiis emitur.

Hinc igitur virgo pellantur cultores
Alcoraniacæ ſuperſtitionis,
Et Syriæ fructus carpant amatores,
Quam filius amat inſtitutionis.

AD DIVAM CATHARINAM.

Euche 13.

DIua cuius buſtum ſeruat mons Caſius,
Et ſacros cineres;
Quam nullis induxit pœnis Maxentius,
Vt Chriſtum ſperneres.

Succurre quæſumus Graiæ nationi,
Quam vexat barbarus,
Et Alcoraniæ ſubdit ditioni,
Qua gaudet Tartarus.

Precibus fatiga regem ſidereum
Virgo doctiſſima;
Vt opprimat Turcæ furorem ferreum
Manu iuſtiſſima.

Recipiant Muſæ colles Cecropios,
Atque Marathona,
Et Poëtæ verſus Deo dicant pios,
Apud Helicona.

AD D. BARBARAM.

Euche 14.

BArbara, quæ nunquam barbara fuiſti,
Nec feris moribus,
Sed miti doctrina ſemper floruiſti,
Spretis maioribus;

Quos videbas Chriſto delubra negare,
Et tus Arabicum,
Et laudes, quas ſolet ſibi vindicare
Numen Olympicum:

Fac vt barbaries redeat Turcica,
Ad Caucaſum montem,
Et fuga relinquat Tempe Theſſalica,
Ac Dircæum fontem;

Vbi iam citharæ reſonent Iēſum,
Cœli delicias;

Et pio carmine mulceant Teumeſum,
Et Cadmi filias.

Rex magnus Superûm nympha Dioſcori,
Cui maximè places,
Nil oránti tuo non annuet ori,
Ecquid virgo taces?

AD APOSTOLOS CHRISTI.

Euche 15.

LEgati, qui ſanctum vidiſtis Spiritum,
Quem morabamini domo Palæſtina,
Tandem mitti vobis è ſede diuina,
Cuius omnes oras impleuit meritum:

Deus omnipotens veſtra motus prece,
Belgis reſtituat quietem placidam,
Et Erebo rixam demergat acidam,
Nec Galli gaudeant ſanguinea nece.

Vel in Theſſalicas inſaniant alas,
Et ſuis viribus Pangæa vindicent,
Seq̃ue Biſtoniæ dominos prædicent,
Ac vi Byzantias penètrent in aulas.

Et maturent gentis internecionem,
Quæ ſuperbè ſpernit leges Chriſtianas,
Et latè poſſidens ſedes Aſianas,
Sequitur Arabam ſuperſtitionem.

Heu quantos ſudores exhauſiſtis olim,
Per Iudæas vrbes, & tractus Doricos,
Et nunc Turcæ tenent colles Dauidicos,
Et cum Pieria Conſtantinopolim.

At vos

At vos interpretes ſuperni numinis,
Hos in fines pios reducite ritus,
Nec ſinite tetros mergere ſpiritus
Tot animas fundo Lethæi fluminis.

Et errorem ſuum Scythæ fateantur,
Et Alcorania linquant deliria,
Nec eant, quò fera iubet barbaria,
Sed Euangelicos mores tueantur.

Quòd ſi tale bonum recuſant impij,
Protinus virtutem ſentiant Belgicam,
Quæ tentet mollire rabiem Geticam,
Et Argiuas gentes regant Menapij.

Et ſibi diuitem Tyrum ſubijciant,
Atque recuperent Tonantis ſepulcrum,
Libanoſque montes, Iordanemque pulcrum,
Et fœdos Aſia canes eijciant.

AD D D. AVDOMARVM ET BERTINVM.

Euche 16.

DIui qui Morinos olim docuiſtis
Chriſtianos ritus, & virtutem veram,
Adhortati Lethen cauerent ſeueram,
Ac leges colerent quas vos coluiſtis.

Et nunc gentes iſtas frequenter monete,
Ne ſe vana Bezæ doctrina polluant,
Ne pœnas contempta voce veſtra luant;
Et his ouilibus lupos amouete.

Seuiſtis, quod Chriſtus iuſſit, in his agris,
At Beza quod proles Tartarea iubet;

Nec gratus Erebo veterator ruber,
Cùm dat zizania mortalibus ægris.

Has interficite ſegetes amaras,
Nec flammis delubra ſacrilegis vrant
Viri,qui nec fidem,neč pudorem curant,
Inuidentes magnis cœlitibus aras.

AD D. DAVIDEM REGEM, ET
Vatem præſtantiſsimum.

Euche 17.

REx bellis optime,qui prouocauiſti,
Ad pugnam gigantem valido robore,
Quem cunctos terrentem non formidauiſti,
Quamuis exiguo conſtares corpore;
Nec vnquam rotando fundam ceſſauiſti,
Contra monſtrum tendens feruido pectore,
Donec cæſum tuis intuliſſes caſtris
Inimicum caput cœleſtibus aſtris.

Tu ſacra fudiſti ſæpè carmen lyra,
Lucentes ad aquas nitidi Iordanis,
Miſcens chordis vocem dulcedine mira,
Et hi cantus nullis tacebuntur annis;
Ac regem rabie liberaſti dira,
Furias remittens ad latices amnis,
Qui ſtrepitans flammas inter ſulfureas,
Exercet animas delictorum reas.

Quin Chriſtum prædixti nobis relaturum
Partam ſanguineo flumine ſalutem,
Et ſolertiſſima mente decepturum
Anguis Tartarei doctam ſenectutem;
Et Stygij caput hoſtis perfracturum

Cruce, Sanſoneam vincente virtutem;
Et hoc Libitina modo debellata,
Aperturum vias ad Tempe ſtellata.

Aſpicis, quem ſtatum Iudæa teneat,
Quæ quodam tempore fęlix vocabatur;
Vides vt hîc ſpreta pietas iaceat,
In quam Caucaſea rabies bacchatur,
Nec vos calamitas Solyma moueat,
Et dolores, quibus gens ſancta tentatur?
Non bene Thracibus paret Aſſyria,
Nec eſt digna tuo colle barbaria,

Effice maxime maximorum vatum,
Vt Chriſtus patriis finibus ametur,
Et hunc fateantur Turcæ Dei natum,
Et Alcorania lex flammis crem etur,
Quę permittit fœdos ritus voluptatũ,
Hiſque pulſis vera doctrina ſeruetur,
Euangeliorum liber pulcerrimus,
Quem tremit Erebi rector teterrimus.

Nil tibi Superûm regnator negabit,
Hic à te Biſtonas reprimet rogatus,
Et pulcra Sione barbaros fugabit,
Ac Mahometanos ſimul vlulatus:
Quos fundo Stygiæ paludis damnabit,
Nec nobis abnuet Syros principatus:
Et Gallos Iudæa iubebit ſub ora,
Modulari verſus Ieſſeïde lyra.

Ad D. Helenam Constantini Magni matrem Auguſtam.

Euche 18.

Diua Conſtantini magna magni mater,
Quam pectoris dolor occupauit ater,
Cùm videres Chriſti crucem venerandam,
Omnium bonorum fontem largiſſimum,
Occultare dolo gentem deteſtandam,
Ne ſolis ſubiret lumen ampliſſimum.

Propterea nunquam bene quieuiſti,
Nec placidiſſimum ſoporem cepiſti,
Donec eam tuis oculis ſpectares,
Erutam telluris ſede nigerrima,
Et hac ratione te cura leuares,
Qua cruciabatur pectus acerrima.

Mox templis excludens mœrorem Veneris,
Induxiſti ſancti dolorem funeris
Vrbe,qua Iudæi Chriſtum vexauerunt,
Verum numen,veram referentem legem:
Quem tamen dedentes morti negauerunt
Eſſe,quem Prophetæ promiſerant regem.

Et nunc quæ mens tibi,qui ſenſus Matrona,
In cultus debitos Euſebeiæ prona?
Cùm vides Scythicas gentes habitare
Pinguibus veſtitam palmetis Idumen,
Et Mahometanas laudes reſonare,
Per Solomonij verticis cacumen.

Si fas eſſet tingi rore mœſtiſſimo,
Qui rigant nectare labra lætiſſimo,
Crederem lacrymis aſpergentem genas
Magno te dolore mentis vulnerari,

Et inter ſplendidas cœlicolûm cœnas,
Execrantes Chriſtum Turcas execrari.

Sed Olympiacis dolor tectis abeſt,
Nec fletus oculis cœleſtibus obeſt;
Quod licet credimus te Deum rogare,
Vt Othomanias acies deleat,
Nec vllas permittat per terras regnare
Populum, qui legem diuinam rideat.

Mille coïerunt puppes ad Aulida,
Vt referunt Muſæ, propter Tyndarida;
Quam domum Lacones tandem reduxerunt,
Exciſis Priami ſuperbis mœnibus,
Et morte multatis, qui Græcos traxerunt
In Phrygiam procul à ſuis finibus.

Et non turpe nobis pati Saracenos,
Tamdiu tenere ſaltus Damaſcenos;
Et Chriſti tumulum ſibi vindicare,
Atque Byzantias incolere terras,
Ac Marathoniis campis equitare,
Et Alcoranias adorare gerras?

Nunc in claſſem cadant Ardennæ nemora,
Et Helleſpontia nauigetur ora;
Vt tyrannus Graia deturbetur ſede,
Quam vi raptam nobis, non iure, poſſidet,
Et inde fælici properetur pede
Ad arua, viridis quæ Libanus videt.

Hunc diem quamprimùm prouocet æquore,
Aurea roſeo Pallantias ore,
Quem ſimul optatò tulerit micantem,
Tunc placidiſſimis oculis tuebor

Libiti-

Libitinam mihi funera minantem,
Nec gelido mortis horrore terrebor.

AD D. DIONYSIVM GALLORVM APOSTOLVM.

Euche 19.
Dionyſi roga Chriſti clementiam,
Hic nunquam non iuſtis annuit precibus,
Vt Othomaniam ſedet dementiam,
Et det Abdaricis terminum fæcibus.
Vt vera per Graios præcepta libentur,
Et miſeræ gentes iugo liberentur.

Fac Turcas ferrea vincant ratione,
Quos nouimus tibi Celtas gratiſſimos,
Et Rhodopeïa pellant ſtatione,
Qua ſe iactant illi fortunatiſſimos;
Nec ſinant Camænas ita perturbari,
Et barbaris Cyrrha telis deturbari.

O quando reſciſcam fælices Athenas
Iucundis Sophiæ vocibus ſonare,
Et ad Aganippen,& rupes amænas,
Chriſtianis vates laudibus tonare?
Hanc lucem lutea prouocet Aurora
Amne Nerëio depoſita mora.

AD D. LVDOVICVM REGEM GALLIÆ.

Euche 20.
Diue, qui bellacem populum rexiſti,
Et ſceptra liliis florida geſſiſti,
Nunc defunctis terris cœlicola magnus
Dulce purpureo nectar ore bibis;
Et dape veſceris,quam piis dat Agnus,
Cuius immortales ad menſas accumbis,

Adſpi-

Adſpiciens tuo nubila ſub pede,
Et ſedens coruſca ſideribus ſede,

Cùm vitales auras nobiſcum duceres,
Et creditos tibi populos regeres,
Acerrima ſemper prælia gerebas
Cum Mahometanis impiis gentibus,
Et pectore pio moleſtè ferebas,
Illam ſtirpem Syris præeſſe mentibus,
Quæ virum dignatur æde marmorea,
A Deo damnatum Styge Tartarea.

Hinc religionis accenſus amore,
Atque Chriſtiano permotus honore,
Bello comitatum negligebas letum,
Et qui ſentiuntur per terram labores,
Ac per vndiſoni maris æquor latum,
Sitim,famem,frigus,& Solis ardores,
Luemque,corrupto cœlo,peſtilentem,
Horridoque febrim tremore pallentem.

Quæ pietas tandem tibi tulit fatum,
Et viam reperit ad axem ſtellatum,
Vnde terrigenas miſeros reſpicis,
Et lumina nunquam non lacrymãtia,
Affectoſque morbis artus tabificis,
Triſtemque prælia mortem minantia;
Tum quos caſus iræ ferunt Martiales,
Et miſſæ Tartaro manus furiales.

Tuis Deus verbis motus Ludouice,
Hac miſerabili nos liberet vice,
Et Gallos in fines Thracios immittat,
Inter ſe percuſſo fœdere concordes,

Et ad ima lacus Stygij demittat
Cum Perſica Turcas ſobole diſcordes:
Nam penitus leges colunt execrandas,
Aſpernantes Chriſti voces venerandas.

Vel Aten,quod præſtat,damnent Arabicam,
Quæ tandem generat mortem Cocyticam,
Et agnoſcant Chriſtum Tonantis filium,
Et ament,& colant, & deuenerentur,
Seſe ſubmittentes ſub Euangelium;
Et ſic quem poſſident orbe dominentur,
Atuaque floreant per Trapezuntia,
Et placidè ſceptra regant Byzantia.

AD D. SIMONEM APOSTOLVM.

Euche 21.

APoſtole,cuius dulce gero nomen,
Fac labe caream,
Et Deo paream,
Et nunquam non ſanctum deuenerer numen.

Nec ſubdolis trahar à voluptatibus,
Et Sirene blanda,
Et Ate nefanda,
Ne Phlegethontiis mergar gurgitibus.

Sed qua via cœlum petiiſti petam,
Et tellure functus,
Percipiam fructus,
Qui virtuti dantur ad ſtellantem metam.

Ad D. Vedastvm.

Euche 22.

DIue,qui duxiſti Comij poſteros
Voce ſuauidica,
Nec non veridica
Ad illum,qui vicit ſerpentes inferos:

Adiuua Matthæi curam paſtoralem,
Semper onus graue,
Et vix vnquam ſuaue,
Quo te preſſum vidit ſol olim mortalem.

Simul Saracenum,qui monachos regit
Ad ædes ornatas,
De te nominatas,
Vbi tua clarus oſſa lapis tegit.

Det tuis precibus numen fatigatum,
Vt munus haud vile,
Sic regat ouile
Hic & hic à Chriſto ſibi commendatum:

Ne grex ſanctus tetris petatur dentibus
Melanchthonis feri,
De ſtirpe Cerberi,
Longè gratiſſimi Bezanis gentibus.

Vt vterque Præſul referat poſt mortem
Fructus prudentiæ,
Ac diligentiæ,
Et cum diuis ducat nectaream ſortem.

Ad D. Pavlvm Apostolvm.

Euche 23.

PAule,nec Cilicum vertex altiſſimus,
Nec Cydnus ob vada laudatus lucida,

Nec

Nec Tarſenſis ager frugum ditiſſimus,
Et abundans croci ſegete florida,
Et donis,quæ palmes fundit lætiſſimus,
Ac Pomona cincta corona nitida;
Vrbes habent tuum nomen referentes,
Vel magni Tonantis filium colentes.

Ibi violenta Turcæ ſceptra gerunt,
Et noſtris infenſi rebus dominantur;
Nec crucis inſigne ſignum præ ſe ferunt,
Nec piis æthera pretiis mercantur;
Nec ſemina doctæ pietatis ſerunt,
Aut tibi conſitos per ſaltus vagantur:
Vbi flores legant excellentiſſimos,
Et morbis humanæ mentis aptiſſimos.

Sed ſpreta cœleſti lege perſequuntur
Abdaricum crimen,& obſcœnitates;
Et Acherontias fraudes amplectuntur,
Et Epicuræas curant voluptates;
Ad quas qui cupido pectore feruntur,
Erebæos rectà tendunt ad Penates,
Vbi pœnas dabunt ſuæ fœditatis,
Et Oſcam ſecutæ Deam cæcitatis.

Miſeri,qui nocte iacent Tartarea,
Tenebras ducente Stygiis amnibus,
Quos nunquam doctrina luſtrat ætherea,
Euangeliorum claris luminibus:
Quæ vias ad regna pandunt ſiderea,
Semper reſerata piis hominibus,
Illis obſerata,qui ſcelere gaudent,
Atque violare Chriſti leges audent.

At tibi

At tibi natali procul ditione
Arteſiæ pulcer ſitus aſpicitur,
Sub iucundiſſima cœli ſtatione;
Qua non ita longè Nereus diffunditur,
Qui Belgica floret nauigatione;
Et grauidis merce puppibus texitur;
Balenasq́ue membris immanibus fingit;
Ac diuerſa piſces effigie pingit.

Hæc iure laudatur tellus frugifera,
Variata campis,& pulcris collibus;
Nec veneni ferax,nec viperis fera,
Abundansq́ue ſtagnis aquę fertilibus;
Et quamuis habita ſemper belligeta,
Non aduerſa tamen bonis pacalibus;
Ac ſedula cultrix ſuperni numinis,
Atque tui nunquam non memor nominis.

Quippe præter aras,ac templa decora,
Quæ tuo nomine Tonanti dicauit,
Vbi ſerta ſemper dependent odora,
Thusq́ue frequens fumat,tibi conſecrauit
Vrbem claram,cuncta quæ peruolat ora;
Nam viros inſigni virtute creauit,
Qui bella geſſerunt prioribus annis,
Plurima cum laude ripas ad Iordanis.

At tu magne præſta magiſter gentium,
Vt nos amplexati leges Chriſtianas,
Vitemus triſtium ſpiras ſerpentium,
Quas fundit Lemanus,peſtes Arrianas;
Et præſentem mortem piarum mentium,
Cum lege,quæ gentes ludit Aſianas;
Tum quicquid mortales æthere prohibet,

Et

Et Phlegethontio carcere cohibet.

AD ANGELVM CVSTODEM. Euche 24.

ANgele qui mihi magiſter es datus
A rege, qui regit ſidereum collem;
Me tutare, velut multos es tutatus,
Qui vitam ducebát tum duram, tum mollem.

Et à me longius inſidias pelle
Anguis Chriſtianos vexantis athletas,
Quas mihi Stygia tectus nectit pelle,
Ne poſt mortem mea cœlum luſtret ætas.

Seu me vigilantèm claro die terret,
Siue pugnas atra nocte meditatur:
Tota via ſerpens Tartareus erret,
Et falſus meritis cachinnis petatur.

Vt tandem beatus munere cœleſti,
Effugiam magnis deſtinatam pœnis,
Sacrilegam gentem Charontis ſceleſti,
Et ferat aureis ad ſidera pennis.

SOLOR OLOR.

SIMONIS OGERII

EVCHON

LIBER SECVNDVS.

AD CHRISTVM ET CŒLITES.

Euche 1.

CHriſte Palæſtina grauiter cruciate ſub ora,
Non procul alta rupe Sionis:
Sic terram pateris quam rubro rore rigaſti,
Cùm tibi liuor fata parauit;
Ire ſub imperium Scythici furiale tyranni,
Atque profano vomere findi?
Mille ferè Titan Autumnos protulit, ex quo
Lex Mahumetis decipit orbem:
Meta dolo detur, præſcriptaque falſa peroſi,
Vera ſequantur dogmata Turcæ.
Teque Panomphæi regem fateantur Olympi,
Et venerandum numen adorent.
Quòd ſi Chriſticolas pergant vexare cateruas,
Quamque tuliſti ſpernere legem:
Fulmineas iubeant iras ac Flandrica cernant
Arma vagari, Graia per arua;
Et ſibi Threïciæ populos ſubmittere terræ,
Et mare, nomen quod gerit Helles;
Ac penetrare domos Iudæo ſole calentes,
Atque Sabæa ſede potiri.
Æquius hoc multò, quàm nos ita ducere bella,
Et maculari ſanguine fratrum.
Vinciat alme Deus facili concordia nodo
In ſua Gallos damna furentes;

Nec

Nec ſibi, ſed Turcæ noceant, dum prælia tentant,
Et rapiuntur Martis amore.
Et tu quæ dominum genuiſti regia virgo,
Ac aluiſti lacte beato,
Et tu, qui Solyma ceciniſti ſæpè ſub vmbra
Rex pie regem, qui regit aſtra,
Et vos ętherei ciues, quibus arua frequenti
Pinguis Idumes ſunt pede trita,
Tot per luſtra canes Syria tellure ſinetis
Abdaridarum dicere laudes,
Ac Euangelijs Arabas prępònere leges,
Vana doloſæ ſomnia mentis?
Ah precibus crebris, ac blanda voce rogate
Qui tonat atra nube parentem,
Horriſonos ſedet per Gallica regna tumultus,
Bellaque Thracum vertat ad arces,
Vt Turcis Aſia, terraque Libyſtide pulſis,
Gens ibi Chriſtum Belgica laudet.
Hanc vtinam lucem quamprimū lampade fauſta
Phœbus Eoa prouocet vnda.

AD MARIAM VIRGINEM DEIPARAM.

Euche 2.

STirpe Ieſſæa generata virgo,
Pulcrior lunæ radiante vultu,
Cœlitum regina, Deique mater
Cuncta regentis.

Semper & clemens, & amica voto
Gentis oppreſſæ querulo dolore,
Et maris vaſti furijs grauato
Portus, & aura,

Da rati noſtræ Boream ſecundum,
Vt Stygis nigras fugiamus vndas,
Et larem ſtellis repetamus aptum,
Remige fauſto.

AD CHRISTVM PATRIS AETERNI SAPIENTIAM.

Euche 3.

NOn ego Theſſalico ſaturatas murice veſtes,
Pactolúmue peto, diuitiaſque Midæ.
Sceptráque quæ Cyri maieſtas aurea geſſit,
Nec robur, validi quale Milonis erat.
Vel celeres Diomedis equos, faciémue Phaonis,
Sed quales habuit doctus Homerus opes.
Vt te Chriſte pia poſſim celebrare Thalia,
Dum ſub purpureo ſidere Solis ero.
At cū mœſta meas Lacheſis tumulauerit vmbras,
Ætherea cupio te regione frui;
Nec minor Angelico cœtu diſcumbere menſis,
Quæ procul à lacrymis nil niſi nectar olent:
Tuncque tuas plena laudes reſonare Camœna,
Blandaque Mæoniæ vincere plectra lyræ.
Ne piceis quæſo comitatus nubibus Auſter
Per rapidas Syrtes hęc mea vota ferat.

AD D. MARTINVM

Euche 4.

VT Cicero voluit, Iunonis filius acer
Mauors eſt dictus,
Quòd magna euertat. quod nos ita credimꝰ eſſe
Non ſemel experti.
Nam magnas vrbes infælix Gallia vidit
A Marte euerſas,
Et modò præcelſa multos in ſede locatos,
Nunc humiles gemere,

At

At tu ſollicita precibus Martine Tonantem,
Vt mala noſtra leuet;
Et Gallis pacem reddat, Martemque remittat
Ad Ciconum populos;
Ac magnum euertat regnū, quod Turca ſuperbis
Obtinet imperijs,
Neglecto celebrās Chriſto Mahumetis honores,
Abdaricumque nefas.

AD D. CATHARINAM VIRGINEM.

Euche 5.

INclyta progenies Coſti, pulcerrima virgo,
Cuius habet Caſium ſancta ſepulcra iugum,
Dum coleres olim vitam terreſtribus aruis,
Atque artus regeret mens generoſa tuos:
Omnia callebas, & quæ ſchola docta Platonis,
Quæque ſua Samius protulit arte ſenex:
Et Sophiæ varia florentis laude tumentes
Viciſti docto non ſemel ore viros:
Doctrinam ſancto cumulans pietatis honore,
Quæ veræ laudis gloria nomen habet.
Nam nunquam poterit ſtellatū attingere mōtem
Quæ doctrina pia relligione caret.
At poterit pietas nullis inſtructa ſophorum
Vocibus ætheree limen adire domus.
Ad Clarios igitur fac regia virgo penates
Semper eam, vinctus tempora fronde pia.
Ne meus Ambroſijs dapibus fraudetur Apollo
Poſt obitum Stygijs excipiendus aquis.

AD D. MARGARITAM VIRGINEM.

Euche 6.

VIrgo draconiferū forti quæ pectore monſtrū
Viciſti, Armeniæ gentis ſplendorque, decuſque,
Exuperans nitidas Erythræi marmoris vndas,

Luce tui vultus roſeo fulgore micanti;
Oro, meam Chriſto commendes ore ſalutem
Aſsiduo; atque meis faueas mitiſsima votis,
Nec nigra permittas miſerum ſub Tartara labi
Implicitum Veneris laqueo, Paphijſq; calentem
Ignibus, ac fœda vitiorum mole grauatum;
Sed leges Euangelicas, & ſancta colentem
Iura Pudicitiæ iubeas regione locari
Ætherea, expletis quæ terræ debeo luſtris.

AD DEVM PATREM MISERICORDIÆ. Euche 7.

CVM ſe rex Solymus cœlicolûm pater,
Spurcaſſet Veneris mortifera lue,
Vt pœna lueret ſupplicium graui,
Iuſſiſti legeret bella ferocia,
Vel montis dominam Caucaſei famem,
Vel peſtem rigida cuſpide præditam.
Rex monſtrum capitis peſtiferi legit,
Quod multos gelidis funeribus dedit.
At nos tergeminis impetimur malis,
Et Belgas acies ſanguineæ premunt,
Ac annona grauis cum lue tabida,
Aſt hæc triſte nefas elicuit mala,
Et culpa luimus ſupplicium minus.
At ſi iuſtitiam noſtra colat manus,
Merges gurgitibus Cimmeriæ Stygos
Magnum, quo premimur, pondus Alaſtoris,
Et condes grauidam fulminibus manum.
His pactis alacres ſtemus Olympie,
Vitemuſque vias criminis improbi,
Et Pœnæ fugiant noſtra procul ſola,
Et quicquid cruciat pectora Gallica,
Nec ſomnos faciles nocte ſinit capi.

AD

Ad D. Thomam Cantvarienſem.

Euche 8.

DIue Caledonijs olim celeberrime terris,
Et culte ad Tameſim Panchæi turis honore,
Nunc neglecte, tui poſtquam ſpreuere Britanni
Pontificum ſanctas leges, canonaſque verendos,
Amplexi miſeræ deliria vana Geneuæ;
Fac precor vmbriferum Caluinia peſtis ad Orcũ
Sacrilego redeat curru, Trinobantide terra
Pulſa, tuis precibus vera pietate reducta
Ad iuga Saxonicæ ſobolis, populoſque feroces,
Quos premit Oceana Nereus rapidiſsimus vnda.
Et poſtliminio Superis in ſancta reuerſis
Templa, quibus gaudet ſubuerſis dira propago,
Quæ celebrat Stygij nebuloſa fluenta Lemani;
Anglia Romanę ſeruet præſcripta cathedræ,
Olim inculpatę tibi culta ad funera vitæ.

Ad Christvm Medicinæ Avtorem.

Euche 9.

CHriſte ſalutiferi qui mitia gramina ſucci,
Et quicquid medica morbos leuat arte creaſti,
Adfer opem gelida Litauico febre trementi,
Quem Libitina ferox nigris circumuolat alis,
Ereptura gregi Cameracia regna colenti;
Ni iuſſis tremefacta tuis fera tela recondat,
Et caput hos Muſis gratum, ſtudioque relinquat,
Mortiferaſque minas in ſeros differat annos.

AD CHRISTVM GENERIS HVMANI arbitrum.

Euche 10.

CHriſte, tribunal erit tibi fulua nube locatũ,
Et vaga per cunctas ſerpent incendia terras,
Cùm tibi iudicijs homines agitare placebit.
Ad ſua tunc manes properabunt oſſa reuerti,
Et tibi clariſona ſiſtentur voce tubarum,
Digna relaturi vitæ ſub ſole peractæ
Præmia, vel cœlum, vel amari clauſtra Barathri.
Ipſe velut paſtor ſeiungit ouilibus hircos,
Iuſtificas mentes arcebis ab ore nefando,
Et ſcelerum puri dextra ſtatione fruentur:
At ſcelerata cohors ſtatuetur parte ſiniſtra.
Tunc, quia neglecto pietatis fœdere vitam
Egerit infœlix ſoboles, damnabitur Orco,
Aſſiduè crucianda vadis Phlegethontidos vndę.
At quia Iuſtitiæ nunquam violauerit aras
Grata deo ſoboles, nitidis donabitur aſtris,
Et tecum patria ſemper dominabitur aula;
Expers luctiſoni gemitus miſeriq́ue laboris.
Arbiter humani generis, rex inclyte regum
Chriſte, tuas cupido fac ſeruem pectore leges,
Ne coram ſuperis videar tibi claudere lęuam
Illa luce miſer, Stygio damnandus Auerno;
Sed dextram amplexus rutilanti ſede recumbam,
Et tua nectarea celebrem conuiuia menſa.

SIMO-

SIMONIS OGERII
EVCHON
LIBER TERTIVS.

Ad Divos Patrios.

Euche I.
AVdomare domo nate Germanica,
Et eiuſdem conſors Bertine ſanguinis,
Tuque Dionyſi lilijs amicte,
Et tu Dominice miti cum Franciſco,
Et auorum ceris Aldegonde clara,
Ac victore premens anguem malum pede
Margarita gemmis pulcrior Eois;
Et quotquot delubris gaudetis cœlites,
Vrbe, quam diuidit argenteus Aa,
Claris fluens aquis Morinos per fines,
Audite quas pio corde fundo preces,
Et tueamini Sixium præſulem,
Ac magni nominis Abbatem Vedaſtum,
Atque Cröiadæ caput Euſtathij,
Et Odardum ſtirpe genitum Lentia,
Qui ſibi commiſſas hîc regunt cateruas;
Et populum ſimul fouete deditum
Ritibus, quos pia veneratur Roma,
Et Sixtus pontifex pontificum caput,
Clauigeri ſedens apoſtoli ſede.
Nec hîc malus vnquam Beza figat pedem;
Luporum rabidis circumdatus armis;
Nec Orcus ſynceras decipiat mentes,
Et fœda Voluptas Tartaro demergat,
Sed Euangelium noſtra ducat corda,

Et

Et Chriſti capiat facile mandatum,
Et charitas igne ſuccendat cœleſti.
Vt tandem ſtellatum tangamus cacumen,
Et vobiſcum ſanćto fruamur Olympo,
Aſsiduè Dei vultum contemplantes,
Et ore libantes purpureo nećtar,
Quod Agnus propinat puræ tantùm menti.

AD D. NICOLAVM.
Euche 2.

QVi magnus has ędes extruxit patruus,
Sapientiſsimus erat Nicolāe;
Nam tibi mandauit horti curam ſui,
Vbi ſimulacrum laurus vmbrat tuum,
Varijs ornatum florum coloribus.
Hinc exulent quęſo Lampſacenæ voces,
Nec huc ferat pedem turpis Machloſyne,
Sed Pudicitia tibi gratiſsima,
Et Agno, crudeli multato funere,
Vt nos Tartareis eriperet lupis,
Atque ſidereo collocaret throno.
Et vt perueniſti ſtellatas in domos
Vićtor populorum Styga colentium,
Fac etiam prece tua meæ iunćta,
Ad cœlum faciles mihi dentur viæ,
Quas difficillimas tres faciunt hoſtes,
In me coniurati, Sarx, Coſmus, Acheron.

AD D. BERNARDVM.
Euche 3.

BErnarde Sequano generate ſolo,
Qui nunc aſtra tuis ſub pedibus vides,
Et iucundiſsimo nećtar ore bibis,
Antonium ſerua patrem monachorum,
Qui celebrant altas clari maris vndas,

Et colunt delubra nomen gerentia
Virginis, quam cœlum reginam fatetur,
Ne manus huc miles ſacrilegas ferat,
Et exurat loca cœlitibus grata,
Et tuis auferat clientibus vitam,
Vel ęre rigido, vel glande plumbea.
Amplexatus diri decreta Caluini,
Atque deteſtatus ſcita Pontificis,
Romanæ paſcentis Eccleſię gregem,
Quem tu cum mortali turbæ miſcereris,
Honore maximo ſemper excepiſti,
Faſſus clauigeri ſucceſſorem Petri,
Atque veriſsimum Chriſti vicarium,

AD D. ANNAM.

Euche. 4.

ANNA Chriſti matris mater mitiſsima,
Vt nil genitrici ſuæ natus negat;
Ita nil filia tibi negat vnquam:
Reſpicias ergò nympham cognominem,
Quam nuuc morbus agit, ac prohibe febrem
Vlterius pulcros artus exurere;
Pallidoſque iube vultus recipere
Colorem, quem prius gerebant nitidum,
Candorem ſcilicet cum rubore miſtum.

AD CHRISTVM MARIS DOMITOREM.

Euche 5.

EManuel heros Lalanius petit
Dunkerkam, magnumque littus Oceani,
Da Chriſte domitor truculenti maris,
Ne cadat in manus Nauarchos ſeueras
Britannæ ſobolis, vel prolis Batauæ,
Dum valida claſſe pontum fatigabit,

Et geret horridum per cærula bellum,
Tentans ęquoreos hoſtes reducere
Sub ſceptra Philippi regis mitiſſimi;
Sed redeat victor abductis ratibus,
Quas agebant Angli pelago ſuperbi,
Feroceſque nati Caninefatium;
Suſpendatque templis auro micantibus
Auulſa puppibus hoſtium vexilla,
Ingens veliuolę ſignum victoriæ.

AD DEVM PATREM.

Euche 6.

DEus, in quæ mala Belgæ deciderunt,
Dum nil niſi bella tractant truculenta,
In ſua cientes ſola morbos acres,
Pallentémque famem, cædémque rubentem,
Ah impios quæſo compeſcant furores,
Inque concordiam ciuilem redeant,
Ferrúmque conuertant Thracios in fines,
Et Mahometanos hoſtes acerrimos
Crucis, quam filius tinxit mitiſſimus
Innocui largo ſanguinis cruore,
Dum mortale genus eripit Erebo,
Et tranſfert nitidas ad Superûm domos;
Mitigata graui qua flagrabas ira
Ob primi parentis letale delictum.

AD CHRISTVM.

Euche 7.

LEtifera lue languet Lutetia,
Et funus funeri peſtis accumulat,
Eripias oro mortiferæ tabi
Chriſte, pudicorum fautor poëtarum,
Mitem Panagium, cum dulci Ronſardo,

Et Auratum decus gentis Argolicæ.
Hi tuas frequenter cecinere laudes
Hymnis Pindaricas æquantibus odas.

AD DD. AVDOMARVM ET BERTINVM.

Euche 8.

O Mere Sitij tutela populi,
Cum Bertino tibi ſanguine coniuncto,
En ſupplices ſanctis aduoluimur aris,
Et ornamus veſtra floribus ſepulcra,
Petimuſque prece vehementiſſima,
Vt in noſtra Deum vota pertrahatis:
Emittat madidos per aëra Notos,
Sopito gelidi ſpiritu Boreæ,
Et tellurem largo reficiat rore,
Quæ ſiccam nimio tempore fert ſitim,
Ne Morina fame laboret regio,
Et ægrę ſegetes victum nobis negent:
Ac ſuper omnia diſcordiam ſedet,
Pacémque reducat finibus Belgicis,
Miſſo Marte iuga ſub Rhodopëia,
Et hæreſi merſa Lethæo flumine.
Hæc deſideramus cœlites optimi,
Ne vota famulis dentur Æolijs
Per mare rapido ferenda turbine.
Sed tegite ſemper,quos illuſtrauiſtis
Clara Chriſtianæ veritatis luce,
Cùm populus noſter idôla coleret,
Studioſus vanæ ſuperſtitionis,
Et rectà Stygias properans ſub vmbras.

Ad

AD DEVM MISERICORDEM,

Euche 9.

O Ingentem Dei miſericordiam!
Sperabamus nobis interitum fame,
Nec cœli tempeſtas fauebat ſegeti,
Et hoſtes externas prohibebant fruges,
At nunc æſtus cœlo cecidit optatus,
Et ſereni ſoles fulſere per arua,
Pluuiarum læto madefacta rore,
Et opimis turgent horrea meſſibus,
Atque pleno cornu funditur copia,
Quin naues venerunt Amburga tellure,
Batauici Martis inuito furore.
Et vel ad ter ternos redijt aureos,
Qui ſtabat ter denis modius tritici.
Quare tibi magnas agimus gratias,
O pater hominum, mitiſſime Deus;
Et agere nullo deſinemus æuo;
Quòd ita Belgicam conſoleris famem,
Et nos à ſtellato miſereris axe;
Vt Samaritidos es miſertus vrbis,
Quam magna premebat caritas annonæ,
Et hoſtis cingebat exercitu fero.
Fac vnà cum Limo nos deſerat Ares,
Vt reliquit Syrus Achabiam gentem,
Et cum Syro dira victus inopia.

AD DD. AVDOMARVM
ET BERTINVM.

Euche 10.

Cœlites Morinis ita venerandi,
Vt Paulus genitis inſula Melite,
Nam per vos, vt illi per Paulum, videmus,

Quod

Quod Euangelio diffunditur lumen;
Et eſtis noſtrorum tutores finium,
Nec quod in rem noſtram facit negligitis,
Vt nuper à Deo nimbos impetraſtis,
Et calorem ſolis, ac meſſes benignas.
Quare vobis grates agimus maximas,
Et per vrbem veſtra geſtamus corpora,
Et pſalmis, & hymnis implemus æthera,
Ac Pæana fame deuicta canimus.
Sed rogamus plenum ſit beneficium.
Optabatur famis, & Gradiui pauſa,
Quieſcat nunc Mauors, vt fames quieuit.
Impetrate nobis hoc à Deo Diui,
Cum precibus noſtris veſtras coniungentes.

AD D. IACOBVM COMPOSTELLANVM.

Euche II.

DIue per Gallæcos venerate campos,
Præter terras omnes, quę ſub Sole iacent;
Iācobus tibi cognominis puer,
Filius Philippi regis Hiſpanorum,
Quem tot ſceptra manent, tibi ſe commendat.
Fac precibus regi ſidereo fuſis,
Optimo corporis vigeat habitu,
Et annos virilis attingat ætatis,
Ac paternas colat pietatis artes.
Quòd ſi per te cœlum votis annuerit,
Ipſe iam vir factus, & integer æui
Philippides, magna populi voluptas,
Marmorea Deo ſtatuet delubra,
Vbi memoria tui conſeruetur,
Nec Iācobęum taceatur nomen.

AD

AD DIVOS PRÆSIDES GALLIARVM.

Euche 12.

DIonyſi, Trudo, Martine, Remigi,
Audomare, Claudi, Nicolãe, Bauo,
Et quotquot præſides eſtis Galliarum,
Vbi vel ſanguinem pro Chriſto fudiſtis,
Vel veſtram clauſiſtis ſanctiſſimè vitam
Incruento terræ corpore mandato;
Vel tranſlatitijs colimini buſtis,
Succurrite nobis, & arcete procul
Germanum furorem, militeſque feros,
Quos in clades noſtras armauit Alecto,
Nec vi liligeras penetrent in oras,
Nec vires Guiſani ſuſtineant ducis,
Et gentis fœdere ſancto iunctiſsimæ.
Quòd ſi Gallicanos irrumpant in agros,
Fraude, vel Erebi, vel proditionis:
Facite ſuccumbant copijs fortibus,
Et ſanguine ſuo tellurem ſatient;
Vel tabe pereant, vel amne mergantur.
Ne victores noſtros occupent penates,
Et templa prophanis circumdent ignibus,
Atque ſacerdotes trucident ad aras,
Et in piam gentem furores effundant.

SOLOR OLOR.

Ogerias meo cantu curas ſolor,
Album docta collum Daphne cinctus olor,
Subiecto pedibus flore Clytiaco,
Qui Merimnen verbo ſonat Celtiaco.

SIMONIS OGERII

SYLVARVM

LIBRI DVODECIM.

AD IOANNEM IACOBVM TONIALVM.

HIS ego ſex libris ſyluarum nomina feci;
Sũt etenim celeri ſtudio,leuibuſq; camœnis
Compoſiti,& citharam pulſanti ex tempore fuſi:
Atque etiam veluti Phœbæa luce furente
In terris,medioſque dies,igneſque mouente
Icarios, vmbras quærit,ſaltuſque viator,
Vt leuet hîc ęſtus ſyluarum fronde virenti;
Sic ego,dum Batauus pugnat, bellũque cruentũ
In Belgis ardet,luctuſque,& tempora dura
Exagitant animum,curiſque frequentibus vror;
Aoniæ in ſyluas fugio,releuoque dolorem
Pierio cantu,& teſtudine Cyllenæa.
Hos nunc in Patriã properantem ſubdere pręlo
Hortantur multi,niuei candoris amici:
Ne rapido in fluuio, & præruptis Alpibus illos,
Inque via longa amittam(iactura feretur
Hæc tamen eſſe leuis)verùm pòſt Siſyphus alter
Inueniar,lapides qui trudit in ardua montis
Culmina,moxque videt volui radicibus imis,
Atque nouos & inexhauſtos ſubit inde labores.
His monitis morem geſſi Toniale, tibique
Dedico,qualiacumque vides,ſpoliata lepore
Carmina Pierio,ſacroque carentia thyrſo:
Nam fugio ingrati nomen, cane peius,& angui,
Meque pium, memoremq; tui,memoremq; tuorum

Eſſe

Eſſe volo, ne me ventura redarguat ętas,
Et culpæ inſimulet, quām vix maris abluat vnda:
Nam me veſtra domus miro dilexit amore,
Extremiſq; hominē Morinorū in finibus ortum
Amplexa, officijs cumulauit ſemper amicis.
Teſtis erit liquidis Atheſis nitidiſſimus vndis,
Teſtis & arboribus, quę nomen ſumpſit ab altis,
Illa tua, Andino digniſſima carmine, villa,
Quæ vitreos fontes, & picta coloribus arua,
Et virides ſyluas, & amictas vitibus vlmos
Iſmarijs paſſim oſtentat, ſegetemq; beatam
Meſſis triticeæ fundit flauentibus agris.
Et latè paſcit, quę ſunt animalia curæ
Omnia, numinibus frondoſa colentibus arua:
Marmoreaſque domos, atque alta palatia tollit
Ad cœlum, & longè & latè ſplendore coruſcat
Aurato, pictis doctè celeberrima ſignis,
Semper aperta viris primoribus, atque poëtis,
Quos, tua quę pietas, ſummè veneraris, amaſque,
Proſequeriſque omni ſtudio, dextraque benigna
Excipis, Aonio numquam nō nomine gaudens.
Nec verò vſque adeo fines tranſire pudoris
Perdidici, nec me tam dira inſania verſat,
Vt ſperem te laude mea ſuper æthera notum,
Orbe volaturum toto, æternumque futurum.
Ipſe quidem fama cunctis celebraberis oris,
Sydereumque polum ſublimi vertice tanges,
Sed non vocis eges ad talia munera noſtræ,
Nec certè alterius cuiuſquam, quamlibet ille
Aptus in Aonium carmen contendere poſſit
Mæonio vati, dubiamque relinquere palmam
Orpheos, & magnū Thamyram ſuperare canēdo.
Ipſe tibi, ipſe tibi vates eris, atque canora

Arte tuum eripies Lethæo nomen Auerno,
Carminibusque ſacris, tibi quæ Pataræus Apollo
Ore pio dictat, toto reſonaberis orbe
Semper, & inuita viues per ſæcula Parca:
Non etenim Arpina ſatis eſt tibi laude probari,
Et Demoſthenea, cœleſtiaque aſtra notare,
Pythagoræque reperta, & culti ſcita Lycæi,
Et ritus canonum, & legum decreta tenere;
Sed celebras etiam ſiluis Helicona virentem
Lauricomis, vertisque manus ad plectra ſonora,
Et citharæ ſtrepitu gaudes, fidibusque canoris,
Atque ſonum æthereas talem iacularis in auras,
Qualem populea fundit Philomela ſub vmbra,
Cùm ver purpureos ſpargit ſua dona per agros.
Tu tamen hæc in te non falſi pignus amoris
Conſule quæſo boni, quæ nũc tibi carmina dono;
Quæ poſſum dono, tandem maiora videbis,
Cùm Belgas poſitis armis, odiisque ſepultis
Non ficto amplexos cernemus fœdere pacem,
Quæque colebamus læti prius arua colemus,
Grataque Caſtaliis celebrabimus Orgia Nymphis.

FEDERICI CERVTI VERONENSIS IN SYLVAS SIMONIS OGERII.

VT liquidum vario mulcentes æthera cantu
Arguta in ſyluis voce queruntur aues:
Atque viatori garritu incommoda demunt,
Lætior vnde poteſt accelerare gradum:
Ogerius poterit docto ſic carmine, Lector,
Oppreſſum curis te releuare tuis.
Accedát aures cupidæ, lepidumque canorem
Excipiant, dices, dulcius eſſe nihil.
Arteſiæque lyræ, reſonanti facta virorum,
Aptabis prompta lauream ſerta manu.

SIMONIS OGERII

SYLVARVM
LIBER PRIMVS.

AD GERARDVM HAMERICVRIVM EPISCOPVM AVDOMARENSEM, ET ABBATEM BERTINIANVM.

AEqua fronte legas,oro,mitiſſime Præſul,
  Hæc,tibi quæ mittit verba legenda SIMON.
Si quæris,quid agat,curis exemptus amaris
  Ipſe colit Muſas,Aoniumque nemus.
Ipſe Deas triplices orat noctesque diesque,
  Vt tibi longæuo ſtamina longa neant.
Scire cupit,mentémque mouet,quòd neſciat,an ſis
  Sanus, vti nuper corpore ſanus eras.
Lætus erit,facilisque ſopor mulcebit ocellos,
  Si venæ ſolitum carpere detur iter:
Sed ſi fama loquax illi te nuntiet ægrum,
  Et triſtem mœſto decubuiſſe toro;
Æger erit;nec te poterit gaudere dolente:
  Fortunæ vultus induit ille tuæ.
Si quæris cauſas faciles illius amoris,
  Non illas vnquam diſſimulare velim.
Vt bonus Alcides ſuperas eduxit ad auras
  Theſea,qui cæco carcere clauſus erat;
Sic me quẽ Stygio Lacheſis damnauerat Orco,
  Inuitis fatis ex Acheronte trahis.
Namque ego dum nuper morbo cruciarer iniquo,
  Et vagus huc illuc verteret oſſa dolor:
Iamque meam vitam medicus donaret Auerno,
  Et mihi torquerent vltima fila Deę;
Ecce velut Chriſtus cœlo delapſus ab alto,
  Ipſe mihi portas,optime Præſul,opem:

Suppli-

Supplicibusque diu verbis affatus Olympum,
Eludis mortem, Tartareáſque Deas;
Méque meis reddis ſanum, rectéque valentem,
Iámque tuo vitam munere ſoſpes ago.
Hac igitur cauſſa ſemper, dum vita manebit,
Ipſe mihi magni numinis inſtar eris.
Antè feret cœlum ſegetes, & ſydera tellus,
Et Nereus ſyluas, Pan habitabit aquas;
Quàm tuus è noſtro labatur pectore vultus,
Quem non vlla dies eximet inde mihi.
Semper enim veluti præſens comitabit euntem,
Inque meos oculos curret imago tui.
Siue parem valida puppi proſcindere pontum,
Mecum cœruleas ære ſecabis aquas:
Siue vehar curru, peregrinas ductus in oras,
Abſque tuo nullus corpore currus erit.
Seu ſecter leporem canibus comitatus odoris,
Voce tua tendent ad ſua vota canes.
Siue legam ſanctos vates Heliconis ad vndam,
Ipſe quoque ad ſacri flumina fontis eris.
Siue dapes ſumam faciles, paruóque coëmptas,
Aſpiceris vultus ante ſedere meos.
Te quoque, cùm placidæ porrexi membra quieti,
Ante mei lecti fulcra iacere puto.
Denique quicquid ago, præſens mihi ſemper oberras,
Et ſine te nullum mens mea verſat opus.
Et quia me nimiùm virtus tua torquet amantem,
In diuerſa trahit ſollicitudo tui.
Nunc quæro mecum viridi proiectus in herba,
Quam propter liquidæ labitur amnis aquæ;
An valeas, & lætus agas, expérſque doloris,
Inque tuo niteat, qui ſolet, ore color:
An verò renes doleant, an febris alatur,

An caput, an lateris torqueat oſſa dolor.
Iamdudum nimiùm rodunt mea pectora curæ,
Si tua ſollicitus corpora morbus habet:
Et vereor de te mœſtæ præſagia mentis,
Et metus eſt, ne te pallida febris agat.
Siue dies igitur terras illuſtret Eoo,
Siue pruinoſæ tempora noctis eant;
Ad cœlum ſupplex orantia brachia tendo,
Concipioq́ue bonas in tua vota preces.
Vt rectè valeas, nec te dolor vrat acerbus,
Et ſint fortunæ mollia fata tuæ,
Et videas longæ lætiſſima tempora vitæ,
Et currat lentè funeris hora tui.
Dignus es in longos annos differre ſenectam,
Et ſupra Pylium tendere fata ſenem.
Te qnoque concedet Dominus ſtellantis Olympi
Nobiſcum longos viuere poſſe dies.
Sydereos ignes vincit candore Diana,
Cùm rutilum niueis æthera luſtrat equis;
Et longè ſuperas omnes virtutis alumnos,
Quos præſens ætas, optime Præſul, habet.
Viue ſenex æui decus admirabile noſtri,
Inq́ue, precor, cœli ſydera tardus eas.
Aſpicis, vt varient florentia prata colores,
Et voluat blandas limpidus amnis aquas:
Et virides campi pubentia gramina tollant,
Et ſeges in pingui luxurietur humo:
Et volucres vario delectent æthera cantu
Propter aquas virides, frondiferumq́ue nemus.
Si nos alme pater linquis ſecurus amantum,
Teq́ue rapit Superûm regia clara Deûm:
Iam neque diſtinguent florentia prata colores,
Nec voluet blandas limpidus amnis aquas:

Nec virides campi pubentia gramina tollent;
Nec ſeges in pingui luxuriabit humo:
Nec volucres vario mulcebunt æthera cantu,
Propter aquas virides, frondiferumque nemus:
Omnia ſed tecum celeri morientur in æuo;
Fila precor vitæ ſint diuturna tuæ.
Iampridem cœlum ſuadet tibi linquere terras,
Teque pater nobis inuidet aula Deûm:
Sed tellure mane, nec adhuc nos deſere quæſo:
Nam ſine te nobis viuere fata negant.
Ac veluti flores amiſſa matre videmus
Languidulum letho depoſuiſſe caput;
Sic nos ablato domino moriemur inertes,
Nec nobis vltra cura ſalutis erit.
Tu pater es nobis, tu nobis alter Apollo,
Mæcenasque alius redditus ad Superos.
En vbi templa tenet venerabile numen Omerus,
Quo non in toto pulcrior orbe locus;
Ducis ad Arteſiæ fines Helicona volentem,
Aoniosque lacus, Pierideſque Deas.
Omnes ſuſpiciunt educta palatia cœlo,
Et tua quod Muſis dextera fecit opus.
Fælices, quibus omnipotens indulſit Olympus,
Iſtac ætatis degere tempus humo.
Nempe tuis fas eſt præſentes cernere Muſas,
Venerunt iſthuc ex Helicone Deæ.
Cum Muſis etiam Nymphæ venere ſorores,
Venit & Aonij lumen Apollo chori;
Venit & armipotens belli Tritonia præſes,
Seque iſtic gemino gaudet honore coli:
Ingenio fauet illa bono, fauet arma ferenti,
Artis, & armorum dicitur eſſe Dea:
Et ſunt Arteſidæ clari, bellique potentes,

Acres,inuicti, magnanimíque viri.
Sed quamuis acies,& turbida bella ſequantur,
Et ſint aſſueti prelia dura pati;
Non tamen horribiles,nec duro robore nati,
Nec ſunt ſyluestres,ingenióque fero:
Sed lenes,comésque viri,blandíque, boníque,
Et nulli cauta ſimplicitate pares.
Illis ſe præbent faciles in carmina Muſæ,
Et dant Aonio fonte leuare ſitim.
O ego ſi turba pariter numerarer in illa,
Phœbæo nitidum cinctus honore caput:
Aut facilem venam teneri Naſonis haberem,
Aut os illius,qui canit arma virûm;
Te canerem tota, Præſul clariſſime,mente,
Et nomen noſſet Phœbus vterque tuum:
Sed quia Parnaſſum nobis inuidit Olympus,
Nec mea Gorgoneo flumine labra madent;
Exurgent alij,quibus aſpirabit Apollo,
Os fingens, cuius laude perennis eris.
Centum ſunt cauſſæ certè,cur ſemper ameris,
Nec tuus è vatum pectore vultus eat.
Nam te ſollicitis animis oſtendis amicum,
Et bonus exaudis verba rogantis opem:
Et quicunque venit fatis agitatus iniquis,
Te ſibi præſentem ſentit adeſſe Deum.
Ingeniis largiris opes,largiris honores:
Te nullus vatum diuite pauper erit.
Sic & Mæcenas olim faciebat Hetrùſcus,
Et Mæcenatem ſecula longa ſcient.
Hunc neque nobilitas,nec auitæ ſtemmata gentis,
Nec pater antiquo ſanguine natus eques;
Nec,quibus eſt toties olim defunctus,honores,
Nec toto faciunt diuitiæ orbe legi;

Sed

Sed tantùm pietas in egenos prompta Poëtas:
  Hinc ſenis illius nomen in aſtra venit.
Quòd viuis, debes, Mæcenas alme, Camœnis,
  Viuere te ſolum Calliopea facit.
Certatimque tuas laudes cecinere Poëtæ:
  Multis principibus defuit illud idem.
Flebat Alexander nullum quòd haberet Homerum,
  Qui caneret forti carmine facta ſua:
Et meritò lacrymás fudit clariſſimus heros,
  Nec certè regi dedecus illud erat.
Multa latent, æuo non obſeruata priori,
  Quæ fecit clari ſtrennua dextra viri:
Sed nos neſcimus, quoniam qui facta referret
  Inclyta, tunc illo tempore nullus erat.
Omnia longinqui vitiantur dentibus æui,
  Et nihil eſt, quod non auferat ipſa dies.
Carmina morte carent, ridéntque minantia fata,
  Omnia cùm pereant, carmina morte carent.
Et quia Mæonides magnum memorauit Achillem,
  Pelides longo tempore notus erit.
Troia iacet, pulcérque iacet cum fratribus Hector:
  Sed tamen æternum carmine nomen habent.
Tu quoque cùm foueas, Præſul diuine, Poëtas,
  Et præſens illis inueniare Deus:
Dum vehet vnda rates, dum ſydera paſcet Olympus,
  Dum volucris ſyluas, piſcis amabit aquas:
Omnibus in terris, roſeo quas lumine Titan
  Luſtrat, Hyantæo carmine clarus eris.

AD GERARDVM CORNELIVM.

HÆ ſunt primitiæ ſtudiorum docte meorum
  Corneli, hæc luſi carmina penè puer:

Queis ego magnanimum ſtudeo celebrare Gerardum,
Qui vir Mæonio pectore dignus erat:
Non ſunt hæc Claria, fateor, de gente profecta,
Nec redolent Cyrrham, Pegaſeumque larem:
Sed quia me, quantum primo mihi fauerit æuo
Theſpia, cùm facerem carmina, ſcire iuuat;
Hæc volui, blattas metuens, committere prælo:
Sed timeo linguam dira Megæra tuam.
Zoilus armiſoni nec carmina laudat Homeri,
Nec probat Andinæ ſtamina docta lyræ.
Quid fiet nobis, qui nunquam vidimus arua
Cynthia, nec Lycio regna ſacrata Deo?
Excuſes igitur præſentia carmina toto
Pectore, Caſtalio note Poëta iugo:
Et quoties volet hæc Stygius proſcindere liuor,
Hæc, dicas, pueri Muſa SIMONIS erat:
Poſtmodò ſi viuet, cernes maiora, fauente
Illi Calliope, Mæoniaque domo.
Interea nunquam ceſſat reſonare Gerardum,
Quæ colit Ortygios docta caterua lacus:
Hunc tu præcipuè Ronſardi dulcis alumne
Dictum Pindarica tollis in aſtra lyra:
Nec ſinis egregium, qui texit Hyantia ſemper
Mœnia, Cimmeria nocte iacere virum.

AD PETRVM ERNESTVM FACVÆVM.

Aſſiduè egregij voluiſti Erneſte Gerardi
Ingenuos mores, & pia facta ſequi.
Ille lacus liquidos Pataræa valle fluentes
Diligit, & Lycij gemmea prata iugi:
Et probat Aoniæ citharas, melicoſque ſonores,
Munificaque manu carmina docta fouet:
Si tales Cyrrhæ multos Heroas Olympus

Dona-

Donaret, Phœbi lætior eſſet ager.
Atque è contemptu vatûm ſanctiſſimus ordo
Exiret poſitus nobiliore loco.
Huic optant ideo Tithonia ſecula vates,
Et ſemper niuea ſtamina ducta manu.
Et tibi Piërides Iuuenis generoſe precantur
Hæc eadem, Clarias nam veneraris aquas.
Cumque premit fortuna pios Heliconis alumnos,
Et doctas mentes anxia cura ſubit;
Tunc ades, & dictis mœrentia pectora mulces,
Nec tua Piërium deſerit arca larem.
Fælix auxilium, pro tali munere vobis
Numina Caſtaliæ præmia magna dabunt.
Dum frondes Helicon, dum flumina Pindus habebit,
Mæcenas vatum carmine notus erit.
Hunc apud Eoos reſonant Gangetides vndæ,
Hunc canit ad nitidas diues Iberus aquas;
Hunc celebrat populus, tepidû qui vergit ad axem,
Hunc memorat gelido proxima turba polo.
Vnde niſi pietate ſua pulcerrimus heros
Hæc celebri cantu per loca nomen habet?
Si nullis Clarios meritis cumulaſſet honores,
Nec Pataræ læta fronte tuliſſet opem:
Hunc neque diuini celebrarent ſcripta Maronis,
Nec canerent vario Daunia plectra ſono.
Sed nulla celebrem mundi regione, iacere
Tartarea ſinerent in Phlegethontis aqua.
Vos quoque Theſpiades cumulabunt laude perenni,
Et veſtrum nomen ſecula cuncta ſcient.
Nili Pyramides, Troianaque Pergama tandem
In cineres abeunt, & ſua fata vident.
Durat opus, Vatum ſolers quod dextera fecit,
Nec lyra Mæonidæ tempore victa ſilet.

AD GASPAREM PHILIPPVM.

NVnquam ſollicitis, Gaſpar dulciſſime, curis
 Tangitur, Aonij qui iuga montis amat.
Et ſi quid duri veniat, quo corda grauentur,
 Protinus id Phœbus, Pieridesque leuant:
Vt medicus, cùm quis morbo tentatur acerbo,
 Ipſe Machaonia diſſipat arte malum.
Tunc igitur ſyluæ fugiam Parnaſſidos vmbras,
 Inijcient auidas cùm mihi fata manus.
Non me ſollicitant ſtolidæ ſuffragia plebis;
 Ambitione nihil triſtius eſſe poteſt.
Nec me vexat amor cenſus, aurique cupido;
 Paruo contentum viuere Muſa docet.
Nec mors atra meum pectus formidine tangit;
 Cultor Pieridum viuus in aſtra volat.
Ipſe merè fælix, & curis liber ademptis,
 Quò lubet huc illuc numine tutus eo.
Iamque nemus gratum frondoſo vertice nactus,
 In viridi corpus gramine pono meum;
Atque ibi Caſtaliç miro ſuccenſus amore,
 Incipio numeris nectere verba ſuis.
Non me deſtituit ſcribentem pulcer Apollo,
 Sed mihi cantanti numine dexter adeſt.
Nec deſunt doctæ Pataræi ruris alumnæ,
 Hæ quoque dant citharæ fila canora meæ.
Nil eſt Pieriis quicquam formoſius hortis,
 Nil fide Mæonia dulcius eſſe poteſt.
Ipſe mihi videor poſitus cœleſtibus aſtris,
 Aonia ſcriptis gente fauente meis.
Quærat auarus opes, vaniſque laboribus inſtet,
 Perque procelloſas ſollicitetur aquas.
At me Pieridum ſaltus, & frigida Tempe
 Colle ſub vmbroſo fronde virente tegant.

Cùm

Cùm mors aduenict, terra tumulabitur ille,
Et Phlegethontæis excipietur aquis:
Cùm mors adueniet, ſublimia tollar in aſtra
Vndique ſydereo lumine ſeptus ego.
Méque ſcient gentes, & quæ ſpatiantur ad Indum,
Quæque bibunt nitidi pulcra fluenta Tagi;
Et quæ ſyderibus nimiùm feruentibus ardet,
Et quæ perpetuo frigore terra riget,
Sic ſperare iubet ſtudioſo diua Thalia,
Hos tandem fructus aſſerit illa mihi.
Nec mihi promittit Thymbræus Apollo minora,
Has etiam meſſes eſſe laboris ait.

AD IACOBVM PVLLANVM.

SCribe mihi quali pelago tua cymba feratur,
O ingens animæ pars Iăcobe meæ.
Et quid agas rerum, belli flagrante tumultu,
Inque Brabantiaco Marte furente ſolo.
An tibi ſum vilis, nec carus vt ante ſolebam?
Ogeriique tuum tædia pectus habent?
Hoc citius, credam ſegetes producere cœlum,
Claraque gramineum ſydera ferre ſolum.
Credam Sarmaticas Elephantos nare per vndas,
Balenasque cita carpere prata fuga.
Nec me longa dies poterit, ſpatiumque locorum,
Nec Lethæa palus demere corde tuo.
Fœdus amicitiæ, quod nos percuſſimus olim,
Te monet Ogerium ſemper amare tuum.
Nos miro docuit ſtudio pueribus annis,
Et Graio, & Latio Maximus ore loqui.
Hoc pariter Cyrrham, Phœbæaq; caſtra magiſtro
Audomarus vidit nos celebrare pater.
Inde Louaniacas alacres inuiſimus oras,
Et leges noſtrûm diſcit vterque ſacras.

O quàm

O quàm iucundum nobis erat, vrbe relicta
Interdum colles viſere purpureos:
Et feſſum ſtudio viridanti in gramine corpus
Ponere,propter aquas Dilia magne tuas;
Et cupida nitidos dextra decerpere flores,
Quos multos vario prata colore ferunt.
Inque iugo vmbroſo nemorum captare virentum
Frigora,cùm premeret ſtella Leonis humum,
Et pede non celeri ſpatiantes fallere tempus
Dulcibus hiſtoriis,colloquioque pio.
Non ſemper ſiluas canibus comitata fatigat
Delia,terribeles perſequiturque feras:
Sæpè ſibi requiem poſcit Latonia virgo,
Et ſolitam pacem frondea tecta vident,
Nec fas aſſiduè ſtudiis vigilare ſeueris,
Sunt etiam doctis otia danda libris.
Sic igitur virides olim conſumpſimus annos,
Ad fluuium,Clarias qui ſimulabat aquas;
Nunc Mars Palladia Muſas regione fugauit,
Dantque locum raucæ plectra ſonora tubæ:
Oppidaque inſanis vruntur Belgica flammis,
Fluminaque humano ſanguine plena tument.
O quàm mutata eſt facies regionis amœnæ,
Et dulces terras qualia fata premunt!
Sed tu quid facias? quis contra numina pugnet?
Sic olim ſtatuit Rex,hominumque pater.
Iuimus inſani neglecto numine Diuûm,
Quò cupidam mentem cæca libido tulit.
Nunc ſcelerum pœnas repetunt; fraudesque, dolosque
Caſtigant Martis tela iubente Deo.
Si veris Superûm monitis parére velimus,
Et ſanctas leges,iuſtitiamque ſequi;
Cœlicolûm genitor ſubitò ſua tela recondet,

Nec

Nec ſparget noſtro fulmina dira ſolo:
Armiſonæque tubæ Belgarum regna relinquent,
Et gentes alias ferrea bella petent.
Gentes, quæ Venerem fœdam, luxumque ſequuntur,
Et dirum verſant corde furente nefas.
Non ſemper, credo, vitiis tendemus habenas,
Nec ſemper Getica nos Phobus arte premet.
Nam non perpetuis albeſcunt árua pruinis,
Fert quoque purpureas terra benigna roſas.
O celeri remeent curſu, volucrique carina
Odryſias repetant Martia caſtra domos:
Et properẽt Scythicum bello exercere tyrannum,
Qui Mahometanæ fœdera legis amat,
Nec tenet imperium iuſtè Nepheleïdos Helles,
Et vexat variis pectora Graia modis.
Sed miſſum Martem faciamus, & arma cruenta,
Et rabiem belli, militiæque nefas:
Et tu ſcribe mihi, quæ ſcis me velle, duobus
Carminibus, digiti ſi modò tempus habent.
Credo tibi validum corpus, nitidumque colorem
Eſſe, nec optatis pondus abeſſe tuis.
Excipio fatum patriæ, triſteſque ruinas,
Quas puto laurigeri numinis arte leuas.
Ipſe Duacena moror vrbe, furentibus armis,
Et curas dulci carmine fallo meas.
Hæc mihi triſtitiæ præſens medicina videtur,
Triſtia ſanguineo bella mouente Deo.

IN CALVINVM.

QVi quondam fucum faciebat, fallere doctus
Incautas mentes, craſſæque illudere genti,
Caluere dictus erat: ſic tu cognomine vero
Dictus es, ô Caluine rudes, hebeteſque magiſter
Egregius populos fucatis fallere verbis.

Sed tu

Sed tu decipiens alios, te decipis ipſum:
Nam tibi poſt obitum non Hebe candida nectar
Fundet odoratum, Stygia ſed plena palude
Tiſiphone nigra præbebit pocula dextra:
Atque ita Caluini fallentur labra prophani.

AD ARNOLDVM SCOYTÆVM.

O Quando belli rabies Arnolde relinquet
Scaldin, & Oceano proxima regna mari?
Quando fertilibus campis Vulcanius ardor
Parcet, & incipiet Belgica terra coli?
Linque Brabantiacos fines, & mœnia pulcræ
Anuerſæ, Getico Mars generate ſolo.
Aſpice, quàm multo tumeant rubefacta cruore
Flumina, quotque virûm millia condat humus.
Belgiades mœſtis tundunt ſua pectora pugnis,
Et cæſos fratres hæc gemit, illa virum.
Illa patrem ſtratum venerandas luget ad aras,
Hæc natas prædam militis eſſe dolet.
Illa videt natos primæuo flore iuuentæ
In pugna captos, vincula dura pati.
Hectoream gentem bello vexaſſe biluſtri
Diceris, at miſeros nos tria luſtra premunt.
Iam tempus Thracen, patriasque reuiſere terras,
Iam ſatis in noſtro prælia geſta ſolo.
Vos quoque magnanimi reges, compellite ſęuum
Numen in Odryſias bella referre domos.
Ite, agite, Abdaricam properate extinguere ſectam,
Scitaque deliri pernicioſa viri.
Et rapite iniuſto Byzantia regna tyranno,
Structaque Dardaniis oppida littoribus.
Poſtq; bonis auibus ſacram contendite ad vrbem,
Saxaque quæ Chriſti ſanguine tincta rubent.
Vt Crucis egregius memoretur vbiq; triumphus,

Floreat & ſanctæ relligionis honor.
Non poterunt Thraces Gallæ ſolertia gentis
Pectora, belligeras nec tolerare manus.
Ah, quoties olim veſtra virtute fugatos
Magno cum gemitu ſe meminiſſe ſolent.
In veſtris manibus victoria; tendite læti
Littus ad Iſmarium, Biſtoniosque lares.
Præcipuè cùm iam Nabathæa gente premantur,
Quæ crebrò ex illis clara trophæa refert.
Vos quoque ſeruitio preſſa, & crudelibus armis
Græcia, qua poterit terra iuuabit ope.
Præmia magna vocant: Turcarum regia diues,
Atque aurum, nitida quod vehit Hebrus aqua:
Et pingues Aſiæ campi, terræque feraces,
Quas Pharius valido vomere taurus arat:
Famaque Bargæo totum referenda per orbem
Carmine Pïerio, Mæoniaque tuba.
At Geticos aliquis gladios, Scythicasq; ſagittas,
Sithoniaque timet ſpicula miſſa manu:
Inter vos vetitis alacres concurritis armis,
Et geritis poſito bella cruenta metu:
Threïciasque manus, & barbara tela timetis?
Quò procul à vobis mens bona pulſa fugit?
Hoc populi poterant Turcarum mille domari
Sanguine, quem diſcors Gallia fudit humi.
Imperiumque orbis magna virtute parari,
Claraque liligeræ gloria gentis erat.
Sternite Caucaſeas acies, hoſtesque Tonantis,
Soluite perpetùo Dorica corda metu.
Quiſquis in hoc bello lethales excipit ictus,
Protinus Angelica fertur in aſtra manu.
Sed gelidi nomen lethi, mortisque timorem
Ponite; quem violent vulnera, nullus erit.

Ægide

Ægide ſiderea Chriſtus pia bella gerentes,
  Strimonias haſtas hoſte vibrante,teget.
Atque dabit validas vobis in prælia vires,
  Vertet & in celerem Thracia caſtra fugam.

AD IOANNEM OGERIVM.

Pieriæ ſacro nutriti in vertice vates:
  Nil vitij,liuor quod reprehendat,habent.
Inſidias nulli tendunt,nec pallida miſcent
  Pocula,nec ferro lurida fata mouent.
Nec rabida turgent ira,nec turpis acerbum
  Inuidiæ niueo pectore virus alunt.
Nec lite iniuſta populum ad prætoria vexant,
  Nec naue inſana per freta cæca volant.
Nec tumidos ſitiunt faſces,rigidaſque ſecures,
  Textaque Sidonio bis madefacta ſolo.
Quæ crebris poſcunt cœleſtia numina votis
  Præ cunctis aliis otia rebus amant.
Nec data ſomnifero conſumunt otia lecto,
  Aut Paphio luxu,Threïcioque mero.
Otia Pieridum vel ſumma negotia vincunt
  Craſſi,Siſyphiis anteferenda lucris.
Et ſuperant gemmas Erythræi littoris illa,
  Quæ vatum in ſcriptis aurea dicta micant.
Otia cùm vates repererunt,qualia poſcit
  E ſupera veniens ſpiritus ille domo;
Tunc oculos flectunt ad amœnæ flumina Cyrrhę,
  Caſtaliæque domus florida prata petunt.
Atq; ibi,laurigeris vmbram facientibus antris,
  Sollicitant vario dulcia plectra ſono.
Hic canit,ætheream mundi qui temperat arcem,
  Et celebrat ſanctis numina ſancta modis.
Ille refert claro generatos ſanguine reges,
  Et reſonat docta fortia facta lyra.

Ille docet, quanam ratione petamus Olympum,
Et Stygios latices qua fugiamus ope.
Quoque modo placidam poſſimus degere vitam,
Dum Lacheſis nobis vltima fila ſecet.
Hic facili rerum rationem carmine reddit,
Vnde niues, rapidi quæ ſit origo Noti.
Quid quatiat terram, quid fulmina mittat ab alto,
Quid moueat longa ſidera torua coma.
Quid cœlo oſtendat pulchræ Thaumantidos arcum,
Et variet nubes, imbriferumque polum.
Cur tegat obſcura vultum ferrugine Phœbus,
Lunaque ſanguineis ęthera carpat equis.
Cur liquidas Nereus aliquando mulceat vndas,
Cur mox æquoreis ſidera pulſet aquis.
Moribus his vates cùm Delia tecta frequentent,
Et ſumma Superos relligione colant:
Miraris, cur innocuos Heliconis alumnos
Tam pauci foueant, muneribuſque beent.
Et tamen Aonij, dura ſi ſorte premantur,
Nil dignum vates poſteritate canant.
Nec poterunt validas adferre in carmina vires,
Cultaque Pierię plectra mouere lyrę.
Si non ſint ſaturi, Thiſbæàque arbore pleni,
Nunquam bombices aurea fila vomunt.
Nec flauam Cererem, nec Bacchi munera profert,
Si ſolis radijs deſtituatur ager.
Nec crocei cultis flores naſcuntur in hortis,
Si nunquam pluuias concitet Auſter aquas.
Et nunquam niueus Phœbi modulabitur ales
Carmina, ni Zephyri mulceat aura polum.
Omnes diuitijs inhiant, aurique trahuntur
Lumine, nilque lucro dulcius eſſe putant.
Tantáque mortales hodiè veſania vexat,

O Pierię.

Pieriǫque domus nunc ita ſordet honor:
Vt potius terra theſauros condat auarus,
Tempore quàm duro ſubleuet Aoniam.
Cur ederæ,& lauri iaceant ſine honore relictæ,
Dulcis Ioannes,reddita cauſa tibi eſt.
At rogitas etiam cur excludantur ab aula,
Et rarò vates regia tecta petant.
Peſtiferi reges,ſtirps importuna Neronum,
In Stygio furiæ quos genuere toro:
Quòd videant vatum ſcriptis ſua facta notari,
Nec ſcelera Aonium diſſimulare chorum:
Oderunt,præter meritum,Permeſſidas vndas,
Phœbæumque nemus,laurigeráſque comas.
Nec ſuperis gratos Dircæę vallis olores,
Iſmariæque ferunt carmina culta lyrę.
Sed rigidos enſes,horrendáque fata minantur,
Si vates greſſus in ſua regna ferant.
Et ſæpè Aonio reſpergunt ſanguine dextram,
Lucanoſque fero cùm licet enſe necant.
At clari Auguſto geniti de ſanguine reges,
Qui Themidos leges,& pia iura colunt:
Quòd virtus ſacro memoretur carmine vatum,
Et Muſæ Heroum nomen in aſtra ferant:
Semper Apollineæ venerantur numina Cyrrhæ,
Et ſacra laurigeri flumina montis amant.
Caſtaliæque ſibi tribui præconia gaudent,
Carminaque immenſi muneris inſtar habent.
Nec deſunt Muſis,cùm triſtia nubila ſurgunt,
Et petit Ogygias turba prophana Deas.
Sed celeres adſunt,Heliconiaque arua tuentur,
Virglioſque tegunt,Virgilióſque fouent.
At licet Aonides raro celebrentur honore,
Et iaceant vili laurea ſerta loco:

Non tamen idcirco manibus ponendus Homerus,
Plectráque Mæoniæ proijcienda lyrę.
Nec fugienda domus Pimplæ viridiſſima lauro,
Sanctáque quæ Clario flumina monte cadunt.
Diuitię, terra quas dirus condit auarus,
Morte relinquuntur, nec comitantur herum.
Cúmque dies inſtat lethi, fera monſtra, Tyranni
Protinus in Stygias deijciuntur aquas,
Supplicióque nouo, & picea caligine preſſi
Nullum poſt fati tempora nomen habent.
Ac veluti nunquam geniti tellure ſilentur,
Et fama, curſum ſemper habente, carent;
Quæ multis emitur caræ diſcrimine vitæ:
Teſtis erit templum ſancta Diana tuum.
At vates ſemper celebres, & morte ſepulti
Clarius æthereo ſidere nomen habent.
Carmina Pieriæ tribuunt poſt funera vitam,
Et rident Stygios, flumina nigra, lacus,
Nec ſeſe ſolos cumulant hoc munere laudis,
Et curant omni poſteritate legi:
Sed reges etiam, & pulchrę virtutis alumnos,
Et decus, & patriæ nomina cara ſuę.
Męonidę cunctis nomen celebratur in oris,
Famáque Virgilij morte vetante viget.
Smyrnáque Caſtalidum verè domus eſſe putatur,
Mantuáque Andina ſurgit ad aſtra lyra.
Et quis Priamiden, & quis non nouit Achillem,
Et Laërtiaden, Aſcanijque patrem?
Tu quoque care mihi cognati ſanguinis ortu,
Sed longè ſtudio carior Aonio:
Fac Iouis auxilijs magno celebretur honore
Omnibus in terris Ogeriana domus.
Egregius bello princeps, rectórque Danorum

Ogerius, noſtrę gentis origo fuit.
Hic validis Heros ſuperauit viribus omnes,
Nec tam terribili Marte Rolandus erat.
Nec ferro potuit lædi, nec ſanguine quiſquam
Ogerij terram ſe maculaſſe refert.
Illius eximiam virtutem, & fortia facta
Carolus aurifera vidit in Heſperia.
Vidit & in patria, cùm Saræ nomine lęta
Sequanicos ferro gens violaret agros.
Hanc iuuenis Cimbro Marti dare terga coëgit,
Et latam Mauro ſanguine tinxit humum.
Nec taceas vrbem, cui iuſſu Cæſaris olim
Sitius à Cereris munere nomen erat.
Condidit hanc Cęſar, cùm ſęuo Marte Britannos
Oceani ad magnas ſollicitaret aquas.
Omniaque hîc condi voluit frumenta, ſibiq́ue
Hinc mitti, armata gente petente cibum.
Nam tunc pulſa mari, portus quoque nomen habebat,
At maris hoc ipſam tempore liquit aqua.
Anchoráque in ſummo reperitur monte frequenter,
Cùm terram valido vomere ſulcat equus.
Nunc vetus amiſit nomen, noménque recepit
Sitius Audomari, nomine læta nouo.
Hic, ad nos olim Germana ſede profectus,
Exegit veteres, numina falſa, Deos:
Et verum nobis numen celebrauit IESVM:
Francorum princeps tunc Dagobertus erat.
Nunc fruitur cœlo; temploq́ue, ariſq́ue receptus
Nomen inextinctum Sanctus Omerus habet.
Hęc vrbs præcipuè furijs inimica Geneuę,
Ritus Romanæ relligionis amat.
Quæq́ue micant gemmis, auroq́ue, & marmore pulchro
Templa, Deo ingenti ſtructa labore dicat.

Mœni-

Mœnibus excelſis,ſtudijſque aſperrima belli,
Non tamen Aonijs eſt aliena ſacris.
Neſcia Sardiniȩ peſtis,cȩloque ſalubri,
Et paſſim liquidas eiaculatur aquas.
Et colles nitidos habet,& viridantia Tempe,
Atque ſolum miræ fertilitatis arat.
Hæc,& plura volo celebres, quæ patria tellus
Perpetuo Superûm munere nacta bona eſt.
Iſta mihi nequeunt per iniqua negotia dici,
Nec fauet ingenio diua Thalia meo.
Tu,quod fata negant mihi,præſta carmine dulci,
Et patriæ in laudes fila canora moue:
Es re non parua,ſed iugera lata Viſerna
Vomere non vno cernit arare patrem.
Hîc potes vmbroſo meditari carmina luco,
Ad virides ripas prætereuntis aquæ.
Scribenti lepidos dictat tibi candida verſus
Calliope,& nullo plectra labore moues.
Quòd ſi dura tibi cenſus fortuna negaſſet,
Qui tua fouiſſet ſcripta,Gerardus erat.
Quod nautis gemini,fœlicia ſidera,fratres,
Cùm miſcet tumidas naufragus Auſter aquas:
Optimus hoc doctis Heros ſolet eſſe poëtis,
Aduerſa Aonium ſorte premente larem.
Hunc etiam Clario celebrari carmine dignum,
Ad cœlum citharæ tolle canore tuæ.
Nemo viri meritas laudes ignoret in orbe,
Siue ſit Eous,ſiue ſit Heſperius.
Quò minor in terris Heroum eſt copia,tantò
Maiori vatum debet honore coli.

SIMONIS OGERII

SYLVARVM

LIBER SECVNDVS.

AD AAM FLVVIVM.

SI te voce mea,& quàm poſſum carmine claro
Indictum ſinerem Lethæo currere ritu,
In crimen raperer,culpæque obnoxius eſſem;
Et vitio ingratę mentis,pater Aa,notarer:
Præſertim cùm me primùm ſub luminis oras
Effuſum,liquido lætus perfuderis amne,
Multaque liligeræ regioni commoda præſtes,
Et nullo inferior per terras flumine curras,
Męoniáque lyra,plectroque,& carmine dignus
Sis Aganippæo,totúmque Helicona requirant,
Quas tibi naturæ tribuit clementia,dotes.
Tu fonte è nitido Morinorum in montibus ortus
Laberis Audomari per agrum,& Bertinica pulcra
Arua rigas lympha,generoſaque flumina mittis;
Quæ quoties adeo,& demitto in guttura,lactis
Candentes riuos,& Tëia pocula temno,
Et Superûm liquidos videor mihi ducerę ſuccos.
Tu niueos paſcis Cycnos,quot prata Cayſtri,
Et variè flexis ludens Mæander in vndis,
Trinacrijſque ciens fremitum Perguſa ſub antris,
Et ripis herbas nutris,quas Pæone nati
Sæpius exoptant, cùm triſtia vulnera curant,
Et calidas mulcent febres,Orcúmque morantur.
Arboribúſque tuis prope campos rore madentes,
Florilegas educis apes,quæ dulcia fingunt
Mella,leuique monent ſomnos celebrare ſuſurro.
Egregioſque lacus gignis,liquidáſque paludes,

Omnis

Omnigenóſque creas piſces, terráſque natantes,
(Quod nuſquam inuenias) oculis mirantibus offers,
Nam ratium præſtant vſum, celeréſque ſequuntur,
Quò cupiunt homines, & ducunt flamina cœli.
In quibus vmbriferos ſaltus, atque arbore fœtus
Pendentes videas, & candida lilia carpas;
Gratáque purpureo ducas conuiuia Baccho;
Et celebres feſtas hilarato corde choreas.
Has olim in terras, ne quis me fingere credat,
Carolus egregius Cæſar, natuſque Philippus,
Cùm feſſum bello pectus recreare volebant,
Sæpe dapes ferri iuſſere, & pocula poni:
Nec ſinis Icarios vmquam ſæuire calores,
Aeſtiferóſque ignes, cùm ſol adit ora Leonis:
Tot prope te cernis ſyluas, lucóſque virentes,
Quos variæ liquidis volucres concentibus implent:
Nec furis aggeribus ruptis, vt damna ſequantur
Agricolas, lacrymiſque genæ repleantur agreſtum:
Sed quamuis alto curſu, lympháque profunda
In mare ducaris, numquam tamen agmine ſæuo
Gramineas lædis ripas; ſed flumine pingui
Fœcundas agros, quotquot pater optime tangis;
Et reficis ductis ſitientia gramina riuis;
Et varios hilaras populos fœlicibus vndis;
Cæruleóque maris domino, magnóque tributum
Oceano pendis, Dunkerkæ ad mœnia pulchræ;
Innumeráſque vehis naues, & mercibus vrbem
Sitiacam, aduectis peregrino è littore, reples.
Salue magne pater, méque ad tua flumina molli
In prato fuſum, & meditantem carmina digna
Poſteritate, iuua, & faciles mihi mitte Camœnas.

AD PETRVM ERNESTVM FACVÆVM.

NON ſemper nitidi fulgent Hyperionis ignes;
Sæpe latet nigra condita nube dies:
Nec votis hominum ſemper ſubſcribit Olympus;
Et tandem luctum gaudia longa ferunt.
Quæris quid faciam, Facuææ gloria gentis;
Si turbent animum tempora dura meum:
Ad Muſas propero, Pataræáque regna requiro,
Et ſolor Claria pectora mœſta lyra;
Non, quod Centauris ſolitum eſt, ad vina recurro;
Vt releuent curas Naxia dona meas.
Flumen amo, lætórque meris abſtemius vndis,
Dulcior eſt dulci munere vitis aqua.
Teſtis erit liquidi ſanctiſſima lympha Morandi;
Quæ mihi ſæpe ſuo guttura fonte rigat.
Vina necant homines primis creſcentibus annis,
Atque vetant illos viuere poſſe ſenes.
Vina cient lites, & triſtia prælia miſcent,
Imperiúmque ſuo ſub pede mentis habent.
Vina bibant alij, vertant crateras ahenos;
Inuigilent poſito, nocte, diéque mero:
Multáque iucundi faciant præconia Bacchi,
Et Semeles puero carmina digna canant:
At mihi Latonæ proles cantetur Apollo,
Dum mihi Caſtaliæ pocula fundat aquę.
Tunc ego laudabo colles Heliconis amœni:
Aſcræúmque nemus, Theſpiadéſque Deas:
Et faciam verſus Muſis, & Apolline dextro,
Et laurum capiti nectere dignus ero.
Tunc libeat magnum nobis memorare Gerardum,
Quo non in toto ſanctior orbe vir eſt.
Poſtque tuas, iuuenis clariſſime, dicere laudes,

Qui

Qui mihi poſt illum ſemper amandus ades.
Dummodo fœlici vos poſſim dicere verſu,
Nullus ſollicito pectore luctus erit.

AD IOANNEM MACARIVM.

DVlcis Ioannes, verè fœlicibus aſtris
Edite, qui Claria tempora fronde tegas:
Qua regione morer, quid agam quoque ſcire laboras,
Bella Louaniaco Marte gerente ſolo.
Dilia quæ tingit liquidiſſimus, arua reliqui:
Adque Duacenas nunc ego verſor aquas:
Hîc me multa iuuant, & ſunt gratiſſima certè;
Vtrus, & vario gramine pictus ager:
Et lacus, & colles, & ſyluę frondis amœnæ:
Sed me plus iſtis vnda Morandis habet,
Illic ſępe leuo Lernæi ſideris ęſtum,
Et ſiccam gelido fonte relinquo ſitim.
Ille mihi prębet faciles in carmina Muſas,
Ille Meduſęas eiaculatur aquas.
Nec mihi, ſi ſacro Muſarum fonte bibiſſem,
Ingenium maius Pegaſis vnda daret.
Sic ego diuini libato fonte Morandi,
Ardeo Pierijs nectere verba modis.
Ergo quiſquis amat dulces componere verſus,
Et teſtudineæ ducitur arte lyræ:
Ne longum meditetur iter, nec Hyantia viſat
Regna, nec Ortygiæ flumina quærat aquæ;
Inueniet Dircen, Orpheáque plectra Duaci,
Et ſciet, Aonias hîc habitare Deas.

AD ALLARDVM OGERIVM FRATREM.

BAſſaricas vita pateras, dulciſsime Frater,
Et placeat menſæ ſobria lympha tuæ.
Qui ſua purpureo prohibent pręcordia vino,

Et gaudent gelida tingere guttur aqua;
Certè ſemoti longè terreſtribus auris,
Sedis Olympiacæ regna beata colunt.
Namq́ue ſuo capiti longum dempſere dolorem,
Et ſe ſexcentis explicuere malis,
Quæ fert ignigenæ Bacchi temerarius ardor;
Atque Maronçæ vitis amarus odor.
Hinc etenim lites,& triſtia bella creantur;
Hinc mors exanguis,funereuſq́ue dolor.
Hinc etiam febres,morbiq́ue trahuntur inertes,
Pœnáque ventura morte timenda magis.
Et quæ prętereà longi numerare laboris
Eſſet,Niſigenis debita damna viris:
Quæ procul aſpiciunt,agitantes molliter ęuum,
Arida qui gelido guttura fonte leuant.
O metuenda rubro,calidóque liquore Donyſa,
Humano generi qualia dona paris?
Hîc opus eſt igitur magni Demoſthenis arte,
Hîc,frater,cauta labra rigabat aqua.
Vinum fulmineas cœleſtis numinis iras
Spernit,& in facinus pectora cęca rapit.
Vinum Balthaſarem Stygias detruſit ad vndas,
Cùm tetigit magno pocula ſacra Deo:
Vinum detexit longæui membra Noëi,
Atque verecundis conſpicienda dedit:
Vinum Lotiadas cum patris pectore iunxit,
Sacrilegoq́ue pium læſit amore torum.
Tales ebrietas demens,excorſq́ue fefellit;
Túque caue Thaſio decipiare dolo.
Ipſe Rechabitas laudat dominator Olympi,
Quòd fugiant liquidum patre iubente merum.
Et cenſus,& opes ideo Deus optimus illis
Auxit,& ætatis tempora longa dedit.

Illos

Illos vſque ſequi tenta cariſſime frater,
Et fuge Silenos, ſtultitiámque meri.
Cúmque tuis epulans Achelöia pocula poſce,
In Siculo luxu ſimplice lętus aqua.
Quamuis increpitent magno clamore ſodales,
Quamuis illudant, inuideántque tibi.
Hos etiam, quæſo, conuiuas rarus adito;
Corrumpunt mores impia verba bonos.
Et ſi te dederint illis tempúſque, locúſque,
Et ſit cum potis eſſe neceſſe tibi:
Illum, quem dixi morem, ſeruare memento,
Arbitrióque tuo pocula lecta bibe.
Sic, illis tandem primo morientibus ęuo,
Ducentur fati ſtamina longa tui,
Et te non vllo ſapientia tempore fallet;
Cúmque Dijs æuum ſydere clarus ages.

AD IOANNEM BRANTIVM.

BRanti ſæpe vocas ter amico ſydere natos,
Quos procul à vulgo Cynthia regna tenent.
Hanc vocem certè nemo reprehendet eorum,
Qui rectè ſapiunt, iudicióque valent.
Litibus hic gaudet, tenet hunc inſania Martis,
Hunc mouet Iliaco purpura picta ſolo.
Hic quærit denſos per mille pericula cenſus;
Hic ſolet appoſito luxuriare mero.
Hunc agitat liuor, Venus huic veſana medullas
Torret, at hunc multo ſtrata ſopore iuuant;
At vates ſcelerum puri, vitijſque carentes
Talibus, Aoniæ florida prata colunt.
In quibus aſſiduè nitidum ſpatiantur ad amnem,
Qui liquido Clarias vertice fundit aquas.
Et quærunt taciti, quid nos ad ſydera tollat

Raptos

Raptos è tenebris, Tartareoque lacu.
Et varias rerum cauſas cognoſcere tendunt,
Et doctis fallunt tempora carminibus.
Sic ſacri viuunt vates, & ſemper honeſtis
In rebus mentis lumina fixa tenent.
Hîc ſurget rabidus, ſoboles Acherontia, liuor,
Et dicet, vatum pectora labe carent?
Quamuis ſe piceis oſtendat coruus in alis,
Hunc niueum dicis corpus habere tamen.
Quàm fœda impuri ſcribunt epigrammata vates,
Quos ad Bilbileas Tarraco gignit aquas.
Quàm turpes edit cantus prçceptor amoris;
Quàm reddunt Oſcos Appula plectra ſonos.
Si quis damna velit caſti ſentire pudoris,
Ad Citharam properet, Caſtaliaſque domos.
O linguam argutam, & Piræa ad littora natam,
Mella vbi Cecropidis Attica fingit apis.
Nonne vides, iſtas voces rationis egere?
Nec ſcelus hoc ſanctas tangere poſſe Deas?
Nec debere nigro totam carbone notari
Aoniam, Veneres ſi duo, tréſue canant?
Nil eſt tam ſanctum, quod non violare libido
Audeat, & cæca mente prophanet amor.
Nil adeo prodeſt, quod non tibi poſſit obeſſe;
Quæque bono fuerant, ſunt quoque ſæpe malo.
Nil igne vtilius, ſed eum plerumque videmus
Sacra Panomphæo tecta cremare Deo.
Quid liquida vitrum referenti gratius vnda?
Aſt ea ſæpe hominum corpora merſa necat.
Agricolçque dolent, ſata læta, boumque labores,
Et ſtabula, & ſyluas amne furente rapi:
Et validos pontes rumpi reſonantibus vndis,
Dulciáque in medio vina natare freto:

Ferrum,

Ferrum, ad terrendos dentéſque, vnguéſque ferarum
Inuentum, humano ſanguine ſæpe madet.
Et tellus ſpinis paliuros fundit acutis,
Et gelidæ morti gramina nota parit.
Aſt eadem ſegetes, alimentáque mitia profert,
Et tumido vitis palmite floret ager.
Et luna, & frater præbent ſua lumina mundo,
Et multùm terras ſydus vtrumque iuuat:
Sed tamen interdum febres mortalibus ægris,
Et ſegeti interitum, duráque fata ferunt.
Tecta Notos arcent, & aquas ex ęthere lapſas,
Icarióſque æſtus, feruidáque aſtra leuant:
At Boreæ haud rarò reſonant mugitibus ædes,
Et cadit in domini regia lapſa caput.
Si quis perfidia medici mittatur ad Orcum,
Et ſua non cauto gutture fata bibat:
Hippocratem ſubitò, fidúmque Machaona carpes,
Et dices ſuccos Pæonis eſſe malos?
Si contra leges Iuriſconſultus iniquus
Defendat ſontes, immeritoſque premat:
Proptereà leges flammis vltricibus vres?
In flammam leges non meruere iaci.
Si quis ſydereo faciat conuitia cœlo;
Et violet vetito numina ſancta ſono:
Omnis lingua ideo ſceleratę nomen habebit?
Et pœnas rigida forfice ſecta dabit?
Sermo Dei ſacer eſt, nihil eſt diuinius illo,
Hoc animum paſcit gens bene ſana ſuum:
At ſe perdit eo Lutheri inſulſa propago,
Dum montes niueos aſſerit eſſe nigros.
Vinum ſollicitis curas mortalibus aufert,
Et dulces cantus, lætitiámque ciet:
Languentéſque fouet frigenti ſanguine venas;

Et roſeo niueás tingit honore genas,
Et feſſas reficit vires,durúmque laborem
Ferre pedes,quamuis ſit via longa,docet:
At ſi quis vinis oneratus currat in enſes,
Sçuáque mortifera concitet arma manu:
Concipiátque ſuis furiales oſſibus ignes:
Et faciat caſto vimque,metúmque toro,
Vel dextra inſana flammas ad culmina iactet,
Innocuáſque domos igne furente cremet:
Vel caput elidat tecto delapſus ab alto,
Vel ſua fluminea corpora mergat aqua:
Vel famam alterius lędat,ſecretáque prodat,
Et rumpat caræ vincula amicitię:
Et tremulam accerſat febrim,mortiſque figuram
Induat,accelerans fata,diemque ſuum:
Num dicendum ideo,generoſi pocula Bacchi
Eſſe mala,& vitis peſtiferum eſſe genus?
Vinum nil meruit,ſola eſt hęc culpa bibentis,
Qui ſua plus ęquo pectora vite grauat.
Cùm ſceleratorum referuntur facta Neronum,
Traianus numero conijcitur eo?
Cùm Syllę patriam oppugnant,num territat vrbem,
Oppreſſit furias qui Catilina tuas?
Num coniunx Ithaci memoratur adultera turpis,
Cùm ſequitur Phrygium nupta Lacæna virum?
Num ſcelus admittit gladio fulgente Michaël,
Dum petit Arctoum turba profana polum?
Num Petrus,& fratres maculantur crimine turpi,
Quòd cœtu in ſancto proditor vnus erat?
Non ideò è cœlo deſcendit dia poëſis,
Vt nobis Venerem cantet Acidaliam:
Non ideo vatum numen ſe pectore miſcet,
Et dulces ſtrepitus Leſbia plectra docet.

Hoc quicumque facit, Pataræos lædit honores,
Et violat numen ſancta Poëſi tuum.
Eſt proprium vatis munus, celebrare Tonantem,
Et canere Aonia fortia facta lyra.
Lectorique auido doctis aperire Camœnis,
Quæ Stagirites ſcripſit Ariſtoteles.
Hæc quoque ſcribuntur; ſed ſi quis tela Diones,
Idaliáſque faces, & ſua furta canat:
Num vates omnes ſuggillabuntur ad vnum,
Culpáque Pierias hæc maculabit aquas?
Detur laſciuis, non caſtis culpa poëtis;
Culpam non ſancti, ſed meruere mali.
Vnus, & alter erit, qui turpia carmina cantet,
Et celebret Paphiæ regna proterua Deæ:
Innumeri rectè funguntur munere vatum,
Quodque iubet virtus, & pia iura, canunt.
Dum canit Aeaciden, & prælia magnus Homerus,
Heroum validas tollit ad aſtra manus:
Aſt idem eloquio clarum cùm laudat Vlyſſem,
Ingenium laudat, coniugijque fidem.
Heſiodus terræ glebas, & ſydera dicit
Apta, quibus culto ſemina dentur agro:
Innocuos celebrat mores Arethuſidos oræ
Paſtor, & Arcadio carmine mulcet oues.
Virgilius, magni quod tres cecinere poëtę,
Et nemus & ſegetes, & fera bella canit.
Purpureos multo de ſanguine Martyras alto
Heſperius plectro ducit in aſtra ſenex.
Parthenopes liquidas genitus Syncerus ad vndas
Suauidico partus Virginis ore canit:
Et ſacrum nomen facundus Epiſcopus Albæ
Chriſti magniloquo carmine facta refert.
Sed quid ago, & quò nunc animum ſententia ducit?

Enu-

Enumero liquidas, quas mare voluit, aquas.
Carminibus cœli dominus celebratur in alto,
Et reſonant magnum plectra canora Deum.
In terris hymnis Eccleſia laudat eumdem,
Hymnis, quos ſancti compoſuere viri.
Non ignara, pijs diuinas cantibus aures
Mulceri, & ſacræ carmen amare lyræ:
Et quiſquam doctos audet reprehendere vates?
A ſanis animis ſit procul iſte furor.
Qui negat Aonia ſua pectora voce moueri,
Nec ſibi Pieriẹ fila placere lyrẹ:
Hic ſe Caucaſeas fateatur vincere rupes
Duritia, & ſi quid durius eſſe poteſt.
Dum ſtrueret Thebas Amphion, ſurda coëgit
Ad ſonitum citharæ ſaxa venire ſuæ.
Iſmarias mouit tigres Rhodopëius Orpheus,
Pieria Geticam dum ferit arte lyram:
Dum mulcet fidicen truculentas Leſbius vndas,
Piſcibus in medio gurgite cura fuit.
Et Linus aërio deduxit vertice quercus,
Vmbrarum nudos dum canit ante lacus.
At carpit niueos Heliconis liuor olores,
Nec ſecus ac mortem Cynthia plectra fugit.
Magnus Alexander, Mæcenas, Pollio, fortis
Auguſtus Muſas, & pia ſacra colunt.
Et quis non potius velit horum facta referre,
Quàm vulgi rabiem, iudiciumq́ue ſequi?
Ne legat Aonios igitur fœdiſſima vates
Inuidia, abſtineat montibus Ortygijs:
Et Stygio ſedeat luco, triſteſq́ue lacunas
Seruet, & anguineò viſcere pectus alat:
At nos Pierijs paſcamus lumina ſyluis,
Aridaq́ue Ortygia labra rigemus aqua.

Et

Et niuibus gelido choreas agitemus in Hæmo,
  Velati nitidas fronde virente comas.
Sic nos fęlici ducemus tempora fato,
  Branti laurigero ſemper amice choro.
Quosque mouent patriæ caſus, bellumq; dolores,
  Carminis Aonij decipiemus ope.

AD VALERIANVM FLOSSIVM.

QVæ ſit lympha rogas, quam ſic ego carmine laudo,
  Iſta tibi verbis nota duobus erit.
Vrbe Duacena fons eſt, doctiſſime Floſſi,
  Qui ſe Blanduſiæ poſtulat eſſe parem.
Fama refert, veteres Diuo ſacraſſe Morando,
  Cuius nectareas munere fundit aquas.
Vndique conueniunt ad eum, iuuenésque, ſenésque,
  Vt pellant æſtus, oráque ſicca leuent.
Huc ego cùm primum flexiſſem luminis orbem,
  Fatis ad ſacræ flumina ductus aquæ;
Mirabar numerum populi venientis ad vndam,
  Quem nemo poſſet dicere, tantus erat.
Vt crebrę nigro formicę calle vagantur,
  Cùm Cereris flauas depopulantur opes:
Aut vt floriferis varię glomerantur in hortis,
  Cùm tepidi ſpirant flamina veris, apes:
Sic ruit ad lympham celeberrima turba ſalubrem,
  Et gaudet ſacro ponere fonte ſitim.
Nec prę flumineo vites miratur honore,
  Anteferens Rhodio Naïca dona mero.
Hoc ego iudicium libato fonte ſecutus,
  Non poſſum liquidos non celebrare lacus.
Inde racemiferi ſordent mihi munera Bacchi,
  Atque meam grato flumine pello ſitim:
Dumque Duacena doctas regione Camœnas,
  Palladięque domus fulgida prata colam:

Semper ad hos latices ſitientia guttura vertam,
Fons eſt Iſmario dulcior ille mero:
Quin imitatur aquas Pataræo monte cadentes,
Et Clarium in morem,qui bibit inde,furit.
Non ſecus ac Paſtor,qui cùm veniſſet ad amnem
Aſcræum,& liquidis ora rigaſſet aquis,
Numine cœleſti calefacto pectore,vatem
Egregium meminit ſe rediiſſe domum:
Hinc fit,vt hanc videas vrbem tot habere Poëtas,
Doctaque per medias plectra ſonare vias.

IN DAPHNEN.

HIc cuperet,cœlo ſua ſi ſibi vota darentur,
Eſſe Midas,alius Cæſar,vel fortis Achilles,
Aut forma inſigni Nereus, vel doctus Homerus:
Aſt ego,quæ cupio mihi ſi concedat Olympus,
Eſſe velim ſpeculum lucens, vt candida Daphne,
Quæ nunc aſpectu noſtro ſe auertit & aufert,
Aſſiduè nitidos vultus defigeret in me.

AD GILBERTVM OGERIVM FRATREM.

GAudeo,quòd nunquam dulcis germane liquorem
Vitigenum libas,niſi multo flumine mixtum:
Ipſe times,rectéque times,ne feruida Bacchi
Dona iecur vitient,& te pallentibus vmbris
Ante diem inuoluant,& acerbo funere mergant.
Fulmineo quondam meminiſti Naiadas ictu
Flagrantem infantem Bacchum fluuialibus vndis
Merſiſſe,& validos Æthnæi fulminis ignes
In gelido domuiſſe lacu; ſic vina nocere
Haud poſſe,vndarum largo perfuſa liquore.
Hunc ſi purpureæ celebrantes vitis honorem
Nubigenæ morem tenuiſſent,Herculis arcus
Nunquam ſenſiſſent,nec acutas Theſeos haſtas,

Piri-

Pirithoique graues erepta coniuge vires.
Nec collo effracto iuuenis dilectus Vlyſſi
Circæo charam liquiſſet littore vitam.
Nec ferus in patrio Neptuni filius antro
Aſtu Neritio lumen gemuiſſet ademptum.
O fallax cauto fugiendum pectore nectar.
Quare perge mero gelidum miſcere liquorem;
Si vis Neſtoream,& fælicem ducere vitam,
Et Thracum mores,& Amyſtidas oderis hydra
Peius Lernæa, morbosque ferentibus aſtris.

Ad Petrvm Crvcivm Theologvm.

PEtre tonans templo Demoſthenis inſtar in alto,
Ad populum denſa cùm fundis verba corona,
Sacrilegumque petis Caluinum voce diſerta,
Amplectique iubes veros pietatis honores,
Formoſamque ſequi virtutem,& crimina fœda
Effugere,vt cinctam diris ſerpentibus Hydram;
Vnde trahat nomen longè pulcerrima tellus
Arteſiæ, multi,& docti dubitare videntur:
Sunt aliqui,affirment qui nomen ab artibus illi
Eſſe datum,nec ij procul à ratione feruntur;
Namque hîc inuenies,teferant qui carmine vates
Virgilium,magnosque duces,medicosque fideles;
Et multos ſacri iuris,legumque peritos.
Arpinosque ſales,Pandioniosque lepores,
Et Baſilios,atque Platonas,Praxitelésque,
Quique vias cœli,& rutilantia ſydera ſeruent:
Et Phrygium in morem pingant aulæa ſuperba,
Dędaleósque fabros, ſibi quos Iunonius optet
Filius,incudem valido cùm percutit ictu:
Artificésque omnes,vera qui laude mouentur:
Nam cunctos numero comprehendere velle, micantes
Stellarum flammas numero comprehendere velle

Eſſet,ſtultitiæ labor ingens,atque furoris
Indicium: quis enim numeros his ponere poſſet?
Aſt alij cenſent alia ratione profectam
Hanc vocem,nec eos prorſus ſententia fallit:
Nam quia terra ferax Cereris,meſſiſque beatæ
Finitimis populis longè,lateque benignas
Suppeditat ſegetes,nec eam penuria panis,
Cui niueus cedat color, vllo tempore preſſit;
Arteſiam malunt Cereali munere dictam;
Atque ita tutantur ſeſe;nam voce vocatur
Artos vulgari;qui Graijs panis habetur.
A quacunque trahas ratione vocabula dulcis
Patria,fida tuo regi,magnoque Tonanti,
Et ritus ſeruans,quos ſeruat Epiſcopus vrbis
Romanæ,ſimul & totius Epiſcopus orbis,
Fortia bella gere,atque pia, & Caluinia funde
Agmina,& ad Stygias cogas remeare paludes;
Vnde pedem extulerunt miſſu Plutonis iniqui,
Eumenidumque,quibus crines nodatur in hydros;
Quodque facis ſemper,Superûm tuearis honores,
Et ſacros cineres,ſimulacraque,templaq; ſancta.

AD ANTONIVM THEOBALDVM ANTONIÆ SORORIS FILIVM.

QVi primus vitem viridanti ſeuit in aruo,
Illius tinxit radices ſanguine ſæuo
Tigridis,immundæque ſuis,placidæq; bidentis:
Simia laſciuum dedit huic quoq; quarta cruorem;
Inde fit,vt qui ſe multo perfundit Iaccho,
Tigridis,aut ouium mores imitetur,apríque
Naturam,& geſtus,petulans quos ſimia reddit.
Vel molli in lecto,aut dura tellure iacebit,
Viribus amiſſis;ferro,mortique cruentæ
Expoſitus,nec ſe iugulari ſentiet vnquam:

Vel pugnas acres,& prælia dira ciebit
Mente ferox,& cædis amans,ſitienſque cruoris;
Vel ruet in Venerem præceps,& raptus amore
Quoſlibet in thalamos nullo diſcrimine curret:
Vel ſe ridiculum geſtu præbebit inepto,
Effingens quicquid cernet reſonante cachinno.
Propterea vitis fallacia munera fili
Cautè delibes,oro,& pete Naïca dona,
Cùm releuare ſitim,ſiccatâque labra parabis;
Taliaque infuſa diſcrimina dilue lympha,
Inque beatorum numero ponêre virorum.

AD ARTESIAM.

ARteſiæ nitidi colles,& nobilis Aa
Flumine nectareo,cur vos ego linquere cogor?
Cur non egregias,quas ſanctus ſeruat Omerus,
Vt cuperem,aſſiduo deſpecto lumine ſedes,
Heliſales ſacro de vertice ſemper habenti
Gramen,& vmbriferum nemus,vndiſonumq; liquorem?
Quæ gens ô Morini vobis humanior,ecqua
Fertilior veſtra eſt regio,ſeu vina petantur
Lenia,ſiue Ceres,& opimæ gloria meſſis?
Seu diues nitidos fœtus Pomona requirat?
Seu Chloris flores,& frondea tecta Napææ?
Quæ plaga mitior eſt cœli?quæ terra ſalubres
Vſqueadeò pelago venientes excipit auras?
Quæ tellus minus infeſta eſt,vbi Sirius ardor
Letiferas mittit corrupto ex æthere peſtes?
Vobis Pieriæ ſemper fauere puellæ,
Et varios cantus,& Dædala plectra dedere;
Omnigenaſque artes tribuit pulcerrima virgo;
Quæ capite è patrio fuſa eſt Tritonis ad amnem.
O Bellona ferox,ô Mauors impie,terram
Tam mitem infeſtis premitis crudeliter armis;

Et diris ſegetes flammis,campóſque crematis
Arboreos,& aquas miſcetis ſanguine fœdo.
Nil hîc nunc niſi bella ſonant,enſéſque nefandi,
Terribiléſque tubæ,& ſtrepitu pulſata tremendo
Tympana,vóxque,ferus quam miles mittit ab ore
Sacrilego,aduerſum cùm ſe exhortatur in hoſtem,
Et facit immeritis demens conuitia Diuis:
Tum Stygio tormenta ſono ſuperantia cœli
Murmura,cùm fremitu miſcentur nubila cæco:
Hinc Pietas,hinc Pax,hinc & Concordia fugit,
Muſarúmque chori,& Muſis comitatus Apollo:
Et citharæ dulces ſtrepitus,hilaréſque choreæ.
O patria,aurifero longè mihi carior Hebro;
Et gemmis,quaſcumque tegunt Erythreïdes vndę,
Nunquam te potui biſſenos ordine menſes
Aſpicere,inque tua veſtigia ponere terra:
Cùm ſummè cuperem prope te conſumere vitam,
Quóſque annos mihi fata darent,& fila ſororum.
Vix annum attigeram ſeptenum,cùm pater arua
Piëridum iuſſit paſſu peragrare tenello,
Et Latiam,& Graiam pariter perdiſcere linguam;
Quas animo tandem cupido, & ſudore frequenti
Perdidici,ſub te Muſarum clara propago
MAXIME, qui teneram formaſti voce diſerta
Ætatem,atque altæ virtutis tendere ad arces
Semper es hortatus,vitij cupidiſſimus vltor.
Mox mittor,nitidis vbi ſe pulcerrima lymphis
Oſtendit Scaldis,quæ Flandrica ſeparat arua
Anuerſæ diti à regno,& Barbantide terra:
Inde Louaniacas iubeor celebrare Camœnas,
Diliadéſque Deas,& amica palatia Phœbo,
Et canonum ritus, ſanctáſque ediſcere leges:
Hinc Atrebas,nulli cedens pugnacibus armis,

Me te-

Me tenuit,longas diſcentem incidere lites:
Me quoque frugiferis tenuit Mechlinia campis,
Et dites Brugæ,& Querceti pulcra vireta,
Et fortes Tongri,& Traiecti pinguia culta,
Quæ rigat vndiſoni Moſæ liquidiſſimus amnis,
Atque Duacenis etiam recubare ſub antris
Scarpiades videre Deæ,dum carmina quæro
Mollia,mœſtitiámque ſacra teſtudine fallo.
Quid numero Oceani fluctus,& ſydera cœli?
Plura loca incolui,quæ menti tædia ferrent,
Si numerare velim;vix ſanctus vidit Omerus
Temporis exiguum patrios celebrare Penates;
Quos nunc deſerere inuitum quoque Martia cogunt
Prælia,quæ Calabris peius ſerpentibus odi;
Et fugio veluti,quæ fœmina Theſſala miſcet
Toxica,vel fœdas quæ ſtrages horrida peſtis
Accumulat,caput è Stygiis cùm ſuſtulit vndis.
Pacis amans,citharæque fui,Phœbëiaque arma
Aſſiduè colui,fontésque,& flumina ſemper,
Et colles placuere mihi,lucique virentes;
Quæ loca more meo nunc viſere Martis imago
Terribilis prohibet,milésque ad bella paratus.
At vos aëreæ ſedes,& mœnia ſancta
Audomari,& dulces Morini,campique feraces,
Saltúsque,& ſyluæ,nitidus quas præterit Aa,
Sitiadésque Deæ,& templo Bertine ſuperbo
Nobilis,atque aula Romano præſide digna,
Dum licet aſpicio,nunquam fortaſſe licebit
Amplius;inſtat amor belli,cædíſque cupido,
Atque alias penitus cogor diuertere ad oras.
Indica regna petam nitidis rutilantia gemmis,
Pax vbi floret,& arua ſolo fælice coluntur:
Vel longum ſi terret iter,deſuntque carinæ,

Adque viam cenſus,& opes nautæque fideles,
Auſonios viſam fines,Saturniáque arua,
Quæ gens iuſtitiam,& fælicia tempora pacis
Perſequitur,nec ſe miſcet ciuilibus armis.
Vos quoque Theſæo dilecti more ſodales
PVLLANE,& Floſſi Themidos certiſſima proles,
Et qui Socratici veſtigia ſancta Platonis
Aſſequeris,vero cognomine Grandis amice;
Ronſardóque ſacris nutrite Gerarde ſub antris,
Addite vos comites,& me per regna ſequentes
Aurea, tellurem ciuili Marte furentem
Linquite,Tiſiphonéſque manum vitate cruentam,
Et fugite inſani ſtrepitum,& diſcrimina belli.

SOLOR OLOR.

SIMO-

SIMONIS OGERII SYLVARVM LIBER TERTIVS.

Ad Marcvm Antonivm Mvretvm.

AVſonios tandem fines Murete videmus,
Romuleúmque ſolum,& ſepteno monte tumentem
Tellurem,& patris Tiberini pulcra fluenta;
Et templum,quo non auguſtius orbe videtur;
In quo perpetui Petro redduntur honores.
O quàm lætatur pectus,diſcrimina tanta
Euaſiſſe,viæ quæ ſunt obnoxia longę:
Nec tinxiſſe feros enſes,dextráſque latronum
Sanguine,nec rapidæ ſubmerſum fluctibus vndæ;
Nec rigido in ſyluis laceratum dente ferarum,
Alpináſque niues ſuperaſſe,& frigus iniquum;
Sydereóſque æſtus,& fuſos æthere nimbos;
Et ſæuam rabiem ventorum,& fulmina cæca,
Cauponúmque dolos imitantum facta Cyclopum;
Vt gaudent nautæ cùm iam tetigere carinæ
Littora,ſéque locant portu,& ſtatione cupita,
Nec pelagi metuunt violentas amplius iras.
Nunc igitur iuxta Tiberini fluminis vndam,
Purpureo in prato, & ſyluæ viridantibus vmbris,
Semotum longè à populo,ſtrepitúque,licebit
Sollicitare lyram,& modulari carmina læta.
O quàm Romulidûm tellus,atque Albula dulcis,
Quàm velis, & equis cupidè viſenda,laríque
Anteferenda ſuo, terrarumque omnibus oris,
Quas nitidus roſeo conſpergit lumine Titan.
Hîc ſedet egregius Paſtor,cui claudere cœlum,

Et reſe-

Et reſerare dedit mitis clementia Chriſti,
Gregorius, pater Aonidum, ſanctiſſimus heros.
Hîc tot relliquias videas, ditéſque ruinas
Vrbis primæuæ, quæ monſtrant mole ſuperba,
Nunc ſtrata, quàm Roma potens, opulentáque cenſu
Attalico fuerit, prius hanc quàm barbarus ignis
Hauſiſſet, ferroque Getes laceraſſet acuto.
Hîc artes omnes, & veri lumina lucent
Ingenij, hîc cernas etiamnum plectra canori
Orpheos, & Cois expreſſa coloribus ora;
Armáque Phidiaca ſumentem Pallada dextra,
Mæoniaque caput redimitos fronde Poëtas;
Quos inter, veluti Coryphæi, numine pleni
Semper Hyantæo præſtant Laurentius, atque
Angelius, ſoliti teſtudine ſaxa mouere,
Et rabidas tigres mulcere, animoſque leonum.
Tu quoque Sequanicæ telluris gloria Marce
Antoni, nam non ſolùm Demoſthenis arma
Induis, Arpinóque modo procurrere noſti,
Sed citharę pulſu magnum Colophonis alumnum
Æquiparas, docta nec cedis voce Maroni:
Seu Graias, ſeu Romanas ſectére Camœnas.
Saluete egregij Vates, hominéſque diſerti;
Salue Roma, Petrique potens ſucceſſor, & hæres.
Salue Tibri pater, magnarum rector aquarum;
Saluete & ſyluæ & montes, campique virentes,
Quos habet Auſonidûm regio, Saturniáque arua.
Saluete in primis, cuſtodes vrbis amœnæ,
Petre, & Paule, & mille alij, qui numina Chriſti
Vera celebrantes, & thuris honore colentes,
Falſaque temnentes veterum ſimulacra Deorum,
Romuleam terram tinxiſtis ſanguine ſacro,
Supplicio affecti grato, lætique migrantes

Ad Supe-

Ad Superos, luce è miſera, & mortalibus auris;
Saluete, & Morina venientem à ſede Simonem
Accipite, & ſemper diris arcete periclis.

IN NOMEN ROMÆ.

NOmen Roma potens tibi Romulus indidit olim,
Conueniénſque tibi ſuperorum numine ſoli;
Imperium terrę nam quondam fortibus armis
Clara tibi peperit ſoboles; nunc clauibus orbem
Suppoſitum geminis, quas fert ſanctiſſimus heros
Succeſſor Petri, placidè, ſanctéque gubernas.

IN INSIGNE GREGORII XIII. PONT. MAX.

PEruigil Heſperiis olim ſeruabat in hortis
Serpens aurifero rutilantia poma colore;
Ne quis Siſyphiis ea poſſet tangere palmis;
Raptaque furtiuè cupidis includere ciſtis:
Sic prudens Heros, vigilanti nomine dictus
Verè Gregorius, ſibi quas dominator Olympi
Commendauit oues, truculento à dente luporum
Defendit, ſummo ſtudio, curaque perenni.

AD GVILELMVM SIRLETVM CARDINALEM.

CVm Pandioniam Theſeus properaret ad vrbem,
Cuius mirifico flagrabat amore videndæ,
Non tamen ad patrios voluit prius ire Penates,
Quàm meritis ingens virtus, & fama tuliſſet
Inclyta Palladias Theſæum nomen Athenas;
Nec fortuna viri votis inuidit honeſtis:
Quotquot enim tunc Cerciones, ſæuique Procuſtæ
Terram infeſtabant, atque ardua tecta ferarum
Cæde viatorum implebant, hos dextera magni
Herois validè ſtrauit, miſitque ſub vmbras
Tartareas, aruiſque ſuam, ſyluiſque quietem

Reddidit,

Reddidit,atque metu trepidantia pectora ſoluit.
Tum demùm rerum fama præeunte ſuarum,
Amplexus patris petiit,atque oſcula Theſeus.
Hei mihi quòd nequeo non ferro, & cæde latronum,
Sed fama ingenij,& Smyrnæo carmine clarum,
Me tibi purpurei ſplendor Sirlete Senatus
Offerre,antè tuis quàm palmis oſcula figo,
Pieria ignotus regione,& neſcius artis
Caſtaliæ,cuius tactus dulcedine,mentem
Paſcis,& Aonia ſemper ſpatiaris in vmbra,
Acceptus Graiis pariter,Latiiſque Camœnis.
Sed licet Aſcræa poſſem contendere magno
Arte Lino,& Pataræ dominum ſuperare canendo,
Non his temporibus tamen altas ſcandere ſedes
Pieriæ,& citharam digitis percurrere poſſem.
Carmina lætitiam quærunt,fugiuntque dolorem;
Impius Odryſiis currit per Belgica Mauors
Arua rotis,camposque replet,fluuiosque liquore
Sanguineo,& dira coaceruat funera dextra,
Egregiasque cremat flammis crudelibus vrbes.
Hę patriæ tantæ clades,miſerique tumultus
Excutiunt digitis calamos,acrésque calores
Aoniæ extinguunt,Phœbæáque vela morantur;
Tu tamen inſtructos Orphæa diligis arte,
Mæoniasque Deas,& Hyantia ſacra tueris,
Caſtaliique chori Mæcenas alter haberis.
Miles amat,quicunque tubas, & caſtra ſequuntur,
Nauita,marmoreas nauem qui ducit in vndas,
Agricola,incuruo terram qui findit aratro;
Cultor Theſpiacæ rupis,Parnaſſide lauro
Diligit ornatos,Clariasque amplectitur artes.
Cùm foueas igitur doctos Heliconis alumnos,
Nec me Calliope Gryneo viderit vnquam

Vertice

Vertice Caſtalia tingentem guttura lympha:
Ne patiar vereor turpem Sirlete repulſam;
Nec faciles aditus tua dent mihi limina, gratos
Laurigeræ genti ſemper redolentia ramos;
Sed fretus Muſis, quarum perhibentur apertæ
Omnibus eſſe fores, & fretus mente benigna,
Ingenioque tuo, quo non manſuetius vllum,
Candidius que videt cœleſti Phœbus ab arce:
Audeo Chœrilea Pataræos voce Penates
Compellare, metu Tyrrhena per æquora pulſo:
Nec dubito dextram, quæ cunctis nata iuuandis,
Auxiliumque tuum, ſi quis mea carbaſa ventus
In præceps rapiat, miſeræ promittere naui,
Quam nulla æquoreas poſſem regere arte per vndas.
Hæc, vir magne, meam cepit fiducia mentem;
Nec puto laturas pelagi mea vota procellas;
Quod te per genium Thymbræ, & Permeſſidas vndas,
Caſtaliumque larem, & doctæ penetralia Cyrrhæ,
Ogerium accipias, oro, numeroque tuorum
Adſcribas, ſempérque tuum fateare clientem.
Sic tuus ille Leo, quem fas eſt vincere, vincat.
Sic tandem triplici caput exornere corona,
Et pia Neſtoreos Lacheſis tibi proroget annos.

AD GREGORIVM XIII. PONT. MAX.

NVlla dies veniat, miſero quæ dicat in orbe
  Gregorium Parcæ ſuccubuiſſe ſuæ:
Viuat Gregorius, viuat dum robora tellus,
  Dum cœlum ſtellas, dum mare fundet aquas.
Te viuo florent leges, Aſtræaque virgo
  In terris vera cum pietate manet.
Per te Mars rabiem ponit, te præſide rerum,
  Aurea per Latium ſæcula rurſus eunt.
Si te fata vocant, metus eſt, ſanctiſſime Præſul,

Nere-

Ne redeant rapida tempora dura rota:
Te præter, quíſnam tam læta in paſcua ducet,
Quas emit proprio ſanguine Chriſtus oues?
Quis ſic componet terras, regéſque iubebit
Seruare æternæ fœdus amicitiæ?
Ecquis ita ætherei placabit numina cæli;
Si Deus iratas inſtruat igne manus?
Non facilè, in tantas alter ſuccedere laudes
Qui poſſit, tota conſpicietur humo.
Omnes propterea tibi candida fata precantur,
Staminaque in nullos diſſoluënda dies:
Huic tamen in primis certat ſubſcribere voto
Gens, Aganippæa ludere docta lyra:
Dum te purpurei ſpectare argentea Solis
Lumina, Parcarum candida fila ſinent;
Nunquam Caſtalios tangent ſuſpiria colles;
Nec reddent mœſtos Delphica plectra ſonos:
Inuidia hoc cernens in fletum erumpit amarum,
Et lacerat nigras non bene ſana comas:
Tiſiphonénque vocans, Erebæa voce requirit,
Cur ita Pieri numina fontis ames.
Præ cæca mentis rabie, qua turget Erynnis,
Phœbęo inſignem non videt axe diem:
Semper Pieridas virtus pulcerrima fouit,
Et lęſit doctas impia turba Deas.
Lucani exitio lætatur dextra Neronis,
Nec fert Odryſiæ Dędala plectra lyrę:
At pater Auguſtus veneratur ſcripta Maronis,
Et largo cenſu carmina docta fouet.
Et cur non foueat? quouis eſt digna fauore
Quæ colit Aonidum ſacra caterua nemus.
Aonidum comites ducunt ſine crimine vitam,
Nec quicquam, Momus quod reprehendat, habent.

Non Tyrias nectunt fraudes,non Colchica miſcent
  Toxica,non ferro fata cruenta cient:
Nec lite inſana pietatis fœdera turbant,
  Nec ſibi diuitias,lege vetante,parant:
Ambitione carent,dulcésque fouentia Muſas
  Sollicita Superos otia voce rogant.
Nec ſe deſidiæ peragentes otia dedunt,
  Mollia nec longo ſtrata ſopore probant:
Nec Thraci gratum Pirene admittit Iacchum,
  Nec mouet Aonias alea blanda manus:
Nec docta Idaliis feriuntur corda ſagittis,
  Pïeria eiectam ſe dolet arce Venus.
Et Paphias gaudent flammas Heliconides vndæ
  Virgineo tinctas protinus amne mori.
Cùm vates nacti ſpinoſæ neſcia curæ
  Otia ſunt,Clarius qualia verſus amat;
Tunc rectà greſſus Parnaſſi ad mœnia tendunt,
  Viſuntque Aonias numina ſancta Deas;
Et diſcunt ab eis ederoſa ſede recepti
  Omnia,quæ doctis ſcire neceſſe viris.
Quid virtus,quid ſit vitium,quid tollat in aſtra,
  Quid nos præcipites in Phlegethonta ferat.
Vnde tremat tellus,qua vi maris ira tumeſcat,
  Quid Boream,& mixtas fulmine vibret aquas.
Hæc vbi cognorunt,mortalia corda repente
  Caſtalio plena voce lepore docent.
O nitidis Dirce lymphis,ô candida Daphne,
  O Nymphæ magni docta propago Iouis:
Tales vos eſtis,vosque atra ſtirpe Bionis
  Edita vipereo dente caterua petit?
Nec ſtrepitum cœli,nec terræ expectat hiatum?
  Nec timet armatas angue minante Deas?
Qui violat natos Grynæum ad flumen olores,

Nec ca-

Et regis Aoniam,& ſacrato pectore curas,
  Ne Penia Ogygio conſpiciatur agro.
Non poſſunt aquilæ ſine pennis æthere niti,
  Nec currit delphin, ſi ſpolietur aqua.
Nec mel apes fingunt,ſi deſit copia florum,
  Nec veniunt flores, ſi grauet Auſter humum.
Nec volucrum reſonant cantus,niſi Vere rubenti:
  Cùm venit acris hyems,tunc tacet omnis ager:
Sic etiam vates, ſi Pallados hoſtis Arachne
  Cum luctu fines occupet Aonios;
Non poterunt Phœbi ſtudiis aduertere mentem,
  Inque manus reſonæ ſumere fila lyræ.
Vatibus idcirco cenſus,& munera donas,
  Cunctaque quæ ſacræ ſemina mentis alant.
Teſtes quæ variis ornas collegia linguis;
  Clara Dei cultu,Pieridumque mora.
Ipſe quidem pater es cunctorum,diligis omnes,
  Quos nitidus roſea Phœbus ab arce videt.
Sed magis,idque etiam meruerunt,diligis illos,
  Qui iuga Parnaſſi,Caſtaliamque colunt.
Vnicuique ſuum pulcrum eſt,ſtudioque fauemus
  Alterius,cuius nos quoque ducit amor.
Miles amat iaculis gaudentem,nauita nautam,
  Agricola incuruum diligit agricolam.
Tu,quoniam es doctus,doctas amplecteris artes,
  Et miro Clariæ gentis amore flagras.
Fælicem Aoniam,ſi te,pater optime, ſemper
  Pieriæ ſecum dulcis haberet humus;
Nullis ſuppoſitum nigræ terroribus aulæ,
  Nec ſorti,Stygio quam mouet vrna foro.
Id quoque Pierides ſtudiis ardentibus optant,
  Nilque prius vatum lingua diſerta petit.
Sed vereor,ſurdas votis ne præbeat aures,

Détque Deus Boreæ per mare ferre preces.
Omnia ſacrilega Libitinę falce metuntur,
Et nihil eſt lethi quod remoretur iter.
Qui credit mortis leniri poſſe furorem,
Helleboro claras nauiget Anticyras.
Hic putat Armeniis tigres miteſcere ſyluis,
Nilque Lycaonia blandius eſſe lupa.
Non flexit mortem facundi pectus Vlyſſis,
Nec Nireus forma, nec Linus arte ſua.
Nec repulit fatum doctis Podalirius herbis,
Nec Calchas extis, augurioque ſuo:
Nec vis Æaciden Erebi defendit ab vnda,
Nec Crœſum cenſus, relligioque Numam:
Nec celer Adraſtum morti ſubduxit Arion,
Nec Priamum ętherea mœnia facta manu:
Perſea nec plumæ, ſocios nec Iaſonis Argo,
Nec Pallanta preces, Autolycúmque doli.
Et Deus, aſtrigero qui fulmina torquet ab axe,
Aſpera pro nobis in cruce fata tulit:
Atque ita Cerbereas acies, Orcúmque ſubegit,
Et capta rediit Ditis in aſtra domo.
Scilicet, alme pater, mors te quoque pallida tanget,
Et manibus nigris in caua buſta trahet.
Verùm id contingat ſerò, tardéque reuiſas
Sydera, virtuti regna parata tuæ.
Quod ſupereſt æui, molliſſima fata ſequantur,
Aſtraque ſint votis ſemper amica tuis.
Morte quidem, pater alme, tua turbabitur amnis,
Qui placido Aſcręas flumine ducit aquas:
Morte tua amittent frondes Heliconia Tempe,
Vmbráque Pieriis non erit vlla locis:
Et lætę Phœbi citharę, cantúsque ſilebunt,
Aſſiduúsque premet Theſpia corda dolor;

Vna tamen ſpes eſt curas quæ leniat atras,
  Et luctum mœſtæ ſubleuet Aoniæ:
Te non immemorem fore gentis Hyantidos vnquam,
  Cùm liquidum ęthereo nectar in orbe bibes.
Sed vates Superis inter conuiuia lęta
  Commendaturum de meliore nota:
Et Superos ſimilem tibi terris eſſe daturos
  Pontificem meritis & pietate grauem:
Qui foueat Muſas, Turcarúmque agmina tentet
  Oedipodioniis pellere verticibus:
Et Gręcis Thebas, & dulces reddere Athenas,
  Inclytaque Iſmaria Thracia regna lyra.
Ergo Pierides nequeunt auertere Parcas,
  Nec dare Neſtoreas, Æſoneasque comas:
At famam æternam, & magnum, & memorabile nomen,
  Inuitis Parcis, & Phlegethonte, dabunt.
Vrbes intereunt, æuo deperditur aurum;
  Quas condit terra, linquet auarus opes:
At quem Muſa canit, ſemper cantabitur Heros;
  Et quam Muſa dabit, fama perennis erit.
Viuit Dulichius, viuit Nereius Heros;
  Viuit Priamides Hector, amansque Paris:
Et ſemper viuent, ęternóque ore canentur:
  Tantum Caſtaliæ carmina robur habent.
Nil hîc Mulciberi, nil hîc inſania ferri,
  Nil mare, nil Aquilo, nil Libitina poteſt.
Nec quiſquam inſignem ſperet ſine carmine famã,
  Abſque ſacro Aonidum carmine fama ſilet.
Ante Helenes raptum multi grauia arma tulere,
  Præliaque audaci conſeruêre manu;
Sed quia Mæonij caruêrunt voce Poëtæ,
  Horum Cimmeriis facta premuntur aquis.
Omnes tangit amor laudis, famæque cupido,

Gloria quemque mouet, gloria quemque iuuat:
Qui timet obſcuræ Lethæa ſilentia ripæ,
Vultque ſuum toto nomen in orbe canis
Non illi magnæ templa exurenda Dianæ,
Non ferro egregij colla petenda viri:
Non Helleſpontus ſtrepitu terrendus equorum,
Non niue conſpicuus velificandus Athos:
Aoniæ faueat domui, nulloque labore
Toto Pieriis orbe vehetur equis.
Nil hominum citius famam caligine cæca
Vindicat, & nitida tollit in aſtra via;
Quàm pia laurigeræ venerari numina Cyrrhæ,
Doctaque Caſtalij plectra fouere chori.
Magnus Alexander, qui gemma incluſit, & auro
Iliada, armiſoni nobile vatis opus;
Quique dari iuſſit longè iuſtiſſimus Heros
Sacrilegum nigris Zoilon alitibus;
Et Rudiis genitum pulcro qui funere vatem
Intulit in gentis clara ſepulcra ſuæ;
Quique tuo ſacram preſſit diademate frontem
Liligera Thuſcus natus in vrbe Leo;
Innumerique alij poſſent ea dicta probare;
Sed ſatis hæc Heros qui probet vnus erit.
Quid Mæcenatem donat cœleſtibus auris
Ereptum nigris ex Acherontis aquis?
Nobilitas, ductúmque genus de ſanguine regum,
Cognita barbarico Lydia ſigna ſolo?
Gemmæ, aurum, Libyco ſaturatæ murice veſtes,
Aruaque ſexcenti quæ coluere boues?
Tectaque Tænariis ad cœlum educta columnis,
Et Mauſolæis digna ſepulcra rogis?
Nil horum Aoniæ citharas, & carmina mouit,
Et famam, toto quæ volat orbe, dedit:

Sed mira in vates pietas:hinc æthere claro
  Fertur Apollineo munere Thuſcus eques.
Illum Partheniæ celebrat facundia Muſæ,
  Dum lætas ſegetes,ruſticáque arma canit.
Illum Pindarico decantat Horatius ore,
  Dum reſonat Calabra carmina culta lyra.
Fecit idem Latius blando ſermone Philetas,
  Et quos Herculeus ſit numerare labor.
Nam tot eum vates plectro cecinere ſecundo,
  Quot ſunt æthereo ſydera fixa polo.
Tu quoq; magne pater,cùm ſis Heliconis amicus,
  Et foueas vates,Aonidésque Deas;
Omnibus in terris,omni celebraberis æuo,
  Et nunquam Stygiæ ſubijcieris aquæ.
Quotquot alit tellus Thymbræa ad flumina vates,
  Tollent Aonia te ſuper aſtra lyra.
O ego ſi poſſem turba quoque miſtus in illa,
  Siccam Gorgoneo fonte rigare ſitim:
Atque Meletæis frontem redimire corollis,
  Aureáque Andino plectra mouere ſono;
Quàm vellem celebrare tuas,pater optime,laudes,
  Et ferre ad cœlum téque,tuámque domum.
Sed nec Virgilius,nec ſum Smyrnęus Homerus,
  Nec mea Piërio flumine labra madent.
Sum procul Aonia Morinorum natus in oris,
  Qua bibit Aaas ſanctus Omerus aquas.
Et licet Aoniis eſſem celeberrimus oris,
  Nec mea Demodoci fama ſecunda foret;
Non tamen hoc cantus meditari tempore poſſem;
  Nec præ me ſumpta gaudia ferre lyra:
Non mihi ſi tenera Nepenthes tradere dextra
  Vellet,olorino nata puella toro.
Mars ferus,Odryſijs placida in regione relictis,

 Crude-

Crudeli bello Belgica regna quatit:
Patriaq́ue infeſtis inuoluitur vndiq; flammis;
Atque ſuo largè ſparſa cruore madet.
Hinc meritò gemitus imo de corde trahuntur,
Nec venit ad lacrymas Muſa vocata meas.
Sed mihi, quod dura fatorum lege negatum eſt,
Pręſtabunt cupida Delia plectra lyra.
Egregij denſo conſurgent agmine vates,
Qui tua fęlici carmine facta canent.
Quos inter vario redimitus flore nitebit
Muretus, ſtudij dexter in omne genus:
Cargáque Pieriis nunquam nō viſus in aruis,
Clarus & in ſylua Syluius Aonia:
Et ſacer Apruſę vates, cui nomina virgo
Theſſala laurigero flumine nata dedit:
Et qui Cecropium mel Adamus pectore fundit,
Męoniúmque graui carmine condit epos:
Angeliúsque ſua Zephyros qui voce moratur,
Et ciet è ſummis aſpera ſaxa iugis:
Quíque ora Alcęi numeroſis vocibus æquat,
Dum mouet Æolię fila Peranda lyrę:
Gambaráque, aſſiduo Phœbi qui percitus œſtro
Dulci Romuleas carmine mulcet aquas.
Non me falſa loqui ventura fatebitur ętas,
Hîc ego Dodona verior augur ero.
Dum fruges homini tellus mitiſſima fundet,
Omnia Gregorium per loca fama canet.

IN OBITVM PRINCIPIS CLIVIENSIVM.

NVper Romulea fato conceſſit in vrbe
Heros, Menapiæ nobilitatis honor:
Diues opum, forma pulcer, lanugine prima,
Doctus belligera tela vibrare manu.
Sed nihil iſta iuuant, quia mortis lurida cuſpis,

Vtple-

Vt plebem, reges, ſceptraque ſumma petit.
Et fidunt aliqui manibus, fortiq́ue iuuentæ?
Et claro generi, diuitiiſque ſuis?

AD IACOBVM MVZOLVM.

MVzole ſæpè rogas, num tecum inuiſere ſedes
Oebalidæ Tatij cupiam, gentémque Sabinam;
Clitumniq́ue greges niueos, quóſque Vmbria montes
Tollit, & arboreas Piceni littoris oras;
Et Lauretanæ venerandas Virginis ędes,
Flaminiasq́; domos, & quæ rigat arua Metaurus;
Et Venetûm pingues terras, Atheſimq́ue, Padumq́ue,
Atque Adriæ dominam mediis in fluctibus vrbem
Extantem, & tumido reddentem iura profundo;
Iam mihi luſtratis, quos Arnus præfluit, agris,
Eliciens liquidas Thuſcis è montibus vndas.
Quamuis Romuleas ita mens mea diligat auras,
Vt vix auelli poſſim, tamen optime tecum
Muzole Caucaſeas rupes, Cilicaſque feroces
Viſere non dubitem, nec aquas tentare Maleæ,
Naufragio infames, Syrtéſque ſubire doloſas;
Nedum magnificas vrbes, atque Itala regna,
Pręcipuéque domum generoſæ matris IESV.
Nec via me terret, nec aquæ, nec fulmina cœlo
Miſſa, nec aërij montes, gelidęque pruinæ,
Nec fera ventorum rabies, nec ſaxea grando.
Flaminiam ad portam properemus, itérque ſequamur,
Nos niueæ comitentur aues, Zephyriq́ue ſecundi.
At vos Romanæ turres, atque aurea templa,
Et tu Tibri pater, Nympharúmque agmina ſancta
Naïadum, liquidis choreas quę ducitis antris,
Et luci, qui me vidiſtis ſæpè canentem,
Tentantémq́; lyram, & ſpatiantem gramine molli,
Exiguum ad tempus, mox ipſe recurro, Valete.

SIMONIS OGERII

SYLVARVM

LIBER QVARTVS.

In Veronam.

ARua placent Romana mihi, terræque feraces,
Quas rigat Hetruſca Tiberis liquidiſſimus vnda,
Et ſeptemgemini colles,& amœna vireta,
Et poſitæ Superis ædes,& tecta ſuperba,
Et quicquid miri rerum pulcerrima tellus
Poſſidet,Iliaco quondam regnata Quirino:
Nec mihi diſplicet vrbs,generoſo condita Brenno;
Et ſemper virides ſyluæ,collésque nitentes,
Quos habet, & campi longè,latéque patentes;
Et ſtructum ingenti ſpecioſum mole theatrum,
Templáque cœlicolûm rutilãtia marmore claro,
Nec pulcer fluuius,mediam qui interſecat vrbem,
Teutonico vitreas educens vertice lymphas,
Nec ſacer ille lacus,Bergano carmine dictus,
Qui fremitum,pelagique minas, tumidasque procellas
Turbatis imitatur aquis,& marmore verſo,
Cùm faciem nitidi violarunt nubila cœli;
Et tonat aduerſis oriens in rupibus Eurus;
Atque ſub aurifero pretioſos gurgite piſces
Educat,haud vnquam peregrino littore viſos:
Teſtis qui fulua ſe Carpio nutrit arena.
Et quis non celebret cœlum fęlicibus auris?
Ac molles Zephyros huius regionis amœnæ;
Et grauidę Cereris fœcundas ſemper ariſtas,
Et vites vinum generoſum,& lene ferentes?
Tum populum ſumma Superos pietate colentem,

Et mi-

Et miro ingenio referentem docta Catulli
Scripta ſui,claro nec Martis honore carentem?
Salue grata meo cordi Verona,ſacriq́ue
Quos Atheſis voluit fluctus, ſaltusq́ue virentes;
Et Baldi montes ſaluete,lacúsque perennes;
Salue Zeno pater,pulcræ qui mœnia ſeruas
Vrbis,& Heroës magni ſaluete,frequentes
Quos alit hæc regio,Superûm gratiſſima regi;
Et cunctis ornata bonis, & rebus opima
Omnibus,in terris hominũ quas corda requirunt.

AD ALPHONSVM MORANDVM.

QVàm vellem Pataræ gelidis Alphonſe ſub antris
Mæonidæ clara te reſonare tuba:
Atque tuas alta laudes memorare Camæna,
Et Phœbo dignis te celebrare modis.
Sed me deficiunt vires,& ſæpè vocatus
Deſtituit votum pulcer Apollo meum.
Non mihi Piëria decorantur tempora lauro,
Non mihi Caſtaliis labra rigantur aquis:
Nec licet Aonia nobis recubare ſub vmbra,
Doctaq́ue Mæoniæ tangere fila lyræ.
Inuidere mihi Dircæos fata liquores,
Caſtaliasq́ue vmbras,Piëriosq́ue lares.
Sed licet à Cyrrha nobis hæc cuncta venirent,
Taliáque ora mihi Calliopæa daret;
Qualia vatis erant,quem naſci argenteus olim
Mincius ad lymphas vidit oloriferas:
Aut quem Smyrna refert,ſacrata ad flumina natum
Materna dictum voce Meleſigenem;
Tempore non poſſem tamen hoc contendere in altos
Aoniæ montes,Piëriasq́ue domos;
Dulciaq́ue Orphæis cõiungere carmina plectris;
Et magno laudes ore ſonare tuas.

Impe-

Impedior curis, quæ me ſine fine fatigant,
Nec tacita ſomnos carpere nocte ſinunt.
Et ſemper lacrymis vultus, atque ora rigantur,
Et timor aſſiduo corda tremore quatit.
Mille mihi cauſę luctus prębentur acerbi;
Et cor iure meum ſollicitudo premit.
Mars ferus heu nimiùm Morinis inſanit in aruis;
Et patriam bello iam tria luſtra petunt.
Non tot Adraſtęo paſſa eſt ſub milite quondam
Vrbs Eteoclęis proxima verticibus:
Nec Menelaæo duo luſtra obſeſſa Gradiuo
Tandem Dulichio Pergama capta dolo:
Quot mala perpetitur circumdata patria tellus
E Stygio miſſis flumine militibus.
Hîc pro Piërio cantu, & teſtudine lęta,
Attonita reboant tympana pulſa manu:
Et tuba terribili ſonitu ciet aſpera bella,
Et valida dextra tela vibrare monet:
Et rabies denſos morientum calcat aceruos,
Fluminàque inſolito tincta cruore rubent.
Oppidàq; in cineres redigit Vulcanius ardor,
Et violat Dryadum dira ſecuris opes.
Nec patitur ſegetes hoſtis violentia campis
Surgere, nec Bacchum munera læta dare.
Hîc pater inſidias nato parat, ille parenti,
Et rigido ſoceros appetit enſe gener.
Mutuaque aduerſi currunt in prælia fratres,
Nec ius ante oculos proximitatis habent.
Et laniat crines natorum ob funera mater,
Et luget fratrum triſtia fata ſoror.
Ereptósque ſibi coniunx pia deflet amores,
Et queritur cæſum filia mœſta patrem.
Fásque, nefásque ſimul miſcentur, & omnia magno

Cum

Cum fremitu in peius, Dite furente, ruunt.
Spéſque abiit pacis, nec fœdera Belgica curat
Terra, ſed aſſiduo Martis amore flagrat.
An ſuperent dubium, fratres, dulcéſque ſorores,
Et pater, & qua nil mater amabilius:
Forſitan hos acies, inimicus & hauſerit ignis,
Et dantur rapidis prędа, cibúſque feris.
Quíque parentis erant, ita belli lege volente,
Militibus tinctis cęde coluntur agri.
Aut ſi viuit adhuc pater, & dulciſſima mater,
Necdum regna colunt, quę Libitina tenet;
Coguntur victus inopem traducere vitam,
Et dura in cana tempora ferre coma.
Qui modò fęlices gemmis, auróque bibebant?
Atque quieſcebant Attalico in thalamo.
Aut præbent dextram ferro, duriſque catenis,
Obſcœnóque loco, carceribúſque iacent.
Forſitan & rapidus patriam ſuccenderit ignis,
Vrbémque Audomari nigra fauilla tegat;
Quòd delira ſequi Caluini dogmata ſemper
Abnuerit, priſcæ relligionis amans.
Has inter curas, & triſtia fata meorum,
Poſſem Caſtaliæ plectra ferire lyræ?
Atque animum ad lætos mœſtum conuertere cantus,
Claráque Mæonio facta referre ſono?
Pïerides nolunt luctus, nec cantat Aëdon,
Cùm Boreas gelido frigore nectit aquas.
Nec Thetidis natum mœſtus ceciniſſet Homerus,
Mœſtitia Aonios impediente ſonos.
Nec Maro Caietæ fortem celebraſſet alumnum,
Lætitia Andinam non comitante lyram.
Sed nunquam Aonides, citharáq; inſignis Apollo,
Cimmerion tęnebras te ſepelire ſinent.

Vatibus

Vatibus eximios cantus,& plectra ſonora,
  Quæ te concelebrent ſemper in orbe,dabunt.
Non tibi præcipuè deerunt facunda CERVTI,
  Proxima Mæoniis carmina carminibus.
Ille ſatisfaciet votis ex omnibus vnus,
  Et,quod lætor,habet,quæ mihi fata negant.
Huic blandæ adſpirant auræ,Zephyriq; ſecundi,
  Et dant fatilegæ candida fila Deæ.
Nilque ſonum citharæ,vocaliáque impedit ora;
  Doctáque ſollicito corda dolore vacant.
Hunc,ſi quenquam alium Phœbus,Phœbique ſorores,
  Omniaque Aonij numina montis amant:
Exornantque caput lauro Parnaſſide,dantque,
  Cùm vult,Caſtalia tingere guttur aqua.
Quoſlibet hic fundit verſus,& voce canora
  Heroas magnos,fortiaque arma ſonat.
Huic igitur curæ tua factis inclyta virtus
  Semper erit,miro iam referenda ſono.
Dignus es Aonia Federici voce Morande,
  Quaque nihil poſſit dulcius eſſe lyra.
Stemma tibi antiquum, & generoſum nomen auorum,
  Et clara inſigni nobilitate domus;
Digna vel Odryſio ſceptro,Medaque tiara,
  Et multis ſpecies regna tenere locis.
Sunt ampli reditus,& opes,& prædia multa,
  Et tercenteno vomere findis humum.
Sunt quoque diuerſis tibi multa palatia terris,
  Ædésque eximiæ,conſpicuíque lares.
Sed tibi præcipuè magni intra mœnia Brenni
  Aſpicitur multo ſtructa labore domus;
Qua nihil in toto formoſius orbe videtur,
  Atque fides huius lumina vocis erunt.
Hæc virides ripas,& amœnos proſpicit agros,

Et Leo-

Et Leonardæum, culmina ſancta, iugum.
Et cœlo blando, & fælici cingitur aura;
Et ſtrepitu, & vulgo prætereunte caret.
Porticibus multis, multis decorata columnis,
Omnia, quò vertis lumina, lumen erunt.
Hîc multi thalami, quos non errauerit vllus
Lemnicolam dicat qui fabricaſſe Deum:
In quibus aſpicias varijs aulæa figuris,
Quæ fecit filis Belgica dextra ſuis;
Regaléſque toros, & conopæa micanti
Fulgore, & Phrygia ſtragula picta manu;
Et nitidas Pario ductas de marmore menſas,
Et ſtatuas, quales Pigmalionis erant;
Multáque diuerſis animalia reddita formis,
Quæ quis Apellæo facta labore putet.
Auratasque trabes, iunctas laquearibus aureis,
Æratasque fores, marmoreúmque ſolum.
Sunt libri egregij, & rari, Phœbóque dicatum
Muſæum, quo nil doctius eſſe poteſt.
Eſt & ſydereo regi, Superiſque ſacellum
Sacratum, fiunt quo ſua ſacra Deo.
Hîc reſonant citharæ, quæque inſtrumenta mouentur
Omnia odoratæ vertice in Aoniæ.
Has ędes ita magnificas, & Cæſare dignas,
Cum geminis hortis fertilis ambit ager:
Et murus fures auidos altiſſimus arcet,
Nec fas iniuſta carpere poma manu.
Illis Alcinoi cedant, & Adonidos horti,
Et nitidæ Heſperidum quos coluere manus:
Et quos hiſtoriæ princeps Salluſtius, & quos
Exquilio extruxit vertice Thuſcus eques.
Tales Elyſios coniunx Plutonia campos,
Ad triſtes raptus, mite leuamen, habet.

Hos

Hos fouet aſſiduè Chloris,pulcérque maritus,
Et ſemper tepido mulcet,alitque ſono.
Et crebrò inuiſit formas Vertumnus in omnes
Aptus,& à pomis quæ Dea nomen habet.
Atque Atheſis nunquam patitur fluuialibus vndis
Ferre ſitim,quamuis Sirius vrat humum.
Arte rotæ,& longis educta canalibus,amne
E gelido,hortenſem mitigat vnda ſitim.
Hîc ſi quis varios fructus,floréſque requirat,
Nil deſiderio cernet abeſſe ſuo.
Hîc pyrus,& malus,quæ plurima fertur in ora
Naſci Punicea,Sidonióque ſolo.
Et pomus,gratos ex ſe quæ mittit odores,
Et fœtu nitido lumina noſtra capit.
Et quæ Lothophagis arbor gratiſſima,fertur
Non Ithacis etiam diſplicuiſſe viris.
Et dulces ficus,& caſtæ bacca Mineruæ,
Et quam Lucullus de Ceraſunte tulit.
Quamque Pelaſgiadas Xerſes portauit in oras,
Hanc ratus Inachiis eſſe venena viris.
Et fragiles coryli,quas ruſtica Phyllis amabat,
Et quę puniceo corna colore rubent.
Atque huc Minoa portata Cydonia ab ora,
Nympháque,Demophoon,quę tuus ignis erat.
Et ſacri Idaliæ fructus,& cerea pruna,
Et quæ Pirameo poma cruore madent.
Illáque,quam nobis bellatrix Media miſit
Arbor,quæ viridi ſemper honore nitet.
Et geſtat totum flores,vel poma per annum,
Poma,Cytheræus qualia gignit ager.
Qualiaque Atlantis nitido ſeruabat in horto
In ſomnos dulces neſcius ire Draco.
Quæ poſſent rapidæ Schœneïdos ora morari,

Et pro-

Et prope victores iam retinere pedes.
Diſcordéſque Deas facere,atque accerſere rurſus
Dardanium Paridem,iudiciúmque nouum.
Pampineas gerit hîc etiam pulcerrima frondes
Vinea,quæ domino pocula læta ferunt;
Queis vina aſſurgant,& humo naſcentia Ibera,
Et iuxta ripas,bellice Rhene,tuas.
Quæq; Bibractis alunt campi,Leſbóſque,Chiosque,
Grataque Thyrſigero terra Falerna Deo.
Non alia eſſe putem cœleſtis pocula menſæ,
Quæ miſcet Phrygia raptus ab arce puer.
Sed quid ad Adriacum vertor mare?quotque ferantur
Enumero fluctus,cùm mouet Auſter aquas?
Omnes hîc fructus,quos pomifer aſpicit annus,
Cùm Phœbo iuncta eſt pendula libra,nitent.
Flaua Ceres grauidas etiam hîc oſtendit ariſtas,
Nec parua agreſtes munera Hamadryades.
At parte ex alia flores rutilare videbis,
Quot tellus fundit Dædala Vere nouo.
Hîc puer Oebalius,quem diſco Phœbus Apollo
Extinctum,in florem vertit odoriferum:
Narciſſusque ſuæ faciei ſtultus amator,
Et Crocos,& Smilax,& Melilotos adeſt:
Et Clytie,nimio Phœbi quæ flagrat amore;
Et verſa ad Solem lumina ſemper habet.
Liliaque & Cyani,& Calthæ,noctíque papauer
Sacratum,& niueæ,purpureæque roſæ.
Et Thyma,Roſq; maris,Caſiæque,& Amaracus, vmbram
Mollem ſopito quę daret Aſcanio.
Inter quos miro Gelſominæus odore
Flos ſuperat pennas candide Cycne tuas.
Et plures alij qui ſunt ſine nomine flores,
Hoſpitis externi quos tibi miſit amor.

Quicquid

Quicquid enim miri peregrino naſcitur orbe,
 Cernitur in tectis vir generoſe tuis.
Adde voluminibus topiaria flexa decoris,
 Naturæque manus quæ dedit artificum.
Sunt etiam hîc leuibus tophis, & pumice textę
 Speluncę, mediis quę feriuntur aquis.
Hîc volucres varios cantus iaculantur ad auras,
 Dulciáque arguta carmina voce ſonant.
Quæque volant cauea malè grato carcere clauſæ,
 Quæque ſuis pedibus ramea tecta premunt.
Cornipedésque feri ſtabulis paſcuntur in altis,
 Qui Boreę poſſent curſibus eſſe pares.
Súntque canes, auidis teneant qui dentibus aprum,
 Súntque, ſui greſſum qui comitentur heri.
Accipitrésque altum tolluntur in aëra iuſſi,
 Et referunt domino, quas cupiebat, aues.
Hîc & apes varię flauentia caſtra frequentant,
 Et gemit in tectis multa columba ſuis.
Et cupidos etiam vultus leporaria paſcunt,
 Résque alię, longum quas memorare foret.
Hîc nunquam offendunt ęſtus, viridantibus vmbris
 Tutus es à Phœbo, ſydereóque cane.
Icarias etiam flammas, acrémque leonem
 Auertit foliis pergula lata ſuis.
Nec virides deſunt hyberno tempore rami,
 Hîc lauri aſſiduè, iuniperique virent.
Et gratę pinus Cybelę, gratęque cupreſſi
 Syluano, & frondes citrea ſemper habent.
Quæque ſolent ederę grauidis errare corymbis
 Huc illuc, muros fronde virente tegunt.
Non alios credam vates optare receſſus,
 In quibus ad citharam carmina blanda canant.
Nec fallor, veniunt huc læta fronte Camœnę,

Et cele-

Et celebrant iſtos, vt ſua tecta, lares;
Et nitidos fontes Aganippidos Hippocrenes:
Et mutant alacres his Helicona locis.
Iam verò, quis non æquet cœleſtibus aſtris
Ornamenta animi, clare Morande, tui?
Quid dolus, ignoras: fucumque, viroſque bilingues
Odiſti vt mortem, Tartareáſque domos.
Hoc animo fuit Aeacides, Chironis alumnus,
Legatis verè narrat vt ipſe tribus.
Quique draconigenæ princeps clariſſimus vrbis
Sæpe Terapnæo ſanguine tinxit humum.
Cùm populum affaris, blandæ dulcedine linguæ,
Et lepido turbam, quò lubet, ore trahis.
Sic Neſtor quondam populum capiebat Achiuum
Bellantem ad portas Tros animoſe tuas.
Rexque Ithacæ Alcinoum, Phęacum in gente renarrans,
Quæ toleraſſet humo, quæ toleraſſet aqua.
Os nulli lædis, nulli conuitia dicis,
Cor tibi ſyncerum, candidiúſque niue eſt.
Erga omnes blandus, pręſertim comis in illos,
Qui ſacra Parnaſſi, Pieridéſque colunt.
Horum colloquijs, & conſuetudine gaudes:
Et ſine laurigero non potes eſſe choro.
Talis erat Clarios in vates Lydius ille
Mœcenas, genti numen Apollineę.
Talis & Auguſtus, talis fortiſſimus heros,
Qui magni toto nomen ab orbe refert.
Lucullo certas menſę ſplendore, tuiſque
In cœnis ſemper fercula lauta iacent.
Poculaque effulgent auro, gemmiſque coruſcant;
Et grauis argenti lumina diſcus habet.
Pacis opus laudas, ſed cùm fera bella geruntur,
Et Mars armiſonos ad iuga cogit equos;

Vel pedes auderes quemuis tentare cruento
  Mucrone,& vires tendere in Herculeas;
Vel medias eques in turmas procurrere,quamuis
  Contra te magnus Caſtoris iret equus.
Si quis te imploret fortuna oppreſſus iniquâ,
  Quam petijt,ferri mox ſibi cernit opem.
O quàm ſępe pater Zeno ſuccurrere egenis
  Te videt,& loculos his aperire tuos;
Sed tum præcipuè id vidit ſanctiſſimus heros,
  Cùm tetigit miſeras peſtis acerba domos.
His tunc non Cereris fruges,non vina deeſſe
  Paſſus es,& quicquid corpora tabe leuat.
Hos inuiſebas,atque hortabaris amicè,
  Fortiter vt vellent tempora dura pati.
Ponebáſque tuam certa in diſcrimina vitam;
  Hoc ſtudio gemitus,pauperiemq́ue leuas.
Millia multa hominum rapuiſti è faucibus Orci,
  Quos iam Perſephone dixerat eſſe ſuos.
Téque ideo & Pluton,Plutoniſq́ue horrida coniunx,
  Et chorus infernæ pallidus odit aquæ.
Et te ſi poſſent Stygij Phlegethontis ad vndam
  Attraherent;rabies Tartara talis habet.
Sed te Palladia ſemper teget ægide cœlum,
  Et Styga compeſcet, Tartareáſque minas;
Téque diu incolumem turbæ ſeruabit egenæ,
  Quæ ſine te nitidos non videt ire dies.
Has tibi naturâ dotes contingere ſcimus,
  Et data natali proſpera ſigna tuo.
Solertémque Deæ fecerunt fata regentes,
  Et Cyllenæi ſidera clara Dei:
Sed tamen & ſtudio,& curâ tibi multa parata,
  Auctáque ſunt etiam multa labore tuo.
Solertémque magis fecit,luſtraſſe tot vrbes:

Tótque

Tótque freta audaci tranſiluiſſe rate;
Et varios hominum mores, habitúſque notaſſe,
Et quicquid pulcri barbarus orbis habet.
Non etenim validis contentus gentibus auctam
Vidiſſe Italiam, Romuleóſque lares:
Externas etiam voluiſti inuiſere gentes,
Et terras, alio quæ Phaëthonte calent.
Et perluſtraſti quas Dalmata poſſidet vrbes,
Diues & Epirus, diues & Aemathia:
Et Thracum populos, Byzantiáque æquora, & arces
Turcarum validas, imperijque domum.
Quin etiam Muſis celebratos Hectoris amnes
Vidiſti, & veterem Laömedontis humum.
Numine cœleſti tutus quas tendis in oras,
Seu pedibus terras, ſeu rate tangis aquas.
Nunquam Pallas abeſt, ſed amanti ſemper adhæret,
Nam præter Superos hæc tibi Diua fauet.
Et veluti quondam ſolertem fouit Vlyſſem,
Cùm gereret Phrygio bella cruenta ſolo:
Cúmque procelloſæ premeretur fluctibus vndæ,
Dulichium repetens, Neritiáſque domos:
Sic tibi, cúmque domi reſides, & reſpicis vndas,
Quas Atheſis Nymphas ducit ad Adriacas:
Cúmque petis varias gentes, atque ęquora ſulcas,
Semper adeſt votis Pallas amica tuis.
Hæc, & plura graui memorabit voce CERVTVS;
Quóque decet laudes concinet ore tuas.
Tu tamen ô Alphonſe animum, ſtudiúmque Simonis
In te propenſum, conſule, quęſo, boni.
Te celebrare cupit, cantúque ad ſidera ferre,
Sed cœptis obſtant cura, dolórque meis.
Nec datur Aonidum per amænos currere campos,
Sacráque Pieridum terra negata mihi eſt.

AD FEDERICVM CERVTVM.

MAgnanimum Onfredum dignis efferre Camœnis
Vel nemo poterit, vel FEDERICE potes.
Ille vir eſt ſummus, tu maximus ipſe poëta;
Materia ingenio conuenit iſta tuo.
Aſt ego me fateor tantæ ſuccumbere moli,
Nec poſſe impoſitum ferre decenter onus.

AD ONFREDVM IVSTINIANVM VERONÆ PRÆFECTVM.

OCeani linquens vndas Hyperione natus
In Veronenſi non bene lucet agro:
Sed triſtes vultus oſtendens æthere ab alto,
Significat luctum pectus habere ſuum.
Naïadumque pijs augentur fletibus amnes,
Atque Atheſis ſolito maior in vrbe fluit.
Nec fundit tepidas, velut antè, Fauonius auras;
Horrifero tellus nunc Aquilone ſonat.
Nec pictæ volucres, vacui ſolatia ruris,
More ſuo ad virides dulcè queruntur aquas.
Alma Ceres alias, procul hinc, conceſsit in oras,
Nulla vides noſtro ſpicea ſerta ſolo.
Nec lætas nobis promittit pampinus vuas,
Et pater ex noſtris ceſſit Iacchus agris.
Quæ cauſæ tanti luctus, tantique doloris?
Cuncta dolent abitu vir generoſe tuo.
Cuncta dolent, cùm ſe, prudens Onfrede, tuentur
Deſtitui, & currus hinc properare tuos.
Et meritò lacrymas te diſcedente profundit
Verona, & querulum mittit ad aſtra ſonum.
Tu decus, & ſplendor patriæ, tu gloria magnæ
Vrbis, in Adriacis quæ dominatur aquis.
Quò te cumque moues, Aquilarum ſigna ſequuntur,

Ma-

Magnanimiq́ue Iouis te comitatur auis.
Et tibi Cæſaris eſt genus alto à ſanguine ductum,
Romuleo leges qui dedit imperio.
Gratus in ore vigor; ſpecies digniſſima regno,
Et talis vultus, qualis Achillis erat.
Neſtora facundę vincis dulcedine linguę;
Inq́ue tuis verbis vox Ciceronis ineſt.
Virtutum eximius cultor memoraris vbique,
Inq́ue Deum mira relligione pius.
Candidus, humanus, ſimplex, ſine fraude, doloq́ue,
Syncerisq́ue animis, Herculeáque fide.
Largus opum: nemo ſupplex tua tecta ſubiuit,
Et ſubitò latam non ſibi vidit opem.
Hoſpitio facilis, blandóque affabilis ore
Omnibus, alloquium qui petiere tuum.
Sanctarum cuſtos legum, iudexq́ue ſeuerus,
Scylla parata malis, portus, & aura bonis.
Ingenio excultus vario, rerúmque peritus,
Acri iudicio, conſilióque bono:
Mirè Pierio Muſarum incenſus amore,
Vtq́ue olim Auguſtus, Delphica plectra foues.
Dum te luce ſua ſparget Titanius ignis,
Et te Parcarum viuere fila ſinent;
Semper Apollineis choreæ ducentur in aruis,
Et nullus Clario vertice luctus erit.
Id quod aquæ cœlo miſſæ ſitientibus agris,
Id quod agris ſoles, imbre nocente ſatis:
Quod rutilans ignis glaciali menſe Decembris,
Quod nemus vmbriferum, cùm premit ęſtus humum:
Quod portus trepidæ naui, quod meta labori,
Quod Liber curis, quod medicina malo;
Hoc es Pieriæ, cùm Pindum turbat Auernus,
Et doctos homines ſors odioſa grauat.

Per te purpureo vates Helicone fruuntur,
Per te Gorgonei prępetis amne bibunt;
Per te Phœbæa docorantur virgine; per te
Numine repleti numine digna canunt.
Nec ſolam Pallas Tritonia prębuit artem
Ingenij, armorum clarus honore nites.
Fortis es, & cautis prudens bellator in armis,
Et Martem iunctum cum ratione tenes.
Sic Ioue nata ſuum quondam celebrauit Atriden;
Qui Princeps Graiæ nobilitatis erat.
Militiæ expertus, Fabiano milite cinctus
Te mundo clarum, conſpicuúmque facis.
Quem verbis, factiſque doces tolerare laborem;
Lętáque pro patria vulnera ferre ſua.
Omnes mirantur Mauortia tela vibrantem,
Duráque torquentem colla ferocis equi.
Dum regis hîc Martem, pacis pia iura tueris,
Mœniáque externo noſtra timore leuas.
Et ciues inter rixarum ſemina tollis,
Et liti ponis, diſſidióque modum.
Nec tua Veronę tantummodò cognita virtus,
Hanc etiam nouit Solis vtrumque latus.
Præcipuè Ionio Mars eſt tuus æquore viſus,
Et bene lunatis cognitus agminibus:
Cùm fera gens nobis manicas, & vincla pararet
Turpia, Biſtonijs mox patienda viris.
Teſtis Naupactos, teſtes Achelöides vndę,
Quot dederis Thracum corpora vaſta neci,
Stans celſa in puppi, cinctus fulgentibus armis,
Sacrilego tumidas ſanguine tingis aquas.
Néue tuas adeat proles Othomanica puppes,
Ipſe caues dextra, fulmineáque trabe.
Qua veheris nemo properat contingere nauem,

Omnes

Omnes te fugiunt, vt fugit agna lupum.
Et ſi quem dextræ propius fiducia ducit,
Protinus æquoreis piſcibus eſca cadit.
Talis apud Troiam patrijs pro nauibus Aiax
Inſignem clypeum, fortiáque arma tulit.
Nec mora proſtratis validè toto æquore Turcis,
Et capta hoſtili claſſe potente manu:
Vnus es à cunctis inter tot millia lectus,
Lætitiæ in patriam nuncius ire tuam.
Vela facis, Nereus ventos aſpirat eunti,
Téque citis Triton per mare portat equis.
Ipſe triumphali vectus per cærula naue
Ingrederis patriæ tecta ſuperba tuæ;
Rémque fide narras maiorem, Thracas in vndis
Perdomitos toto procubuiſſe freto.
Exciperis placido vultu, ſanctuſque ſenatus
E cœlo lapſum te putat eſſe Deum.
Aſpiciunt hoſtes captos, vinctóſque catenis,
Mirantúrque arcus, barbaráque arma virûm;
Et grates Superis ſoluunt, & carmina dicunt,
Exultantque animis, lætitiaque fremunt:
Templáque barbaricis onerant ſacrata trophæis,
Suſpenduntque ſacro Turcica ſigna tholo.
Sed quo nunc Elegi? reſonanda hęc carmine forti,
Mæoniáque tuba fama canenda tua eſt.
Hęc quoque ſuccedent Heros clariſſime, nec tu
Pieridum cernes verba deeſſe tibi.
Multos Virgilios, multos numerabis Homeros,
Qui grauibus numeris te ſuper aſtra ferent.
Dignus es Aonio celebrari carmine, dignus
Inter Cæſareos qui memoreris auos.
Non igitur mirum, ſi te tot dotibus aucto
Orbati gemimus: cauſa doloris adeſt.

Diſcedit qui nos,vt natos mater,amabat,
  Qui magni nobis Hectoris inſtar erat.
Quem cupiebamus prope nos conſumere vitam,
  Filáque tergeminę quæ tribuere Deæ.
Sed non ad votum ſuccedunt omnia ſemper,
  Et non perpetuo tempore gaudet homo.
Nec ſemper cernis ſolem fulgere ſerenum;
  Sæpe ſolet nimbo turbidus ire dies.
Nec ſemper nauis pacata per æquora fertur;
  Sæpe procelloſas nauita ſentit aquas.
Nec parit aſſiduos veris clementia flores,
  Fert quoque Sithonias obruta terra niues.
Te reuocat patrio venerandus honore Senatus,
  Et læto vultu,quod iubet ille, facis.
Vade bonis auibus,Zephyriſque fauentibus vſus
  Pulchra Leoniferę ſtagna reuiſe Deę.
Atque ibi cùm fueris fęlici ſede receptus,
  Semper Veronæ ſit tibi cura tuę.
At nos pro meritis omnes tibi fata precamur
  Mollia,totque dies,quot mare voluit aquas.
Nec tibi non tandem ſummos optamus honores,
  Vt princeps patrię conſpiciare tuæ.

AD EVNDEM.

O vir auguſta generate magni
Stirpe Iuſtini,decus Adrianæ
Gentis,& ſplendor Veneti Senatus,
  Nobilis Heros.
Quem ſacer vidit Calydonis amnis,
Herculis fortes animos gerentem,
Albidos fluctus variare rubro
  Sanguine Thracum.
Quem ſuos ciues etiam ſonoris
Vidit è ripis Atheſis regentem,

Miti-

Mitibus ſceptris, rigidóque leges
Enſe tuentem.
Sic abis, & nos ita linquis? eheu
Quàm dolent omnes, lacrymáſque fundunt,
Cùm vident, à ſe properare magnum
Martis alumnum.
Sed tuis pares, reuocat ſenatus,
Et ſoles læto properare greſſu
Quò vocat, quamuis Scythicam iuberet
Tendere ad vndam.
Vade felici comitatus aſtro,
Neſtoris lætam videas ſenectam,
Quicquid aggreſſus fueris, ſecundet
Semper Olympus.

AD EVNDEM.

DVM Phrygias ferro turmas ſcindebat Achilles,
Et Xanthi flauas cęde replebat aquas;
Semper eum caſta cum Pallade Iuno tegebat,
Armatum dextra Lemnie diue tua.
Vnde rota ſemper victrice in caſtra redibat,
Et dolor Iliacis matribus acer erat.
Sic Onfrede tibi, dum miſces agmina ponto,
Et frangis ferro Thracia caſtra tuo:
Fulgentem clypeum volucrum regina ferebat,
Atque Themis vires cum Ioue iuncta dabat.
Non igitur mirum, ſi victor ab hoſte rediſti,
Magnus enim magno numine ſeptus eras.

IN EVNDEM.

VT pater Ionijs Achelous vidit in vndis
Onfredum valida bella mouere manu;
Sic Atheſis nitida Brenni conſpexit in vrbe,
Egregiè populo reddere iura ſuo.
Ne quæras igitur, quare liquidiſſimus antè,

Nunc fluat obſcœna turbidus amnis aqua.
Corniger haud ſtultus fundo dolet abditus imo,
Et fler, delicias hinc abijſſe ſuas.

IN NVPTIAS
VINCENTII GONZAGÆ
MANTVANORVM PRINCIPIS,
&
LEONORAE MEDICAEAE FRANCISCI
Magni Etruriæ Ducis F.

PIERIAS Hymenæe domos, fontémque relinque,
Aonidum liquida qui iuga tingit aqua:
Téque Bianoream celeri pede transfer in vrbem,
Mœnia Theſpiacis haud fugienda Deis.
Hîc par nobilium cùpidè te expectat amantum;
Et tua ſollicita numina voce vocat.
His nihil Heſperius, nec Eoo littore ſurgens
Pulchrius æthereo Phœbus ab axe videt.
Eia age, Caſtalidum lucos, colléſque relinque,
Et fer veloces huc Hymenæe pedes.
Hîc tibi (quę placeant) ſpectacula mille dabuntur;
Multaque Pierio non aliena ſolo.
Mœnibus his quondam venturi pręſcia Manto
Nomina de veſtra gente profecta dedit.
Mincius hæc iuxta candentes fundit olores,
Quot non Mæonijs lucidus amnis aquis.
Mincius egregij monumentis clarus alumni,
Et toto Andina notus in orbe lyra.
Hîc tua cum turba colitur Parnaſſide mater
Hoc, quo præcipuè gaudet honore coli.
Muſica non alibi ſolertius ora mouentur,
Teſtis diua meæ Barbara vocis erit.
Hîc multos cernes Thamyras, & Arionas ire

Can-

Cantatum Lycia carmina digna lyra,
Hîc & Hyantæis Academia ſacra puellis
Perſonat aſſiduè vocibus Aonijs.
Adde tot inſignes ſaltus, colleſque virentes,
Et iuga quę Superûm lucida tecta premunt;
Et vitreis fontes vndis, campoſque natantes
Benaci, Adriacæ murmur habentis aquæ;
Eridaniq́ue citos amnes; vbi cortice tectæ
Heliades, fratrem flent ſine fine ſuum.
Speluncaſq́ue ſacris vatum ſeceſſibus aptas,
Et gelidum Erigones quæ facit vmbra canem;
Tótque oleę baccas, & odorę vitis honores,
Et mira Cereris fertilitate ſolum.
Quaſcunque in partes oculorum flexeris orbes,
Inuenies oculis omnia grata tuis.
Hac oſtro inſignis ſpectabitur omnis in ora
Nobilitas, Itala quæ dominatur humo.
Quiq́ue Padum Heroës, Phaëthontiáq; arua frequentât,
Quiq́ue Arni valles, Parthenopénque colunt.
Quiq́ue mare Adriacum proceres, Inſubriáque arua,
Latáque montana regna ſub Alpe tenent.
Et multi ex Celtis, multi telluris Iberæ,
Multi Germano, Pæonióque ſolo.
Et vires auro oſtendet veſtita iuuentus,
Concurrétque haſtis ære coruſcus eques.
Eia age, Caſtalidum lucos, colleſque relinque,
Et fer veloces huc Hymenæe pedes.
Hîc etiam magnum ſpectare Heröa licebit,
Quo fęlix Helicon ſoſpite ſemper erit.
Qui ſummo dignus ſolio ſupereminet omnes,
Murice quos Tyrio palla ſuperba tegit.
Non ita Pellęi proles generoſa Philippi
Inclyta Caſtaliæ numina fouit aquę:

Neç

Nec ſic Pierios vates Auguſtus amauit,
Nec vario dictus carmine Thuſcus eques:
Vt fouet hic magni doctos Heliconis alumnos,
Vraniámque colit, Pieriámque domum.
Eia age Caſtalidum lucos, colléſque relinque,
Et fer veloces huc Hymenæe pedes.
Fallor? an huc propero venit pede? non ego fallor,
Huc pulcer tardo non pede venit Hymen,
Et croceo ornatus formoſum corpus amictu,
Et cinctus nitida tempora ſacra roſa:
Tum vultus hilares, & fælix attulit omen,
Candentiq́ue manu lumina fauſta tenet.
Nec ſolus venit; ſed ſecum duxit Amorem,
Et matrem, Paphię quam genuiſtis aquæ.
Matronamq́ue Iouis thalamo quæ iuncta Tonanti,
Et quoſcunque Deos ſacra matita iuuant.
O lucem niueam, & fælici ſidere natam,
O Creſſa verè tempora digna nota.
Omnia lętitiam produnt iſtis Hymenæis,
Quos ita candenti nunc aue iungit Amor.
Hinc Boreas curas, luctuſq́;, atróſque timores
Adriacum rapidis in mare portat equis.
Cynthius Eoo nitidum iubar æquore tollit,
Et Venetam roſeo lumine veſtit humum.
Sylua nouas frondes, viridéſque recolligit herbas,
Et vario florum prata colore micant.
Et liquidis volucres concentibus æthera mulcent,
Et Zephyri dulces increpat aura ſonos.
Atque ſuis cinctus nymphis argenteus amnis
Grata Maronęa murmura voluit aqua.
Inter quas Paphio vultu Phœbeïa Virgo
Laura, ſua populum voce, lyráque rapit.
Non tam blanda fuit numeris Acheloïa proles,

Cui

Cui propè Neritiæ ſuccubuere rates:
Vt Nympha,ore canit cùm dulci,& fundit in auras,
Quem ſonitum Claria reddit Apollo lyra.
O lucem niueam, & fęlici ſidere natam,
O Creſſa verè tempora digna nota.
Nil niſi ſerta iuuant animum,citharęque,lyręque,
Tibiaque,& læto ducta chorea ſono.
Templa coronantur,laudéſque,hymnique canuntur
Ex auro Superis qui ſimulacra tenent:
Hymni quos docto Muretus pectore fudit,
Muretus magno non Cicerone minor.
Et varij pedibus flores calcantur euntum,
Et rubet iniecta lata platea roſa.
Regiáque ornatu ſtruitur pulcerrima eodem,
Qui fuit in tectis Peleos Aeacidæ;
Cùm ſibi formoſam Thetidem Phthioticus Heros
Connubio iunxit,non renuente Deo:
Aut quem Tyndareis admirabatur in oris
Neſtoreæ egregius filius Eurydices;
Cùm miſeri natum Lacedæmona duxit Vlyſſis,
Ad Menelaæas,tecta benigna, domos.
Attalica innumeras referunt aulęa figuras,
Dulcéſque hiſtorias,fortiáque acta patrum.
Et Siculæ vinis menſæ, dapibúſque teguntur,
Quę nectar redolent,ambroſiámque Iouis.
Et pateras auro oſtentant,gemmiſque coruſcas,
Lumineque argenti lanx onerata micat.
Et nitor in ſolijs epulantum candet eburnis,
Et lucet tota ſplendida gaza domo.
Pręcipuè thalamus,cupidos qui iunget amantes
(Quem Veneris thalamum iure vocare potes)
Ornatus omnes ſuperat,nec dicere poſſis,
Quo ſit purpureus comptus honore torus.

Nam

Nam præter varia decoratos arte tapetas,
Pulchráque Dædalea ſtragula picta manu;
Aurumq́ue,& rutila fulgentes luce Pyropos,
Gemmáſque,Eoæ quas parit humor aquæ;
Tot tulit huc Zephyro Chloris gratiſſima flores,
Menſe ſibi ſacro quot Cytherea videt.
Huc longè,& latè ſuaues quæ ſpargit odores,
Tranſlatam meritò quis putet Arabiam.
Omnia cùm tamen hîc niteant,& pulcra ferantur,
Nil tamen hîc gemino fulget amante magis.
Quos omnes tanquam Diuûm genus admirantes,
Fælicéſque vocant, ſemideóſque putant.
In primiſque Deus,Phrygijs quos veſtibus ambos
Inſignes,verbis his Hymenæus adit.
Gaude flos iuuenum,cui dat Victoria nomen,
Rara tibi fauſta ducitur vxor aue.
Cuius habet facies, quem reddunt alba colorem
Lilia,cùm rubris ſunt ſociata roſis.
Talis ad Idæum Paridem Cytherëia venit
Diua,ſibi poſcens aurea poma dari.
Nec probitas infra formam eſt,grauitáſque pudicę
Iunonis vultu lucet Acidalio.
Nam quid de titulis,& auorum nomine dicam?
Et celebri,de qua prodijt orta,domo?
Seu patris inſpicias,ſeu ſanctę inſignia matris,
Regale inuenies,Cæſareúmque genus.
Gaude flos iuuenum,cui dat Victoria nomen,
Rara tibi fauſta ducitur vxor aue.
Et gaude tali virgo Medicæa marito,
Quo face nemo tua dignior alter erat.
Nam ſic ęquales ſuperat Vincentius omnes
Et forma,& claræ nobilitate domus:
Vt ſtellas ſuperat Veneri gratiſſimus ignis

Lucifer

Lucifer, Eois cùm vigil exit aquis.
Hunc ſi purpurei mater vidiſſet Amoris
Feſſa ſub Iliaco membra leuare iugo:
Quem ſibi coniugio legit florentibus annis,
Aſcanij magno præpoſuiſſet auo.
Siue acres conſcendat equos, ſiſtátque furentes,
Arte Terapnæo Caſtore maior erit.
Seu iaculo ſectetur apros, pugnaque laceſſat,
Fortia Theſtiadæ ſpicula more vibrat.
Seu libeat pedibus ceruos vrgere fugaces,
Aeacidæ ſimilis vix pede tanget humum.
Seu gladium dextra quatiat, clypeumque ſiniſtra,
Inque feri armatus prœlia Martis eat:
Terribili dignum iuuenem fateare Gradiuo
Ad pugnam Andromaches poſſe vocare virum.
Siue iuuet digitis querulas impellere chordas,
Dulciáque Ortygiæ iungere verba lyræ:
Orpheos, aut magni dicas Chironis alumnum,
Et natum in ſylua verticis Aonij.
Siue loqui libeat numeris ſermone ſoluto,
Dulichij ſolers pectus Vlyſſis habet:
Seu cultum ſpectes Superûm, Dauidicus illi
Inſidet ęthereæ relligionis amor.
Gaude tam raro Virgo Medicæa marito,
Quo face nemo tua dignior alter erat.
At tu ter tali Vincenti coniuge fęlix,
Et tu ter tali Nympha beata viro:
Ducite Dijs ęquum cari, vobiſque ſenectam
Cumæam, & Pylios det Libitina dies.
Inque toro talis veſtro Concordia viuat,
Sub fido Capanei culmine qualis erat:
Et qualem vidit generoſi lectus Vlyſſis,
Fęlixque Admeti, Phyllacidæque domus.

Poſt-

Poſtque decem in nitida menſes Vincentius aula
Paruulus egregio lac bibat ore puer.
In cuius ſpirent vultu materque, paterque,
Qualis Telemachus Penelopæus erat;
Inde alij plures, quæ factis clara propago
Aurea Gonzagam tollat in aſtra domum.
Cuius fulmineis tandem miſerabilis armis
Græcia Barbaricum conterat imperium.
Non decet hunc, nec eum geminorum mater Amorum
Permittet ſterili ſtirpe iacere torum.

AD ALBERTVM LAVEZOLAM.

VT quondam Cephalum roſei Dea præuia ſolis
Eripuit thalamis, coniugioque ſuo:
Sic te Naïades, & amantes prata Napææ
Eripiunt nobis, & procul vrbe tenent.
Te iuuat in ſolis meditari carmina ſyluis
Ad virides ripas, & leue murmur aquæ.
At nos hîc vario curarum tundimur æſtu,
Auia Calliope rura tenente tua.
Eſt timor, in lecto ne te mala febris adurat,
Et iaceant querulo pallida membra toro;
Hoc ſi contigerit, nullus tibi rure Machaon,
Pæonia ſubitum qui leuet arte malum.
Et ſol æſtifero tellurem ſidere findit,
Et micat Icatiæ ſtella proterua feræ.
Eſt metus hic etiam, ſi tendas retia ceruis,
Ne tibi pro ceruis obijciatur aper;
Atque ita, quo fato perijt formoſus Adonis,
Intereas, rigidi dente petitus apri.
Et potes, in tenero dum figis gramine plantas,
Vt miſeri coniunx Orpheos angue premi.
Ah, ne te læta videant ſub vite iacentem,
Qui gaudent hominum cæde recente lupi.

Et

Et caue ne ſubita quercus veniente ruina
  Decidat, atque tibi lurida fata ferat.
Tale ferè lyricus vates diſcrimen adiuit,
  Dum reſonat variis rura Sabina modis.
Et rapiunt homines violenti fluminis vndæ,
  Sic periit Thuſca Rex Tiberinus aqua.
Et ſurgunt media truculenti nocte latrones,
  Nec valida in villa Scipio tutus erat.
Quid ſi formoſam nemoroſo in fonte Dianam
  Aſpicias caſta membra lauare manu;
Nónne tibi ante oculos veniunt Actęonis vmbræ,
  Crudeléſque canes, iraque ſæua Deæ?
Nunc tonat, & denſi funduntur ab æthere nimbi,
  Et ſubitò in terris horrida grando ſonat.
Ah te ne vacuis tempeſtas opprimat aruis,
  Et feriant cæco fulmina miſſa polo.
Hæc ſunt formoſi metuenda pericula ruris,
  Quæ placida cautis effugere vrbe licet.
Pelle moras, valeant ſine regna virentia fronde,
  Et refer ad patrias te properanter aquas.
Omnes exoptant flagranti corde Camœnas,
  Quæ tibi Mæonia tempora fronde tegunt.
Non ita Piëriis Mæcenas gratus alumnis,
  Nec ſic Caſtaliæ Pollio carus erat:
Vt tu pectoribus vatum candentibus hæres
  Alberte, Aonij pars veneranda chori.
Nil ſine te nobis iucundum, aut dulce videtur,
  Quando abes, hîc tenebras lumina Solis habẽt.

AD PETRVM RONSARDVM.

SI tu vidiſſes Laurám, Ronſarde, profectò
  Verè dixiſſes, ΩΣ ΙΔΟΝ, ΩΣ ΕΜΑΝΗΝ.
Huic tua Caſſandre non ſolùm cedere debet,
  Caſſandre ſenſus quæ rapit vna tuos:

Sed quotquot Phœbus cœleſti vidit ab arce,
Quótque videt, poſthâc quótque videre poteſt.
Fulua coma eſt, oculíſque nigris, quibus vrit amãtes
Non prius accenſos ignibus Idaliis.
In facie videas rubrúmque, albúmque colorem,
Lilia cui cedant mixta papaueribus.
Sunt hilares vultus, nunquam tamen abſque pudore;
Oſcula, quæ ſpirant nectar & ambroſiam.
Cùm vult marmoreo percurrere pollice chordas,
Pindaricis verbis & ſociare lyram;
Huic læte applaudunt Muſæ, cedítque Corinna,
Et pulcra Erinne, Nympháque Leucadia;
Et quæ Dulichium blando modulamine regem
Parthenope Siculis penè fefellit aquis:
Quæque colunt volucres ſpatioſi ſtagna Caïci,
Ætnæosque lacus, & vada Mæonia.
In caſto cœtu Nympharum iuſſa moueri,
Dat motus doctos, non tamen Ionios.
Si tales vultus habuiſſet pulcra Calypſo,
Ogygiis Ithacum detinuiſſet aquis:
Et Circe Latio remorata fuiſſet eundem,
Nec ſua fleuiſſet gaudia ferre Notos:
Si tam iucundo, & dulci ſermone fuiſſet;
Nam Lauræ Peitho labra diſerta mouet.
Hanc ſi vidiſſet iudex Priameïus olim,
Tres inter diuas, monte ſub Iliaco;
His ſpretis, formæ pretium, meritúmq; dediſſet
Huic pomum, Heſperij dona beata ſoli.
Pro tali facie non ſolùm fata ſubiſſent,
Fortis Priamides, fortis & Æacides;
Sed quotquot gladios vnquam, clypeosque tulere,
Preſſerúntque ſuas ære micante comas.
Hanc igitur meritò reſonat liquidiſſimus amnis

Voci-

Vocibus,& plectris Mincius Æoliis.
Hanc etiam rectè clari Phaëthontis ad vndam
Eridanus ſylua cantat in vmbrifera:
Quin tota ad laudes huius ſeſe optima vertit
Auſonia, Aoniis fertilis ingeniis.
Tu quoque carminibus talem dignare puellam,
Et pete Caſtaliam magne Poëta lyram.
Fac Lauræ egregium reſonet quoque Sequana nomen,
Et noſcant Italam Celtica regna Deam.
Inuitáque alios quos nutrit Gallia vates,
Vt tecum celebrent Aonidum decimam.
Hîc aliquis dicet, Lauræ ad præconia nónne
Ronſardi vnius carmina ſufficient?
Sufficient; quis enim niſi demens vera negabit?
Námque viri ſummum nouimus ingenium.
Sed tamen Æthiopum non ſolus Iuppiter vrbes
Viſit, eum ſequitur nam pia turba Deûm.
Et cùm Luna micat cœlo nitidiſſima puro,
Circumeunt niueam ſydera fulua Deam.
Tu quoque Pierïæ medius Ronſarde cateruæ,
Incede,& querulam pollice pelle lyram;
Et celebra Nympham Mantoa ad flumina natam
Verſibus,& chordis Thebigenæ chelyos.
Sic tua ſe nunquam tibi duram oſtendat amica,
Et ſemper Paphius ſit tibi mollis amor.
Sic tuus Epiro fabricatis nauibus Heros
Quamprimùm optatum tendat in Oceanum:
Atque diu præſens hilares hęc ſecula, quæ te
Non minus Ortygio numine ſuſpiciunt.

Ad Lavram.

NEmo tuas dignè poterit componere laudes,
Nympha Bianorei ſplendor, honorque ſoli:
Nec qui Meſſalæ culto placet ore Poëta,

In gelidos lapides transformas more Meduſæ,
Qui ſpectant faciem Nympha pudica tuam.
Vtque Canens olim Pici pulcerrima coniunx,
Sic tu voce tua ſaxa, feráſque moues.
Atque tibi antiquæ ſe auſint conferre puellæ?
Quàm cunctis, Superûm plus tibi fauit amor.
Docta tibi Sappho, cedat tibi docta Corinna,
Et cedant quotquot terra, fretúmque videt.
Te decimam Muſæ ſibi delegére ſororem,
Dignantúrque ſacro quod gerit Aſcra iugo.
Fęlix Mæoniis, qui certat Mincius vndis,
Fęlix Aonidum Mantua dicta domus.
Fęlices qui te talem genuere parentes,
Quæque tibi nutrix vbera plena dedit.
Fælices fratres, fortunatęque ſorores,
Et quotquot iuncti proximitate tibi.
Sed longè cunctis certè fęlicior ille,
Quem tibi legitimo fœdere iunget Amor.
Quem facies olim formoſa prole parentem,
Quæ Latonigenis non erit inferior.
Ille Deûm accipiet vitam, ſolioque ſedebit
Æthereo, & dulci nectare corpus alet.
Atque domi lętus theſaurum ſemper habebit;
Quem nunquam vidit Crœſus, & arca Midæ.
Nec Tagus, auriferas ſecum qui ducit arenas,
Nec gemmis nitidas qui vehit Indus aquas.
Salue Nympha, decus Nympharũ, & ſecula viue,
Quæ vixit Clario grata Sibylla Deo.
Et ſemper fęlix nullo cruciere dolore,
Nec vitiet formam longa ſenecta tuam.
Sed tibi perpetuam nitida cum fronte iuuentam
Candida clauigero det Dea nupta Deo.

AD FEDERICVM THYMOLEONTEM.

TE nunc Naïades retinent, pulcræque Napeæ,
  Numináque vmbroſi ruris Hamadryades:
At nos care tuo capiti Federice timemus,
  Ne tibi dent aliquod deuia rura malum:
Nam Panes, Satyríque, & monticolæ Syluani,
  Quæque Dij agreſtes frondea regna colunt;
Ne moueas Nymphis Cythereïa bella verentur;
  Eripiásque ſuis gaudia numinibus.
Et ſcimus pulcras te non odiſſe puellas,
  Inque Dionæo viuere ſeruitio.
Et domina erepta nimiùm indignantur amantes,
  Teſtis Pliſtenides, Pirithoúsque tibi.
Ne Faunum irrites, genus irritabile agreſtum,
  Offenſosque Deos non leuis ira tenet.
Hi te deprænhenſum tentaſſe cubilia ſacra
  Nympharum, atque iram non timuiſſe ſuam;
Vel rigido obijcient gladio, mortique cruentæ,
  Vel flammæ, vel aquæ, magnanimæque feræ.
Mars tenerum Dryadas quòd perſenſiſſet Adonim
  Captare, & dominam rure tenere ſuam;
Apro mutatus, Veneris ſecurus amorum,
  Venantem Idalio vertice fudit humi.
Naiada pulcer Hylas cùm viſam in flumine amaret,
  Thynniacę cecidit gurgite merſus aquæ.
Iuppiter Iaſium Phlegethontide merſit in vnda,
  Terribili attactum fulminis igne ſui:
Quòd flauam nitidis Cererem retineret in aruis,
  Auſus frugiferę cingere colla Deę.
Et Dij Narciſſum, quòd forma incenderet omnes,
  Quæ gaudent fluuiis, arboribúsque Deæ;
Damnarunt Erebo, Lethésque nigrantibus vndis,
  In quibus aſſiduè lumina fixa tenet.

Sylua-

Syluaníque Parim tenebras traxere ſub imas;
Et regem magno Laomedonte ſatum;
Dardaniósque duces:atque euertêre ſuperba
Pergama,Phœbææ ſtructa canore lyræ:
In Troiam Superos,& Dorica caſtra mouentes,
Et Phrygio ſtantes littore mille rates:
Quòd niueam Oenonen Idęo in monte foueret,
Et Nymphas cupidis eriperet Satyris.
Túque tibi Federice caue,& fuge frondea tecta,
Horridáque agricolis teſqua relinque Deis.
Omnes te expectant,Atheſim,fratrésque reuiſe:
Atque omnem è noſtro pectore pelle metum.
Franciſcus te etiam expectat,tua magna voluptas,
Franciſcus tragica primus in hiſtoria.
Hic cum Ronſardo Veronę aduenit ad vrbem,
Téque frui exoptat,hoſpitióque tuo.

AD ANDREAM GRADENICVM.

DVm nos & platanos,laurósque,ſacrasque cupreſſos,
Et lęto myrtos lumine ſuſpicimus:
Citreáque,& flauo miramur poma colore,
Media quæ Latium miſit ad vſque ſolum:
Et vites verum doctas proferre Falernum,
Cui cedat quod habet Gnoſſia terra merum:
Erramúsque inter ſaltus,collésque virentes,
Quos ſemper tenui gutture pulſat auis:
Et variis pictos celebramus floribus hortos,
Et cupido roſeas carpimus vngue comas:
Et Cererem gratam iaculamur piſcibus eſcam,
Lucida quos viridi ſtagna liquore tegunt:
Et fontem audimus dulci reſonare ſuſurro,
Qui prohibet lymphis ruſtica labra ſuis:
Atque odit turbam indoctam,longéque repellit:
Et ſolo vatum ſe iubet ore bibi.

Stellatæque ſacrum veneramur virginis agrum,
Præque aliis illum dicimus eſſe bonum:
Totaque Iuſtorum luſtrare palatia curæ eſt,
Séque oculus noſter vix ſatiare poteſt:
Intereà inuiſit ſitiens auriga Lyæum,
Atque onerat multo pectora ſicca mero.
Cumque videretur ſub tecto ſobrius eſſe,
Educto curru proditur ebrietas.
Namque errans ſubitò recta regione viarum,
Torrentem vndoſum, duraque ſaxa petit.
Et quamuis monitus, pergit quà cœperat ire,
Inſequitúrque viam quam rota nulla terit.
Nósque ira incenſus, monitiſque offenſus, in illa
Seſe euerſurum vociferatur aqua.
Multaque in æthereum fundit conuitia cœlum,
Immeritis nobis & maledicta iacit.
Nos miſerati hominem, nil reſpondere, patique,
Quæ vellet vinum dicere purpureum.
Tandem vexatis & equis, nobiſque, reditur
Veronam, & noto reddimur hoſpitio.
Sic idem nobis Titan albúſque, nigérque,
Et datus eſt mellis non ſine felle ſapor.
At nos aurigam poſthâc Elpenora vt anguem
Vitemus, quoties rus properare libet.
Húncque requiramus, iuuenis gratiſſime Phœbo,
Qui gelido calidum temperet amne merum.
Nec pluris faciat rubicundo lumine Bacchum,
Quàm ſemper niueo corpore Naïadas.

AD IOANNEM DELPHINVM EPISCOPVM BRIXIENSEM.

DVm ſacri fluctus Adriæ ſonabunt,
Dum vehet flauas Tiberinus vndas,

Dúmque

Dumq́ue ſpumantem prope ſe videbunt
Pæones Iſtrum:
Candidi mores, ſine labe vita,
Osq́ue facundum, geniusq́us fælix,
Quo places cunctis venerande Pręſul,
Carmine viuent.
Quas foues, Muſæ tibi pollicentur
Aonum fontes, laticésque puros,
Nec ſinent Delphina nigrante mergi
Flumine Lethes.

AD AVGVSTINVM VALERIVM VERONÆ EPISCOPVM.

QVæ tellus hyemem, rabiémque Aquilonis iniqui,
Sithoniásque niues, frigoráque alta tulit;
Vere nouo dulces Zephyros, & Aëdona ſentit,
Purpureásque roſas, liliáque alba gerit.
Nos quoque mœſtitia preſſi, mutiq́ue dolore,
Dalmatiæ rigido te retinente ſolo:
Nunc procul expulſis meditamur carmina curis,
Et læto vultu te redeunte ſumus.
Tu modò quadriiugos currus properare iubeto,
Et celeri liquidas remige ſinde vias.
Vrbs tua te ſummis repetit, pater optime, votis,
Et ſine te triſtes aſpicit ire dies.
Illi ver tepidum, & ſpirantis lenè Fauoni
Aura eris, aurifera gratior Heſperia.

AD MARCVM ANTONIVM GRATIANVM.

QVis verò iuſtè reprehendat, amice, dolorem,
Qui facit immeritas te lacerare genas;
Et cupidis raptos manibus violare capillos,
Et calido mœſtos imbre rigare ſinus?
Morte tibi nuper cariſſima mater adempta eſt,

Dum

Dum petitis gelidam nauibus Illyriam.
Non oculos digitis potuiſti condere,non tu
Illius manes excipere ore tuo.
Oſcula depoſitæ nec dulcia figere,nec iam
Elatam pheretro corde dolente ſequi.
Et quiſquam lacrymare vetat,gemitumq́ue ciere,
Et laniare genas,& lacerare comas?
Conaturq́ue ſuis verbis remouere dolorem?
Et cenſet lacrymas dedecus eſſe viro?
Eheu quàm facile eſt,ægrotis,quando valemus,
Conſilium ſanum, Pæoniumq́ue dare.
At cùm languemus morbo,ſtratiſque iacemus,
Nos ſimul & Pæon,conſiliumq́ue fugit.
Sed tamen eſt finis cunctis in rebus habendus,
Et modus in lacrymis debet ineſſe tuis.
Cùm fletu amiſſam nequeas reuocare parentem,
Morsq́ue pias ſurda negligat aure preces.
Nec Lacheſim moueāt cenſus,aut nomē auorum,
Aut forma,aut ſanctæ relligionis amor.
Leda vbi nunc,vbi nunc Danaë, & Cepheïa coniunx,
Et magni genitrix Amphitryoniadę?
Et Tyro,& Chione, & roſeo Leucippides ore,
Raptáque Dardanio pulcra Lacęna viro?
Et quę Palladium non vnquam credita vates
Exitium Troię ſerpere dixit equum?
Omnes regna colunt Acherontia,morte ſepultæ,
Effugere vmbriferam nec potuere ratem.
Denique fac reputes animo,tecumq́ue reuoluas,
Triſtitia longam corda leuare diem.
Turpe tibi fuerit certè doctiſſime Marce
Antoni,tali conditione premi;
Et non doctrina potius ſuperare dolorem,
Et gemitum blandis fallere carminibus.

Non tibi Pieriis vetitum ſuccedere tectis,
Cùm libet, Aoniam viſis odoriferam.
Huc propera, atque inter lauros, ederáſq; virentes
Abijce mœſtitiam, dulcis amice, tuam.
Doctus Apollo poteſt quemuis releuare dolorem;
Nemo Caſtalia triſtis ab arce redit.

AD FEDERICVM CERVTVM.

CHœrileos non eſt mirum componere verſus
Ambroſium, & numeros fundere ephemerios;
Nec te Mæoniis Federice aſſurgere pennis:
Et canere Aonia carmina digna lyra.
Tu bibis Iſmario certantia vina Lyęo,
Cùm ſitit, Ambroſio nil, niſi vappa, datur.

AD M. ANTONIVM GRATIANVM.

NIx erat, & gelido quatiebat flamine terras,
Qui Scythica ventus de regione venit:
Orabant crebræ volucres Pandione natam,
Cecropios dulci funderet ore ſonos.
Aſt ea non, inquit, brumali frigore cantat
Quæ ver purpureum Daulias ales amat.
Sic ego Pierias non poſſem tangere chordas,
Triſtitia Antoni pectus agente meum.
Patria vaſtatur, nullo nitet ære crumena,
Hæc mihi triſtis hyems, hæc grauis aura mihi.
Cùm primùm aurifera Zephyrus ſpirabit ab vnda,
Cycnæum Ogerius fundet in aſtra melos.

AD FEDERICVM CERVTVM.

NOs ſubitos fecit vates Federice Lyæus,
Huc à te ſero veſpere miſſus heri.
Vix etenim guttur generoſus tinxerat humor,
Cùm verſus cœpit fundere mille Simon.
Caſtalios igitur latices non amplius opto;
Te penes eſt Clario dulcior amne liquor.

AD

Ad Adamvm Fvmanvm.

QVi te amat vt niuei dominas Heliconis Adame,
Ogerius, Venetæ ſtagna reliquit aquæ:
In quibus, æquoreas Zephyris agitantibus vndas,
Penè necis gelidæ pocula nigra bibit.
Nunc Atheſi fruitur, nemorumque virentibus vmbri
Quas prope ſe fluuius ſemper amœnus habet.
Et gaudet tumidi maris effugiſſe furorem;
Nec nigra Cimmeria nare per arua rate.
At nunquam poſthâc credet fallacibus vndis,
Nec fidet Zephyris Adria blande tuis.

Ad Federicvm Cervtvm.

HOrtaris Federice ſacris redimite Corymbis,
Et ſtudioſe lyræ, Tyrius quam pulſat Iopas;
Vt verſus edam, quos dulcia ſacra colentem
Pïeridum, & mirè vatem Colophonis amantem,
Multos me ſcripſiſſe putas; ſed flumen amœnum
Caſtaliæ quãuis celebrem, Delphosq; frequentem,
Multa deeſſe tamen video, cur digna Camœnis
Carmina nulla queam fælici ducere dextra.
Curis exagitor multis; nam patria flagrat
Terrifico Martis ſtudio, Stygioque tumultu:
Quos genitor campos, & iugera lata colebat,
Aſſeruit miles nullo ſibi iure ſuperbus.
Auſoniis cogor mihi gratis finibus æuum
Degere; nam pacem, doctasq; hęc terra Camœnas
Diligit, & Phœbo, & Phœbęo munere gaudet.
Sed deſunt cenſus, & opes, pulcrique receſſus;
Et virides ſaltus, monteſque & flumina ſacra;
Otiaque, & Clarius, quæ commoda cœtus habere
Exoptat; ſolusque dolor mea pectora tentat.
Nam mihi ſi ſumptus ducendæ ad commoda vitæ
Præberi cupiam; multos, magnosque labores

Noctes atque dies ſudando haurire neceſſe eſt.
Hæc etenim meritò gens aſpernatur inertes.
Atque ita Mæonius cùm pulſat pectora Thyrſus,
Pïeriæque meo cordi calor incidit ingens,
Omnia poſtponenda, lyręque & carmina blanda
Abijcienda procul; nutusque & magna poteſtas
Alterius ſectanda mihi; torquendaque nauis,
Quò vocat Iſmarius Boreas, pelageque ſeuera.
Hic ſibi Virgilij Muſam; petit ille Lucreti
Expediam verſus; hic mauult carmen Homeri,
Cecropiosque viros fundentes ore rotundo
Aurea verba, quibus caperentur corda ferarum.
Monſtrarique alius, quæ ducit in ardua montis
Caſtalij, Pataramque viam, rogat ore frequenti.
Condaturque alius quo pacto littera rectè,
Et verbis puris, Arpinoque ore requirit.
Sunt aliqui qui prima velint elementa ſacrarum
Illuſtrem legum nitida, facilíque loquela.
Hanc ob rem, ſi Pegaſeo labra fonte rigarem,
Et clauſum numen Grynæum pectore haberem,
Non poſſem verſus comptos, veréque politos
Scribere; nec celebris volitare per ora virorum.
Non tamen à Clariis poſſum me abdúcere campis:
Sic generoſus equus, qui belli flagrat amore,
A Martis ſeſe certamine continet ægrè:
Et canis à ſyluis nemorum ſtudioſus & vmbræ;
Nam quoties noctu me ſomnus deſerit, & quum
Otia parua mihi dantur, Thymbræa pererro
Arua, manusque meas ad dulcia carmina verto;
Et mentem totam Pataræo in numine figo.
Sed nec in his cernes artem, cultumque nitorem;
Nec magnum ingenium, quod lumina docta moretur;
Et ſperet laudes, & poſteritatis honores.

Excuſata

Excuſata habeas igitur quæ carmina cernis.
Calliopæa mihi vires negat,otia deſunt;
Et patriæ ob caſum crebrò ſuſpiria duco.
Quæ res ingenium extinguunt, inhibéntque furorem
Pierium,& promptam ducenda ad carmina dextram.

AD IOANNEM LISCAM.

FAelix Virgilius,qui natus paupere tecto
Andino in pago,Veneti prope fluminis vndam,
Inuenit Romæ,qui carmina docta foueret
Auguſtum,& Thuſcis Heroa in montibus ortum;
Quà naſcens primis Tiberinus murmurat vndis;
Et plures alios Heliconia plectra colentes;
Et largo Aoniam cumulantes munere dextram.
Ergo cùm vates miro flagraret amore
Pieridum,ſenſuſque ſacros agitaret Apollo,
Nil dignos Phœbo digitos,citharæque ſonoræ
Plectra morabatur,Muſamque ſinebat inertem.
Æs erat in loculis,& erant in collibus ędes
Campanis,circúmque lacus,& amœna vireta;
Atque duo,vel tres,vel quotquot vellet habere,
Illius imperium famuli, nutúmque ſequentes;
Et menſę,quales cupiebat;vina Falerna,
Vel Chia,vel Gnoſſiaca diffuſa ſub ora.
Cùm vellet,thalamos dulces, ſomnóſque petebat;
Surgebat molli cùm vellet ſurgere lecto:
Cùm vellet luſum,quaſuis properabat in oras,
Et loca Pieriæ ſtudiis,& cantibus apta.
Nec luctus vatem,nec iniqua negotia doctam
Turbabant mentem, tãtùm contendere chartis
Mæoniis longè dulciſſima cura tenebat.
Et cuiuis mirum fuerit,ſi ſorte Poëta
Tali doratus,ſic ſeſe attollat in altum?
Et maieſtatem quandam,diúmque leporem

Prodat carminibus lætas ferientibus aures?
Atque Palęſtinas Mantoa ad flumina palmas
Victor,& exuperans aliorum ſcripta reportet?
Pieriasque ſacro deducat vertice Nymphas,
In patriā,domus Aonidum quę iure vocatur?
Quòd ſi munificos hac tempeſtate Poëtæ
Auguſtos,& diuitias,atquè otia haberent,
Quæ fęlix habuit diuini Muſa Maronis;
Armiſonos cantus,& Dędala plectra Camœnæ
Forſitan Andinæ ſuperarent,atque ſonarent
Hac multò grauius. nunc Delia laurus honore,
Muneribúsque ſuis caret,& iacet abdita longè.
Quin riſum atque iocos adfert, qui carmina cōdit,
Atque aliquid clarum ſecum meditatur,& aures
Non vllas procerum,regúmque,ducúmque potentum
Inuenit,& raro,vel nunquam Phœbus in aula
Conſpicitur nitida;cauſas ſciat illa pudendi
Criminis huius,& Idalio quæ gurgite fuſa eſt
Diua,iugóque ſedens redimito vite Lyæus;
Atque Philargyria,toto quæ ſæuit in orbe,
Peſtis acerba,grauis ſemper mortalibus ægris.
Hinc vates ſimul ingenio,ſimul arte valentes
Linquere coguntur,citharámque,& plectra canora,
Vmbriferæque iugum Cyrrhæ , & Libethridas vndas.
Nam ſordent hodie Pataræ munera gentis.
Rectè igitur Liſca ſtatuis, quum fonte relicto
Pegaſeo,& ſylua,viridi quæ frondet in Hæmo,
Quæ loca viſebas crebrò,ductore Ceruto,
Patris Alexandri veſtigia ſancta ſecutus,
Ad leges animum flectis,quę ſemper honores,
Diuitiásque tibi parient,cenſúsque perennes.
Sic olim Cicero,quamuis aptiſſimus eſſet
Ad carmen,Muſas,Heliconiáque arua reliquit;

Et ſteriles

Et ſteriles citharæ ſtrepitus,& inutile plectrum;
Adque forum mentem vertit,roſtríſque ſeueris
Voce reos blanda rapuit,duxítque catena
Aurata,é dulci lingua pendente,Quirites,
Quò voluit,lepidis mulcens pręcordia dictis.
Sícque magiſtratu ſummo perfunctus in vrbe eſt,
Atque domum,quę pauper erat,Nabatheïde gaza
Ditauit,gemmíſque ſuos,auróque Penates
Ornauit,validis ſcindens latiſſima tauris
Iugera,quę lingua poſſedit parta diſerta.

AD VINCIGVERRAM EX ILLVSTRIbus ſancti Bonifacij Comit.

QVæris cur adeò fugiam Mauortia bella;
Prælia Caſtaliis nocuerunt ſemper alumnis.
Priamides Helenus,violatus cuſpide Graia
Teſtis erit,teſtis quoque Creteus, cui caput enſe
Laurigerum rigido Pilumnius abſtulit heros.
Teſtis & Æolius fidicen,qui bella ſecutus,
Exilio patriam mutare coactus acerbo eſt.
Nam,vir magne,ſciunt imbellia numina Cyrrhæ
Dicere mortiferum melius,quàm ducere bellum.
At tibi cui cœlum fortiſſima pectora bello
Vincere poſſe dedit,rigidi certamina Martis,
Et pugnas acres,& prælia longa ciere
Ludus erit;viréſque tibi Tritonia Pallas
Auget,in aduerſas animoſo pectore turmas
Cùm ruis & denſos morientum texis aceruos.
Atque ideò æterno Vatum celebrabere cantu,
Virtutéſque tuas memorare,& fortia facta
Flandriaque,& latis audax Barbantia terris
Cogentur,nitido dum lumina Phœbus Olympo
Præbebit,frondéſque iugis naſcentur in altis.

SIMONIS OGERII
SYLVARVM
LIBER QVINTVS.

AD GREGORIVM XIII.
PONT. MAX.

SI qua fides priſcis eſt adiungenda Poëtis;
Aeſona fecerunt iuuenem Medëides herbæ;
Quem ſenio feſſum,& languentia membra trahentem
Lurida iam Stygia ratis expectabat arena:
At tibi non herbæ ſuccus,non docta puellæ
Verba Cytëinæ,ſed magni rector Olympi
Hos virides annos tribuit,nitidúmque colorem
Oris,& in læta iuuenilia membra ſenecta,
Qualia ter denos natus ſibi poſtulet annos.
Scilicet omnipotens genitor,pater optime,canis
Eſſe tibi Pylijs opus,& florente ſenecta
Nouit,vt Herculeos poſſis tolerare labores,
Quos tibi ſupra alios ſapienti corde reperto
Impoſuit,fortique animo ſuperare iubebit.
Námque velut rapidi quondam ad fęlicia Nili
Flumina,vipeream virga capiente figuram,
Egregius Moſes ſerpentes arte magorum
Erectos interfecit,fraudémque fefellit:
Sic tua,magne pater, vincit ſapientia cunctos,
Quos Cereris tellus operoſo munere paſcit.
Nec potis eſt aliquis viridem ſuperare draconem,
Quem geris in clypeo vigilantem,& cuncta videntem.
Multa quidem feciſſe liquet te Heroïca prorſus;
Sed multò tibi plura Deus facienda relinquet,
Aſſiduè vatum fidibus reſonanda canoris.
Tu ſacer interpres Diuûm,legúmque peritus

Sanctarum, ſi quam labem contraxerat error
Humanus, veterum monumentis protinus aufers;
Et leges ſcribis vitio, maculiſque carentes.
Tu ſolem, longos errent ne feſta per annos,
Bis ſex aſtra doces quanam ratione pererret.
Tu Superis aras gemmis, auroque micantes,
Templáque Tænario rutilantia marmore ponis,
Aonióque gregi, ſtudijſque palatia ſumptu
Erigis ingenti, ſanctúmque Helicona, chorúmque
Pierium Romam transfers, atque adijcis Vrbi.
Hîc nunc Illyricæ gentes, viridéſque Britanni,
Et teneri Danaûm nati, & Germanica pubes,
Ingenuas artes mixtas pietate docentur.
Nec vates vnquam rerum te Præſide, ſęuam
Pauperiem formidabunt, animumque requirent
Auguſti, & dextram Colophonia plectra fouentem.
Vſque adeò doctæ flagras pietatis amore.
Vtque bonus paſtor, macies ne ſquallida lædat
Lanigeras pecudes ſatura ad præſepia ſeruat,
Et nitidas ſtabulis egreſſas ducit ad herbas;
Sic tu magne hominum paſtor, ne turpis egeſtas
Sollicitet victus inopes, tecta hoſpita condis,
Et paupertatem dapibus ſolaris amicis:
Et curas quicquid populorum flagitat vſus;
Atque vias aperis faciles, portáſque labantes
Deijcis, inque nouos, amploſque reducis honores,
Et iungis rapidos ſpecioſis pontibus amnes,
Et fontes liquidos diuerſis partibus Vrbis
Ire iubes, longè ductos de montibus altis;
Et vetera exornas vario Capitolia cultu.
Ecce paras, tota ſemper quod mente petiſti,
Hæreſin, infandum monſtrum, & deformius illo
Quod Lernęa palus nigrantibus extulit vndis,

Si qua

Si qua virus adhuc malè cauta fundat in ora,
Conficere, atque imas Erebi detrudere ad vndas,
Vnde caput prompſit terrę exitialis Erynnis;
Et Mahometanam properas extinguere ſectam,
Imperijque domo gentem ſpoliare nefandam,
Quæ Chriſtum, & veros neſcit pietatis honores.
Scilicet indignum ducis, fortiſſima quondam
Pectora Graiugenûm dominis parere ſuperbis,
Barbarięque doles doctas ſeruire Camœnas;
Et Solymos, Vrbem ſanctam, Chriſtique rubentem
Sanguine, Caucaſea quereris ditione teneri;
Hæc vt perficias, Turcarumque arma cruenta
Europa, atque Aſia, Libyáque expellere poſſis,
Nocte breues ducis ſomnos, viréſque Sabinas,
Et fœlix Latium, & Picenæ robora gentis,
Flaminiáſque acies, totumque impendere regnum
Vmbrorum, & quicquid ſanctę ſeruire Cathedrę
Scis, minimè renuis, nec ceſſas voce frequenti
Hortari Reges, qui verum numen adorant,
Vt poſitis odijs inter ſe fœdera iungant,
Atque ſuas tecum properent coniungere vires,
Sacrilegoſque pijs detrudere finibus hoſtes,
Atque domum claros, veróſque referre triumphos,
Biſtonijs fractis opibus, tumulóque recepto,
Quo iacuit Chriſtus, poſtquam cruce dēptus ab alta eſt.
Hęc pia militia eſt, hæc prælia grata Tonanti,
Hæc charæ pretio vitæ redimenda trophæa.
O vtinam adſpires mihi talia bella canenti,
Virtutéſque tuas ad cœlum ferre volenti,
Non me carminibus vincet, pater optime, vates
Smyrnæus, Claria redimitus tempora lauro,
Nec ſyluis Orpheus, nec in ęquore notus Arion,
Nec quoquot celebrant Heliconia tecta Poëtæ,

His licet Aonides,& amœnæ numina Cyrrhę
Sufficiant validas Pataręa in carmina vires.

AD AVGVSTINVM VALERIVM VERONÆ EPISCOPVM.

INcolumis redij doctiſſime Præſul in vrbem,
 Quam nocuit quondam tranſiluiſſe Remo.
Multa tamen mala ſum Tyrrhenis paſſus in oris,
 Dum latrocinijs per iuga plena feror.
Perdidimúſque ferè vitam,& tranſiuimus illac,
 Quà ſuſus multa cæde viator erat.
Perpetuúmque vię comitem tolerauimus Auſtrum,
 Qui nobis ſęuas eſt iaculatus aquas.
Vt taceam notas diris cauponibus artes,
 Et variè ſtructos in mea damna dolos.
Tandem Mæonium læti conſpeximus amnem,
 Et ſeptemgemino quę iuga monte tument.
Nunc me Roma tenet, cælo gratiſſima tellus,
 Et Caietani, ſplendida tecta,lares.
Hîc mea Calliope Pataræas inuenit vmbras;
 Nec timet Icarij ſigna proterua Canis.
Hæc ſunt,quæ calamo breuiter narrare Simonem
 Iuſſiſti,Latiam cùm tetigiſſet humum:
Nunc vale,& vt rapidas Venetûm me ſemper ad vndas,
 Sic nunc ad Tiberim candide Pręſul ama.

AD IOANNEM SIXIVM EPISCOPVM AVDOMARENSEM.

O Quantos gemitus meditanti carmina lęta
Florifero in prato,liquidi prope Tibridis vndam,
Attulit ille mihi,qui primus rettulit,alma
Defunctum vita,dignum,qui duceret auras
Perpetuò,& nunquam Libitinæ tecta ſubiret,
Omni virtutum cumulatum laude Gerardum:
Nec mihi ſi genitor iam perueniſſet ad ęui

Metam

Metam conceſſi, maiorem corde dolorem
Senſiſſem, & plures lacrymas effundere viſus
Eſſem, luctiſonis tundens mea pectora pugnis.
O duram Lacheſim, quæ talem Heröa tenebris
Inuoluit cæcis, rapuitque è lumine vitę.
Lugent Aonides, quas mirè ſemper amauit;
Et nullis redolet ſertis Heliconia pubes,
Quæ procul abiecit, ſimul ac audiuit acerbum
Tam cari capitis caſum; Dircæaque lympha
Vberior ſolito, ſed cœno turbida, manat:
Luget & vrbs, ſancti quæ nomen ſeruat OMERI:
Nam miſera amiſit generoſo ſanguine cretum
Paſtorem, qui ſępe lupos è pinguibus aruis
Arteſiæ pulſos, latebras remeare coëgit
Ad Stygias, & Tartareis vlulare ſub antris.
Sed tamen & gaudet, lætor quoque pectore toto,
Quòd non Tideides hîc nos deceperit, arma
Ferrea permutans armis radiantibus auro.
Es datus à Superis, qui laudes illius æquas,
Quem precor in Pylios ætatem ducere canos,
Atque diu, niueúmque gregem, Patarámque fouere,
Quæ te concelebrat meritò doctiſſime Præſul,
Et nouit vates haud Mæcenate carere
Poſſe, tibi vitam dum mollia fata relinquent.
Quod portus naui, quę tempeſtate coorta
Formidat tumidas agitati marmoris vndas;
Hoc es Apollineę domui, cùm triſtia doctos
Tempora ſollicitant animos, & regna laborant,
Quæ viridi lauro redimit Phæbeïa Virgo.

AD VEDASTVM GRENETIVM ABBATEM BERTINIANVM.

NVntius ad Tiberim ſpatianti, & plectra tenenti,
Horribilis venit docte Vedaſte mihi:

Ereptum fato, tellure iacere Gerardum,
Vincere qui vita Neſtora dignus erat.
Tunc mihi cura fuit lacrymas,gemitumq; ciere,
Tundereq́ue infeſta pectora mœſta manu:
Sed tamen hic idem luctum releuauit amarum,
Et vetuit lacrymas longius ire meas.
Nam mihi, ſublato non æqua morte Gerardo,
Te ſucceſſorem rettulit eſſe datum.
Stemma tibi egregium,puri ſine crimine mores,
Et pater armiſona magnus in Arteſia.
Eque tuis labris prodit dulciſſima Pitho,
Nec tua Cecropio verba lepore carent.
Semper & Ogygiæ coluiſti flumina Cyrrhæ,
Et quę Caſtalia culmina fronde virent.
Nunc igitur lacrymis pubes Bertinica parce,
Quæq́ue diu tacuit,pollice pelle lyram.
Ecce tibi à claro clarus donatur Olympo
Heros,Mæoniæ qui ſacra gentis amat.
Nec magis Aonidum citharas,& plectra Gerardus
Fouit,Hyantæum quàm fouet ille decus.

AD CAMILLVM CAETANVM.

VIdimus Albanos montes,Lauiniáque arua,
Et Triuiæ lucos,Hippolytíque domum:
Et quæ gens atauos Augusti Cęſaris à ſe
Principium generis gaudet habere ſui.
Aruáque Ciſternæ nitidis circumdata ſyluis,
Saxáque Dardaniæ non inamœna Coræ.
Et Nymphæ læto crepitantes murmure riuos,
Et Sermonetæ mœnia celſa tuæ.
Et Saturę quondam liquidiſſima,prata paludis,
Quáſque Vfens gelidas in mare mittit aquas.
Herbiferumq́ue iugum Circes,vbi fleuit Vlyſſes
Setigero ſocios turpiter ore queri,

Nunc Romam redij,qua nil formoſius vſquam,
Aetherea Solis ſpectat ab arce iubar.
Sed mihi nulla licet regio ſit amœna videtur,
Si vultus à me ſeparet illa tuos.
Cùm colerem Volſcos,Mauortia Roma placebat,
Volſcorum populi nunc ſine fine placent.
Idq́ue pharetratæ quia nunc te regna Camillę,
Aſt me purpurei Tibridis arua tenent.
Nil te colloquio,& blandis congreſſibus aptum
Eſſe magis cœli ſub regione poteſt.
Culta tibi mens eſt,variáſque ornata per artes,
Quas pręter titulos nobilitatis habes.
Omnia tum veterum,tum facta recentia noſti,
Graiáſque hiſtorias,Romuleáſque tenes.
Cùm loqueris vatum numeris ſermone ſoluto,
Emanant lingua dulcia verba tua:
Quæ Demoſtheneis auſim committere chartis,
Quémque dabat lepido Tullius ore ſono.
Si pangis verſus,è ſacro vertice ducis
Protinus Aonias in tua vota Deas.
Scripta fidem faciunt,quæ,ſi tua nomina demas,
Andinum vatem compoſuiſſe putem.
Quid referam pietatis opus,cultumq́ue ſuperni
Numinis? hac nulli parte ſecundus eris.
Cœlicolis aras,peregrino è marmore factas,
Condis,& aſſiduo carmine templa reples.
Quarę vel iubeas nos ad tua regna venire,
(Triſtitia pectus ſi releuare velis)
Vel iuncto curru redeas properanter in vrbem,
Tectáque Mæonijs proxima vorticibus.

AD LAVRENTIVM FRIZOLIVM.

ROmulea nuper diſcedens vrbe frequentes
Me tibi miſſurum promiſi candide verſus
Laurenti; verùm promiſſo munere fungi
Nunc minimè poſſum; nec enim mihi pulcer Apollo,
Aonidéſque Deæ, montéſque Heliconis amœni,
Pegaſeiq́ue lacus Calabra cernuntur in ora;
Sed rigidæ quercus, riuíſque carentia ſaxa:
Aſſiduóque canum latratu cincta Diana:
Ergo pro citharæ cantu, & teſtudine ſacra
Męonijſque libris, Aganippęóque cothurno,
Nunc mihi tractantur lato venabula ferro;
Retiáque, & pedicæ, pérque ardua tecta ferarum
Inſequimur timidos lepores, ceruóſque fugaces,
Setigeróſque ſues, villíſque horrentibus vrſos.
Tantaq́ue venandi cura, atque inſania dulcis
Nos tenet, vt citius, roſeum quàm Delius orbem
Oſtendat terris, montes properemus in altos:
Nec gelidæ frigus noctis, canáſque pruinas,
Nec pluuias curemus aquas, duróſque labores:
Vixq́ue domum lapſo veſper iam ſole reducat
Feſſos inſidijs, & multa cęde ferarum.
O miram metamorphoſim, pro vate redibit
Tarpeias ad aquas, & mœnia Pallantæa
Venator, miléſque Simon, famulúſque Dianæ.
Hæc tamen hærentes in equo viridante ſub vmbra
Calliope irata meditati miſimus ad te
Carmina pauca, tui ne nos dulciſſime rerum
Laurenti immemores hîc forſitan eſſe queraris.
Quod tamen haud fieri poſſet, mihi crede, Simonem
Frizolij oblitum veſci cœleſtibus auris;
Non ſi Sauromatas gelidos, calidámque Syenen
Incoleret, Lethéſque nigro labra fonte rigaret.

AD

AD AVGVSTINVM VALERIVM CARDINALEM VERON.

NVnc ego Triptolemi cuperem frænare dracones,
Quos dederat iuueni frugum mitiſſima mater,
Semina cùm iuſſit totum diſpergere in orbem,
Alifero è curru, quę terræ credita flauam
Effundunt ſegetem, pręſtantem glandibus, atque
Fœtibus arboreis, quos tellus optima fundit:
Aut mihi plumipedis concedi Perſeos alas
Quas habuit, vellem, cùm Gorgonis abſtulit ora;
Aut gratum Muſis, & purpureę Auroræ
Bellerophontis equum; cui pennas rector Olympi
Annuit, ęthereas vt poſſit nare per auras.
Hæc mihi, quæ valdè cupio, ſi dona darentur,
Poſſem magnificam Brenni delatus in vrbem,
Primus ego optatam cunctis rem ferre ſub auras,
Téque cooptatum ſancta in collegia patrum
Dicere, Sidonio quos purpura velat amictu,
Pontificis ſummi ſacra ſic voce iubente.
Sed generoſa Ceres aucta draconibus oras
Nunc petit Iſiacas, & amœni flumina Nili,
Aethiopáſque, Deis conuiuia læta parantes;
Et nitido poſitus cœlo Danaëius Heros
Syderibus claris inſertas abnegat alas,
Et iuſſu Superûm flauentes attrahit axes
Pegaſus, & croceam portat per cœrula diuam;
Et ſunt, qui celeres ferratis calcibus armos
Cornipedum fodiant, quos multos vrbe relicta
Veronam properare ſcio, atque æquare volatum
Pygmææ volucris, Boreámque per arua ruentem;
Quos ego tam celeri non poſſem vincere curſu;
Hi te purpureum referent auxiſſe Senatum.
Ad celeres igitur calamos, niueámque papyrum

Me refero;atque tibi,quo poſſum,munere vocis
Gratulor; & toto lætor,doctiſſime Præſul,
Pectore,te tetigiſſe gradum,ſanctiſſima virtus
Quem meruit,ſuperóſque precor,ſuperûmque parêtem,
Hunc vt purpureum mutent aliquando colorem,
Vndique tergemina gemmis rutilante corona:
Auguriumque bonum datur;& præſagia vocis
Vera meæ:ipſe tuæ generoſos gentis honores,
Inſignem clypeum video,volucrémque volatu,
Roboréque eximio ſuperantem quamlibet alis
Fidentem volucrem:quæ ideo Regina vocatur,
Et domitrix auium,& rutilantia fulmina portat,
Quæ vitio iratus Diuûm Pater, atque hominum Rex,
Criminibus,culpáque graues iaculatur in Vrbes:
Sic tua,qua ſuperas omnes, ſapientia primos
Accipiet faſces,& Petri in ſede ſedebis
Excelſa,& Chriſto gratum ſeruabis ouile.

AD CAMILLVM CAETANVM.

NOcte mihi heſterna,ſtudijs exculte Camille
Pierijs,citharæque ſciens,quam pulſat Apollo
Pectine Dædaleo,cùm me ſopor altus haberet
Dulcibus in ſtratis,ſpecies eſt talis oborta.
Mollia,quæ Tiberim ſpectant,mihi prata videbar
Carpere,Verque nouo redimitum flore nitebat,
Ac paſsim ſuaues tellus miſcebat odores;
Et faciles auras Zephyrus fundebat ab axe
Heſperidum,& læto reſonabant æthera cantu
Aëreæ volucres,nitidique Hyperionis ignes
Fulgebant cœlo,tacitis & leniter vndis
Cæruleus flauas voluebat Tibris arenas.
Hîc ego florifero modulabar limite magni
Carmina Mæonidæ,quibus eſt memoratus Achilles,

Et

Et crebra Aeaciden fælicem voce vocabam;
Quòd tantum, quantus nunquam ſurrexit ab orbe
Pierio, patrem veræ virtutis Homerum
Eſſet ſortitus vatem, laudúmque ſuarum
Præconem, cuius cœleſti voce per omnes
Nunc canitur terras, Lethes ſecurus auaræ.
Nec mihi tunc gazas Arabum, cenſuſque beati
Optabam Crœſi, ſed muſam inſignis Homeri,
Quæ pretio gemmas omnes Erythrëidos vndæ
Vincit, & auriferos amnes, Hebrumque, Tagumque.
Hæc agitans animo greſſum in florentibus herbis
Figebam, huc illuc errans, raptuſque videbar
Eſſe mihi in montes Clarios, & Apollinis vrbem,
Affaríque Deas vmbra Parnaſſide tectas;
Sic ego Mæoniæ capiebar carmine Muſæ.
Ecce autem immanis viridanti in gramine ſerpens
Abditus, in lacrymas, quæ tota mente fouebam
Gaudia conuertit, manibuſque excuſſit amicis
Armiſonam Iliada, & Smyrnęi plectra Poëtæ.
Námque pede incauto violatus concipit iram
Terribilem, & pœnas calcati corporis ardet
Sumere, méque petit gyris velocibus actus,
Nec ſinit in pedibus certam ſperare ſalutem.
Iámque mihi Eurydices fatum, ſortémque timebam,
Inque meis inerant oculis præſtantibus armis
Sidonij comites Cadmi, quos Martius anguis
Caſtaliæ in lucis auidam congeſſit in aluum;
Nec non vipereo laceratus dente ſacerdos
Dardaniam ad portam gemina cum prole ſubibat.
Nec mihi peſtiferam, qui tunc inhiberet Echidnam,
Ad latus enſis erat, nec duræ robora clauæ
Geſtabam, & ſilices herbis loca fœta negabant,
Et procul aërio quercus in monte virebant;
Vndè

Vndè mihi rigidos poſſem defringere ramos.
Nec vicinus erat,vel ſtiuę innixus arator,
Vel lęta pecudes qui mulcet arundine paſtor,
Vel valida fidens haſta, gladióque viator.
Et cùm mille manus interdum prata frequentent
Quintia,Narciſſi lacrymas in ſerta legentes
(Quod monſtri ſimile eſt) illo me tempore ſolum
Floreus in viridi campus regione videbat.
Tunc ego non citharam,nec docti pectus Homeri
Amplius optaui,ſed magni robur Achillis;
Peliadémque haſtam,qua ſternere corpora Troum
Ad Simoëntis aquas,Xantíque fluenta ſolebat.
Iámque erat ad ripas,Tiberináque flumina ventum,
Quæ liquidis lambunt aduerſas fluctibus ædes
Docte CAMILLE tuas:ſed nec Tiberinus ab alto
Gurgite, nec pulcro nymphæ Tiberinides ore
Audiuere meos gemitus,vocéſque precantes;
Nec puppes vllas Tyrrheno in flumine vidi,
Quarum remigijs ad me properantibus atrum
Effugerem monſtrum,ſaluuſque in tecta redirem.
Mens fuit Hetruſcas demittere corpus in vndas:
Atque ita Gorgoneos rictus eludere: verùm
Neſcius vndarum fluctus diſpellere certis
Ictibus,& docili palma per aquoſa natare
Regna,parum fidæ perijſſem fluctibus vndę;
Pauiſſémque auidos piſces delatus in ęquor
Mæonium,& fruſtra qui iuuit Ariona quondam
Me ſacræ piſcis citharę iuuiſſet amicus.
Ecce mihi auxilium miſeranda voce roganti
Inter cæruleas vndas,aquilámque niuali
Candore,ex alta fluuium ſpectare feneſtra
Viſus es,& cernens quanto diſcrimine lethi
Verſarer,volucrem generoſam immittere in hoſtem
Vipe-

Vipereum,cuius dentes,aluúmque manebam?
Nec mora, præcipiti volucrum regina volatu
Fertur in immitem colubrum,roſtróque redunco,
Atque vngui hamato laniatum tollit in auras;
Ante pedeſque tibi proiectum oſtentat acerbo
Vulnere confectum;& lętè plaudentibus alis
Ogerium geſtit rapuiſſe è faucibus Orci.
Tunc me deſeruit ſomnus,campique virentes,
Et Tiberis,ſerpenſque ferox,& grata Tonanti
Ales,& in ſtratis artus requieſcere ſenſi.
Aſt ego Cæſareo volucrem diademate claram
Ad cœlum aſſiduo cantu (modo pulcer Apollo
Adſit,& Aoniæ dictent mihi carmina Muſæ,
Qualia maieſtas eius,pietáſque requirunt)
Extollam, & terras gratus reſonabo per omnes.
Te quoque Pieridum cithara,fidibúſque Camille
Digne celebrari, dum linguæ munere fungar,
Quamuis Chœrilea,memorabo voce perenni:
Non etenim tantum meritis cumulare Simonem
Dum vigilat properas,ſed amici numinis inſtar,
Si quando horrifica veniens ſub imagine Morpheus
Somnia nigra ferat,mutas ea,córque timore
Oppreſſum releuas,nocturnáque viſa ſerenas.

AD HENRICVM CAETANVM.

NEritij quondam comites Ithacenſis Vlyſſei
Cærulea in puppi,manibus poſt terga reuinctis,
Vt cecinit cithara Colophonide magnus Homerus,
Vix tandem ſicco potuerunt lumine terras
Linquere Lothophagôn,& læta fronte reuerti
In patriam terram;ſic illos ceperat arbor,
Quæ ſuaues ex ſe nimiùm fundebat odores;
Purpureaque nitens bacca,florebat in aruis

Mar-

Marmaticis, Naſamoniaci prope littora ponti.
Sic ego, delicię doctarum HENRICE ſororum,
Et monte Aonio, & Claria notiſſime ſylua,
Vix poſſum Auſonijs tandem diſcedere terris;
Sitiacóſque animo gaudente reuiſere fines,
Tot licet æſtates abſim regione paterna;
Pulcra quot Argolicis vexata eſt Ilios armis.
Et quis ab Italia poſſet diſcedere lętus?
Vt taceam gelidos fontes, fluuióſque liquentes,
Quos habet, & ſyluas vmbra viridante coruſcas,
Adriacumque fretum, & Tyrrheni littoris oram,
Egregioſque lacus, & celſis oppida muris;
Atque ſolum Cererisque ferax, aptumque Lyęo,
Quæque virent ſemper ramis fœlicibus arua:
Et nitidos colles, & montes aſtra petentes
Vertice nubifero, nec læſum aut frigore cœlum,
Aut ęſtu nimio; ſed gaudens veris honore
Perpetuo, atque aura, tepido quę ſpirat ab axe:
Quæ tellus pietate prior? quę numina ſumptu
Splendidiore colit? quæ rectum obſeruat, & ęquum,
Ora magis? quę gens pacis ſtudioſior vlla eſt?
Hîc ſedet in ſolio Petri ſanctiſsimus heros
Gregorius, quem non ſatis vnquam docta propago
Aoniæ poterit verbis celebrare diſertis:
Sic ſemper Muſas, & Hyantia carmina fouit.
Hîc doctæ florent artes Heliconis amœni,
Hîc culti mores, & lingua diſerta, leporque
Oris, & Arpinum redolentia verba nitorem:
Hîc blando excipitur vultu, dextráque benigna,
Quiſquis ab externo longè venit orbe profectus.
Neu referam, quorum numerum comprehendere nō eſt,
Qui ſibi præſidium, & certam ſenſere ſalutem
Eſſe Italam gentem: quo me candore recepit,

Et ſplendore domus veſtra in penetralibus altis?
Dum Mars liligeras bello quatit improbus arces,
Et patriam longa rabie Diſcordia vexat?
Vis verum fatear? non fertilis arua benigna
Arteſiæ, patrióſque lares, Morinóſque ſalubres
Viſere nunc videor Roma, Italiáque relicta:
Sed Rhodopen, Siculúmque fretum, rabiémque Maleã,
Quæque Promethęïs volucres paſcuntur in antris.
Sed reuocant pater & mater, quos vltima vitæ
Meta tenet, quibus eſt natum parere neceſſe.
At vos Neſtoream canis ſuperate ſenectam,
Quóſque dabit Lacheſis, hilares agitate Decembres.
Túque vale Aonidum nutrix, Saturnia tellus,
Tellus imperij ſedes, pulcerrima ſedes,
Quas cœlo ex alto videt Heſperus, & videt Eos.

SOLOR OLOR.

SIMO.

SIMONIS OGERII
SYLVARVM
LIBER SEXTVS.

AD RVGERIVM, BONIFATIVM, ET ANTONIVM CAETANOS, HONORATI SERMONETANORVM DVCIS FILIOS.

O Videam pulſos Turcas,atque omnibus armis
Exutos,nullo ſiſtere poſſe loco.
Hæc vtinam Phrygij Tithoni candida coniunx
Quamprimùm roſeo tempora portet equo.
Hæc vbi contigerint,vitam mea fata repoſcant,
Mortis amara dies tunc mihi dulcis erit.
Sed tam longa meæ ſi dentur ſtamina vitæ,
Dum noſtri arripiant Turcica bella duces;
Credo trium vincam Pyliorum fata virorum,
Et ſerò Lacheſis me truculenta petet.
Nam patriam armiſonis agitat Bellona procellis,
Regnaque ciuili Belgica Marte fremunt.
Flaua Ceres nullas ibi nunc expectat ariſtas,
Nec taurus valido vomere ſulcat humum:
Sed paſſim tellus armis ſublimibus ardet,
Atque vrbes rapido Mulciber igne cremat.
Huic quoque ſe implicuit diues Germania bello;
Cinctaque purpureo terra Britanna freto.
Quæq; Tago gaudent,& Ibero flumine gentes;
Et plures populos hæc quoque bella mouent.
Heu quanto melius telis premeretur acutis,
Et lueret meritum Thracia ſupplicium.
Per nos Caucaſeæ gentes fęlicia ducunt

Tempora, & imperij fræna ſuperba regunt.
Cur non Chriſticolas reges cōncordia iungit,
Et videt Iſmarium prelia torua iugum?
Cur ſinimus Graias gentes ſeruire tyrannis,
Et turpes manicas, arctáque vincla pati?
Non bene barbaries doctis dominatur Athenis:
Excutite Odryſio Dorica colla iugo.
Omnia bella monent Rhodopëia, Perſicus hoſtis
Threïcios fudit, Marte fauente, duces.
Vos quoque ſancta iubet pietas excindere gẽtem,
Quæ falſa Superos relligione colit.
Si nulla Iſmarium retinerent bella tyrannum,
Implicitum gelidæ finibus Armeniæ;
Diſcordes validis iam vos inuaderet armis,
Et miſerè veſtras dilaceraret opes.
Quod faceret vobis rebus florentibus illic,
Hoc facite afflicto clade potente viro.
Tendite in Odryſiam regionem fœdere iuncto,
Et bello Geticos ſollicitate lares.
Sed canitur ſurdis; omnes Mauortia tentant
Prælia, ſed longè qua regione volo.
Non vos Arteſias ſegetes, ſyluáſque Namurcas,
Biſtonias meſſes vos violare volo.
Cuncta malis auibus retro ſublapſa trahuntur,
Tendit & aduerſa nunc mea puppis aqua.
En etiam tellus pacis ſtudioſa, tumultum
Incipit in fines velle ciere ſuos.
Vt nihil eſt cuiquam proprium, bellaturit enſis
Italicus, pugnas hæc quoque regna volunt.
Hac fixit ductus pretio mihi carus in ora
Ciuis Phidiaca clarus in arte pedem.
Illius ante meæ volui coniungere dextram,
Et caro aſpectu, colloquióque frui;

Quàm

Quàm patriæ dulcis longinqua reuiſere tecta,
Audomaro ſacros & remeare lares.
Propterea ad læuam montes,& culta ſinenti
Arua Phaliſcorum dextra petita mihi eſt;
Quà grauidas Cereris meſſes,collèſque Lyæo
Oſtendit gratos Vrbeuetanus ager.
At nunc optata ſpecie recreatus amici,
Non poſſum cœptas,vt prius, ire vias.
Ni iugulum,pectúſque velim ſubmittere ferro,
Et Libitinæos accelerare dies.
Hunc agrum paſſim,gens importuna,latrones
Implerunt armis,colluuiéque ſua;
Et ſegeti interitum,flammáſque minātur acerbas,
Inque viatores tela cruenta ferunt.
Pontificémque auſi ſcelerato offendere bello,
More gigantæo prælia dira gerunt.
O ſtirpem Stygiam,cur ô pater optime Diuûm
Nunc ceſſant rapida fulmina miſſa manu?
Cur non hiſcit humus,cur non aperitur Auernus,
Atque Erebi mediis excipiuntur aquis?
Quid faciam intereà ſaxoſo hoc aggere clauſus,
Ex animo curas qua ratione fugem?
Non mihi colloquium vulgi,nō munera Bacchi,
Nec longo luctum ſtrata ſopore leuant.
Pierides ſolas habeo,quæ carmine pectus
Sollicitum oblectent,decipiantque metus.
Vos etiam pueri generoſa ſtirpe creati,
'Quod facitis,ſtudiis inuigilate ſacris.
Veſtráque cùm ſubitis agitantur pectora curis,
Poſcite Mæoniæ fila canora lyræ.
Nunquam deſtituunt Muſæ; quos Delphica Tempe,
Orgiaque Aoniæ gentis amare ſciunt.
Seu viridis ſyluæ molli ſedeamus in vmbra,

Has quoque nobiſcum frondea tecta vident.
Seu rapidas ſulcemus aquas, Neptunus eaſdem
Aſpiciet valida puppe ſecare fretum.
Sarmatiæ campos, ditéſque adeamus Iberos,
Heſperios etiam, Sauromatáſque petent.
Cùm molles ſpirant Zephyri, Pandionis ales
In noſtris recubans ædibus oua fouet:
At cùm triſtis hyems Borean emittit in auras,
Auolat, & tepidam trans mare quærit humum.
Non ita Pïerides, ſed eædem ſydere nigro
Vrgente, vt niuea luce manere ſolent.
Naufragium patimur liquidis Tritonis in aruis?
Nantes per medias nos comitantur aquas.
Nec flammę, nec eas à nobis barbarus enſis,
Nec Phalaris diro ſeparat ęre bouis.
O quis eas meritis cumulatas laudibus ornet?
Hîc opus eſt cithara dulcis Homere tua.
Hę nunquam à vera mentem ratione vagari,
Errorúmque ſequi crimina fœda ſinunt.
Hę rerum cauſas iucundo carmine produnt;
Et mores ſanctos, & pia iura docent.
Hę nos ſecernunt vulgo, turbáque prophana,
Et miſcent Superis, ſyderibúſque locant.
Et Lacheſi inuita celebratos omnibus oris,
Nunquam Cimmeria nocte iacere ſinunt.
Viuit Mæonides hodiè quoque clarus in orbe,
Nec tuba Virgilij morte iubente tacet.

AD FRANCISCVM CENTIVM.

VT nunc cuncta meis obſtant cariſſime votis
Franciſce, & tumidas vẽtis agitata per vndas
Abripitur miſerè fato mea nauis iniquo?
Nónne ſatis fuerat, patriam fera bella mouere,
Arteſióque ſolo fulgentes ære cateruas

Nunquam

Nunquam non Lacheſi gratiſſima tela vibrare,
Et flammas ſegetes,& magnas vrere ſyluas;
Oppidaq́ue in cinerem cõuerti,& ſanguine terram
Fœdari,& fluuios odioſa cęde natare,
Latronésque feros hunc collem vertice ſeptum
Saxoſo,tectis ferro circumdare turmis,
Et longos miſeram ſumptus tolerare crumenam;
Atque iter in Belgas properanti, & tecta paterna
Nunc intercludi;& multa in diſcrimina duci?
Ecce mihi lacrymas fallenti carmine dulci,
Improba muſcarum Stygiis emiſſa tenebris
Agmina,mille mouent curas,augéntque dolores;
Scribentiq́ue mihi verſus,verſusq́ue legenti
Illudunt,ſtrepitúque graues,& morſibus acres,
Impediúntque lyrę chordas,ſtudiúmq;, morantur.
Magnanimi fugiunt viſo latrone Leones;
Viperaq́ue humanis oculis perterrita,cæcis
Se condit tenebris,& nota recurrit in antra;
Atque Phrygum Harpyiæ cedunt rutilantibus armis:
At muſcæ nunquam fugiunt,licet arma mineris,
Et crebros ictus,& mortis fata cruenta:
Nam quamuis illas abigas,agitésque flagellis,
Et manibus,fugiunt,fateor,pugnamq́; remittunt:
Et morſu parcunt,gyrósque per aëra ducunt
Stridore ingenti,bombóque ciente querelam:
Mox tamen accenſæ magis,infeſtæq́ue recurrunt;
Atque manus morſu,faciemq́ue,& colla laceſſunt,
Et ſæuis auidæ cœptis abſiſtere nolunt,
Cùm ſemel humanum deguſtauere cruorem.
Et quamuis vnam,atque duas,centúmque feroci
Straueris iratus dextra,& demiſeris Orco,
Iſtis pòſt paulò ſtratis tamen agmina mille
Succedunt,& quot numero ſignare volentem

Rideres meritò; tot enim quot flamina frondes
In ſyluis agitant, vel quot mare verſat arenas,
Conueniunt in me, & ſociarum funus inultum
Haud quaquam eſſe ſinunt; ſed ſpicula dira vibrãtes,
Venisque hærentes, mecum ſine fine feroces
Exercent iras, atque aſpera prælia ducunt.
Supplicium grauius patior, quàm Tantalus vndæ
Captator refugæ; vel qui ſua viſcera prębet
Vulturibus geminis Tityus laceranda, grauésque
Qui portat lapides in montes Siſyphus altos;
Ixionque, rotæ celeri qui voluitur orbe.
Opto mihi galeamque Orci, clypeúmq; Mineruæ,
Vt ne me videant, vel ſaxa rigentia fiant.
O quàm terribilis quondam Menelaë fuiſti,
Et ſæuus, veréque audax, quantásque dediſti
Dardaniæ genti ſtrages, Priamóque dolores;
Cùm Phrygiis ſtratum iaculis abſentis Achillei
Seruabas mitem ſocium, clypeóque tegebas
Exanimum corpus; ne barbarus Hector iniquis
Obijceret canibus lacerandũ, auibúsque, ferisque:
Et daret æternum ſub pectore vulnus Achilli;
Si Muſcæ tibi tunc à forti audacia fuſa eſt
Pallade, quæ nunquam deerat tibi rebus acerbis.
O quàm gens illo Nilotica tempore verè
Infęlix fuit, & miſeris agitata procellis,
Cùm Moſes muſcis permiſit regna ſuperbę
Iſidos, & Pharias ædes hac peſte repleuit,
Quæ nec Pæoniæ ſuperatur viribus herbæ,
Nec timet armatas acies, gladiósque micantes;
Et turbat procerum menſas, menſasque Deorum;
Prælambitque dapes poſitas in lance decora,
Fuſaque purpurei prælibat pocula Bacchi,
Nilque verecundi curat præcepta pudoris.

Cautum Tlepolemi patrem,qui cùm ſibi fiunt
Sacra,iubet muſcas florenti à limine templi
Arceri,atque abigi procul à fumantibus extis.
Te nunc & celebro,& celebratam pectore toto
Daulias ales amo,quæ carmina dulcia fundis
Ædibus in noſtris,& nidum fraude ſine vlla
Celſis ſub trabibus figis,muſcáſque volantes
Ore rapis,dulcem natis implumibus eſcam.
Sæpius id facias,oro,Pandionis alti
Filia:ſic nunquam lætetur frigore Tereus
Ipſe tuo,& Zephyri ſpirent tibi ſemper amici.
Tu quoque quæ telas tenues effingis Arachne,
Huc illuc tendas caſſes,gentémque prophanam
Muſcarum forti concluſam carcere perde.
Sic iras tecum ſuſceptas flaua virago
Deponat Pallas,quam quondam voce ſuperba
Artis lanificæ in certamina magna vocaſti,
Neſcia Cecropiæ calathis concedere Diuæ.
At vobis muſcę,quę Muſis ſemper iniquæ
Eſtis,& Aonidum chartis,ſtudiiſque moleſtę,
Opto ferum Borean,& frigora longa,niuéſque
Sarmaticas,nimbóſque graues,Auſtróſque furentes,
Obſcuroſque dies, & nullo tempore ſoles.
Ite malis auibus procul hinc Acherontis ad vndam,
Tartareæ peſtes,muſcarum exercitus ater.

AD GEORGIVM MARTELLVM.

HÆc Vrbs,quam veterem dicunt, qua turba latronum
Impia me retinet clauſum,nec abire volentem
Permittit,dono naturę vertice tuta eſt
Saxoſo,ridétque minas,atque arma ferentes,
Rebus opima bonis,& templo nobilis alto,
Quod Superûm dominæ ſtatuit,mirabile viſu.
Me tamen offendit,liquidam quòd carius vndam

Quàm vinum vendat, quod cedere iure recuſat
Albano, aut Chio vino; vinoque Falerno;
At ſuauem potu, niſi cùm pluit, abnegat vndam.
At nunc Sole dies ſiccos, flammasque ciente
Icarias, vellem ſitientia guttura dulci
Fonte rigare, ſed heu fruſtra deſidero fontes;
Hic vertex hac laude caret: ſic filius olim
Alcmenę quæſiuit Hylam, quem crimine raptum
Naïadum nulla doluit ſibi parte repertum.
O gens dira procul belli remouete furorem,
Crudelésque manus, vt tota mente cupitam
Veronam liceat properare, lacúsque nitentes,
Atq; Atheſim liquidis crepitantem viſere lymphis;
Et vitreos, multosque ſimul, quos inclyta fontes
Vndique terra creat; nec ſeſe vitis honore
Deſtitui queritur, ſed lætis fœta racemis
Fundit Achemenium ſuperantia vina Lyæum:
Quæ quondam magnis impenſis grata palato
Cæſaris Auguſti, Tiberim, Romamque petebant.
Atque ſimul liceat iam longum tempus amicos
Viſere non viſos: iuris, legumque parentem
Stridonium; & verum cui nomen Gratia donat;
Atque Albertinum ſumma pietate, fidéque,
Quo Pozolengum vigilanti Præſule gaudet;
Et ſuauem mira morum dulcedine Ratum,
Virtutísque ducem claro cognomine Guidam,
Et Colophoniaca redimitam fronde Camœnam
Fumani; & blandi blandiſſima plectra Ceruti:
Et culta docto certantem voce Catullo
Caſtellum, & Muſis Alphonſum ſemper amicum:
Ac toto Aoniam Tonialos corde fouentes:
Et te, quem nulli poſtpono, Neſtora noſtri
Temporis, ô Martelle, feri mitiſſima Martis

Proge-

Progenies, bello & rigidis inimice cateruis:
Et ſtudioſe lyræ Phœbææ, & pacis amator;
Oſculaque in primis optatis figere palmis,
Omnibus ornati virtutibus AVGVSTINI;
Qui Tyrio nuper decoratus murice fulget.

AD MARIVM BIVILAQVAM COMIT.

HEros, Pieriis quo nemo notior antris,
Aut genere, aut titulis, aut pietate prior;
Magnificas quicunque tuas accedit ad ædes,
Aonias credit ſe tetigiſſe domos:
Nec temerè id credit; videt hîc digniſſima Pimpla
Atria, Mæonio ſemper aperta choro.
Hanc ſedem aſſiduè Phœbus, Muſæque frequētant,
Cultaque Mopſopio bellica Diua ſolo.
Hîc ſemper Thamyræ cantus, citharęque, lyręque,
Et dulces verſus, Muſicaque arma ſonant.
Hîc ſacri vates vultu excipiuntur amico,
Hîc magno docti ſunt in honore viri.
Hîc eſt Caſtaliis ſacra bibliotheca puellis,
Inſignem libris quam Ptolomæus amet.
Hîc & Ariſtoteles, hîc & ſpectantur Homeri,
Hîc Cicero, hîc doctus cernitur Herodotus;
Et quotquot Graia, & Latia ſcripſere loquela,
Sunt etiam hîc Galli, ſunt etiam Heſperij:
Et culti Hetruſci, Moſiſque volumina Hebræa,
Quæque legat terra diuite natus Arabs.
An non hæc vbi ſunt, illic Helicona putemus?
Hîc certè eſt Helicon, Pieridumque domus.
Quas tibi diuitias cœleſtis regia donat,
Has ſua Parnaſſi gens ſtudioſa vocat.
Idque tuo iuſſu; nec gens tibi carior vlla eſt,
Quàm ſua cui Claria tempora fronde virent.
Digne vir & Macedûm regno, Cyrique tiara,

Et cen-

Et cenſu Crœſi, diuitiiſque Midæ.
Quid precer officiis pro talibus, atque benigno
In Muſas ſtudio, Caſtaliúmque larem?
Cuncta tibi ex animo cedant, tibi proſpera ſemper
Omina fęlici gutture cantet auis:
Et ſerò triplices rumpant tua fila ſorores,
Et tibi dent Pylias candida fata comas.
At vates nunquam meritorum obliuia tangent,
Nec tua Lethęis facta dabuntur aquis.
Vt pater Auguſtus toto celebratur in orbe,
Ornaturque ſacro carmine Thuſcus eques:
Quòd ſemper fouêre Deas Helicona colentes,
Et nunquam Aonium deſeruêre chorum:
Sic tu, quòd foueas Muſas, dum clara micabunt
Sydera, Piërio carmine notus eris.
Téque ſcient & Taprobane, Thuleque remota,
Quoſque rigat Gãges, Sequana quoſque rigat.
Fautori Aonidum vates hæc munera reddunt,
Viuat vt inuitą poſt ſua fata pyra.

AD PETRVM FRANCISCVM TOCCOLVM.

OPto tibi nemorum latebras Franciſce petenti
Dentibus horrendum Delia mittat aprum,
Quem tua fulmineo verſantem corpora gyro
Dextera, non dubio vulnere, fundat humi:
Vnde tibi laudes meritò referantur eædem,
Quas olim Alcides, Theſtiadéſque tulit.
Hic cùm glandiferis pulcrę Calydonis in aruis
Lethali Ortygium cuſpide fixit aprum:
Aſt ille Arcadiæ peſtem cùm ſtrauit in herbis,
Veſtitus picea quas Erymanthus alit:
Quæ tua mox totum memoretur fama per orbem
Carmine Mæoniæ conueniente lyrę.
Quòd ſi depoſitis Iunonis filius armis

In fa-

In faciem torui diſſimuletur apri;
Atque tibi iratus ſyluis occurrat in altis;
Et tua ſpumanti corpora dente petat;
Quòd prę Caſtalio cœtu ſua numina temnas,
Anteferáſque tubę fila ſonora lyrę:
Non in te pugnę ſucceſſu vtatur eodem,
Quo Paphio eſt vſus vertice durus amans:
Cùm roſeę Veneri gratum diſcerpſit Adonim,
Quem Dea ad Idalias nũc quoque luget aquas.
Sed virgo armipotens, multo quæ fortior illo,
Et fauet ingeniis, Aonidúmque choro:
Te iuuet, & clypeo magni Iouis vndique tutum
Obijciat furiis fata minantis apri:
Et tua in aduerſum condat venabula monſtrum,
Hirſutóque grauem pondere lędat humum:
Adque patrem, Superûm ſtellata in regna remittat,
Triſtia fundentem pectore verba ſuo.
Vt quondam Phrygiis Diomedem iuuit in agris,
Torquentem in magnos aſpera tela Deos:
Quem Mars ſanguinea violatus cuſpide nunquam
Tunc dicet validas non habuiſſe manus.
Hęc precor eueniant nemoroſa ſede vaganti,
Hortantíque citos ad ſua vota canes.
Vt nemo poſtâc Franciſcum lædere tentet,
Cùm curæ Aoniis hunc ſciat eſſe Deis.

AD IACOBVM SEMPERVIVVM.

NOn ego ſum talis, qualem me ſcribis, amice,
Nec titulum metui, quem tua Muſa dedit;
Non mea Phœbæa velantur tempora fronde,
Non mihi Pieriis ora rigantur aquis.
Nec me Calliope, nec pulcer nouit Apollo,
Nec me vllo Aonius tempore vidit ager.
Sum procul à Thebis Morinorum natus in oris,

Quas

Quas nitidus lymphis irrigat Aa ſuis.
Cur igitur vatem appellas, dicisque Poëtam
Quem chorus Aonidum non ait eſſe ſuum?
Nempe tuus candor, perfuſaque labra liquore
Cecropio, laudes has tribuêre mihi:
Quæ tibi iure ſuo potius debentur amice,
Cui datur Ortygio labra rigare lacu,
Et viridi nitidos edera redimire capillos,
Ducereque inſigni carmina culta manu:
Qualia Threïcię poſſent contendere Muſæ,
Pindaricóque ſono, Mæonięque lyræ.
Perge precor, noménque tuum ſic eripe morti;
Nil vatum ſcriptis lurida fata nocent.
Munere Piëridum toto celebraberis orbe
Semper, & æterno tempore Viuus eris.

AD FRANCISCVM MOLINVM VERONÆ PRÆFECTVM.

VT mola prodit Cereale donum,
Albius multo niue Caucaſæa,
Quod fouet vires, ſtomachumque magno
Robore fulcit:
Sic tuo candor, pietas, fidésque,
Omnis & virtus animo Moline
Prodit, & vires capit inde corpus,
Quam regis, vrbis.
O molas tales vtinam frequenter
Ciuitas Thracum ſpoliis referta,
Adriæ regina, Petro ſacratas
Mittat ad arces.

AD MARCVM ANTONIVM GRATIANVM.

VIſus es in ſomnis heſterna nocte crumenam
Claram auro, & gemmis à patre ferre meo,
Et dixiſſe, Simon longum depone dolorem,

Iam

Iam tibi lætitiæ munera plena dabo.
Vndè ego te amplecti lætanti corde volebam,
Et gaudens oculis oſcula ferre tuis.
Sed me conantem ſtrato diſcedere, ſomnus
Deſeruit ſubitò, donaq́ue, tuq́ue ſimul.
At te, quæſo, mihi ne poſthâc ſomnia vana
Munera portantem nocte ſilente ferant.
Sed verè reddas dona expectata parentum;
Atque Euangelium iam tibi Marce dabo.
Non aurum, neque enim velles, ſed carmina blāda,
Et ſtrepitum citharæ, Pegaſeumq́ue melos;
Bisq́ue Tali geminas volucres, viníque lagenam,
Cui cedat, quod alunt Cretica regna, merum.
Tunc mihi permittes inter conuiuia læta
Carminibus laudes commemorare tuas;
Téque mihi dulcem vitam retuliſſe fateri,
Mœſtáque triſtitia corda leuaſſe ſua.
Qui fuluis cernit nummis turgere crumenam,
Hic alacer toto gaudia corde fouet;
At qui fila videt loculis intexere Arachnen,
Triſtia ſollicita nubila fronte gerit.

AD CVRIVM BOLDERIVM.

MÆonios mihi voce ſacra doctiſſima cantus
Calliope dicta, & citharæ vocalia præbe
Fila meæ; vt celebrem Claria teſtudine dignum
Heroa; & raras dotes illius ad aſtra
Extollam, inuideamq́ue Orco, & nigrantibus vndis;
Et totum fama iubeam volitare per orbem.
Vt celeres ſiſtit greſſus, curſumq́ue viator,
Cùm ſe pandit iter diuerſa in compita ſectum,
Quamq́ue viam arripiat tacita cum mente requirit:
Sic ego quam primùm memorem ex virtutibus altis
Illius, haud equidem video; variumq́ue recurro

Ad citharæ ſonitum, & dubia eſt ſententia menti.
Incipiam tamen à proauis: nam ſemper honeſtum
Omni gente fuit, claros habuiſſe parentes;
Atque placet cunctis generoſum nomen auorum.
Sic Hector gaudet Priamo; & Nereïus Heros
Æaciden clara geſtit ſe voce vocari;
Et Laërtiaden Ithacus; fortéſque creantur
Fortibus, éque roſa nunquam prodire videmus
Squillarum bulbos; nec ſentes lilia fundunt;
Nec patitur timidas magni Iouis armiger alas;
Claudentéſque oculos radiata ad lumina natos;
Nec pauidos generat catulos violenta leæna.
At, quis erit primus præclara è ſtirpe parentum,
Vir generoſe, lyra quem ſacra ad ſydera tollam?
Ecce mihi occurrit celeberrimus arte medendi,
Ille ſua nunquam cumulatus laude Gerardus;
Qui perſæpè viros auidis è faucibus Orci
Ereptos, cœli ſupera ad conuexa reduxit,
Pæoniis herbis, ſtudióque Machaonis vſus:
Imprimis verò dominantem ad mœnia ſacra
Fatidicæ Mantus, claris virtutibus auctum,
Sed iam depoſitum, mediáque in morte natantem
Heroa eripuit Lacheſi, & cœleſtibus auris
Reddidit, & longos viuum produxit in annos.
O claras artes, atque omni laude colendas!
Rectè Mæonide celebraſti Pæone natos,
Et multis aliis medicum præſtare putaſti;
Æquiparaſque Deis; ſine quo mortalia corda
Innumeros ægra paterentur mente dolores;
Vulnera nec ſucco ſcirent releuare ſalubri;
Et Libitinæi celerarent funera lethi.
Has artes ideò nati melioribus annis
Olim addiſcebant reges; nec magnus Achilles,

Nec

Nec Chiron illas ſpreuit,nec fortis Iaſon;
Quamuis horriſono Martis,cædíſque furore
Flagrarent,pugnáſque graues,ſtragémque cierent
Sanguineam,& valida cumularent funera dextra.
Quin decorabantur templis, aríſque recepti
Nectareos auido ducebant gutture ſuccos;
Cum Superis nitida cæli in regione manentes.
Sic Deus eſt habitus medicinæ ob munera Phœbus,
Atque Coronides Romana cultus in vrbe;
Inclyta Mæonias quà diuidit inſula lymphas;
Græciaque hunc ſummo venerata eſt ſemper honore.
Ante oculos ſtat & ille meos,qui bella ſecutus
Acria,ſigna tulit Veneto laudante Senatu,
Non ſemel,aduerſos animoſus ſemper in hoſtes;
Et ſtrauit turmas equitum,peditúmque cateruas
Sæpius,& victor penetralia veſtra trophæis
Ornauit,nulli cedens certamine Martis;
Ille etiam grata mihi dictus voce Gerardus.
O quanti,& quales occurrunt agmine denſo
Egregij heroës, rigidi ſeu munera belli,
Seu ſacras ſpectes leges,ſtudiúmque quietum
Muſarum,& doctas curuæ teſtudinis artes;
Quos tot veſtra domus,pennis fęlicibus ortos,
Oſtendit terris,quot lucent ſydera cœlo,
Cùm caput argento clarum Titania profert;
Noxque ſoporiferis mundum circumuolat alis.
Quorum terra canit laudes,quà Phœbus Eoo
Exoritur pelago,& Tarteſſia littora pandit;
Quos ego prætereo prudens,ne liuor iniquus
Te referat tantùm celebrari poſſe parentum
Laudibus,& claro generoſæ ſanguine gentis:
Nec niti te laude tua,& confidere factis,
Quæ mentes hominum diuinis mentibus æquant:

Tectaque

Tectáque Tænariis imitari fulta columnis,
Quas ſi ſubmoueas, celeri prolapſa ruina
Horribiles edant ſonitus, altóſque fragores;
Et terra iaceant ima, ſpoliata decore,
Atque ope, qua ſola ſtabant; & clara vigebant.
Te nulli veterum ſcimus virtute ſecundum;
Non ſolùm patrum celebri de gente tuorum,
Sed quotquot terris anni videre priores;
Quotque videt præſens ætas, Phœbúſque tuetur
E cœlo, roſea cùm luſtrat lampade terras.
Idque vel inuidia peruincere iudice poſſet
Quilibet, ingenium, & mentem ſi inſpexerit acrem,
Iudiciúmque tuum, quo te dotauit Olympus.
Ipſe ego cùm primùm vidiſſem colla regentem
Acris equi, & tumidum frenis parere docentem;
Et celerem varios cogentem ducere gyros,
Puluereo in campo, prope terras arbore tectas:
Imperio dignam ſpeciem, formæque decorem
Admirans, mihi ſum viſus ſpectare nitentes,
Quos habuit quõdam (ſemper florẽtis Homeri
Vt cecinere Deæ) vultus Laërtius Heros;
Cùm pelagi ereptus furiis, rapidíſque procellis
Alcinoo in nitida miranti apparuit aula;
Os, humeroſque Deo ſimilis, cùm bellica Virgo,
Qua velatus erat, nebulam ſparſiſſet in auras.
Nec quenquam inuenias formæ qui carpat honores;
Quique nitet vultu egregrio, plerumque refulget
Laudibus ingenuis animi, priſcique Poëtæ
Heroas, natóſque Deûm, & virtutis alumnos
Effingunt vultu nitido, pulcráque figura.
Sic pulcer Menelaus erat, ſic pulcer Achilles,
Deiphobus pulcer, pulcer Cythereïus Heros:
At vitio infectos, inhoneſto corpore pingunt;

Therſi-

Therſitæque pares faciunt,turpiq́ue figura:
Cùm talem te igitur vidiſſem;protinus ore
Quæſiui cupido, quíſnam eſſet nobilis heros,
Qui tanta,quanta nemo puto, præditus arte,
Ora regebat equi,& luctantia colla domabat;
Atque laceſſebat fugientes curſibus Euros,
Cùm tetigiſſet equi ferratis calcibus armos;
Et tali vultus ſpecie,formaq́ue decora.
Tum mihi facunda reſpondit voce Cerutus,
Quicum more meo viridi ſpatiabar in ora,
Sermonem inſtituens de Muſis,atque Poëtis;
Quos habet inſignes Helicon, Teumeſiaq́ue ora.
Hic Heros,inquit,CVRIVS de ſanguine cretus
BOLDERIO,& priſco proauorum ſtemmate clarus,
Clarus & ingenio,& facundæ munere linguæ:
Quem noſtri ciues legatum rebus iniquis
Ad claras procerum ſedes,vrbésque potentes,
Sæpius experti magna cum laude remiſſum,
Re ſibi confecta ex voto; & fęlicibus aſtris:
Præcipuè cùm dira lues incumberet agris,
Et multis miſeram viduaret ciuibus vrbem.
Moribus ingenuis,candenti pectore,mitis,
Et lites inter ciues componere doctus;
Si quando ardeſcant animis diſcordibus iræ;
Et magno cenſu,& Cereali mergite diues;
Atque ſolum innumero vertens telluris aratro;
Et legum excultus doctrina, & carmine gaudens
Piërio;citharaq́ue bonus contendere vati
Tyrtæo,iuueniq́ue pio quem candida Phœbo
Calliope genuit rapidam prope Strymonis vndam;
Nulliusq́ue expers doctrinæ,artisq́ue decoræ.
Hæc ego ſic ſeſe crebrò ſum expertus habere;
Nam comes ad veſtras ædes adiunctus amico,

Qui te præcipuè obſeruat, viſitque frequenter,
Vt magnos homines Federicus, ſi quis, honore
Proſequitur ſummo, & memorat, celebrátque libenter;
Exceptus thalamo aurato, iuſſusque ſedere,
Non potui non vera mihi retuliſſe fateri,
Cuncta notans animo; quin ornamenta tuarum
Virtutum inueni maiora, (nec error obumbrat
Pectora) quàm poſſint lingua Ciceronide dici.
Eque tuo leni ſermone, grauique viciſſim,
Cùm res & cauſæ poſcunt, ita ſæpè pependi,
Vt rector Scheries pendebat ab ore diſerti
Herois, caſusque ſuos, & facta canentis
Fortia, quæ pelago geſſit, murisque ſub altis
Dardaniæ, decimo quæ demum concidit anno.
Nam ſiue in medium de ſancta lege veniret
Quæſtio difficilis, facunda voce loquentem
Mirabar nodos acres, obſcuráque dicta
Subtili ingenio, ritu diſſoluere Thomæ,
Vitales auras qui primùm carpſit Aquini.
Rebus in egregiis Sophiæ; ſub colle Lycæo
Tam facili varios dextra decerpere flores
Summopere admirans, vix compos mentis abibam.
Mentio ſi cæli, & ſtellarum facta fuiſſet,
Cùm docto geſtu memorares aſtra, polosque;
Credebam ſuperas alium rediiſſe ſub auras
Clarum ſyderee Ptolomæum laudibus artis:
Æthera tam celeri greſſu petis, inque ſerenam
Admiſſus portam, cœlo ſpatiaris in amplo.
Aſtrigerósque globos cernens, gaudere ſolebam,
Quos multos varia ſpecie tua menſa gerebat.
Quid referam veterum pugnas, animoſaque facta,
Quæ Græci, & fortes olim geſſere Latini;
Barbariésque omnis? quæ calles, atque renarras

Ore Periclęo, dulcem ſuperante liquorem
Mellis Cecropij, vel quod generatur in Hybla.
Tota patet tibi Parnaſſi domus, atque liquentes
Caſtaliæ latices, & odorę regia Cyrrhæ,
Cùm libet Aoniæ florentem inuiſere ſedem.
De bello ſi verba facis, rigidíſque domandis
Cornipedum ingeniis, videor mihi pectore docto
Magnanimi patrem Grylli, Xenophonta diſertum
Audire, armorum ſtudioſos illa docentem,
Quæ ferri ardorem foueant, & robur equorum;
Et bellum incœptum quánam ratione geratur;
Et nulla, aut minima ducatur ſtrage ſuorum;
Caſtraque fœcunda, & tuta regione locentur;
Quáque arte hoſtiles acies, vrbésque premantur,
Victorémque pedem poſſis in tecta referre.
Quòd ſi laudatur meritò celeberrimus ille
Telemachi genitor, quòd multas viderit vrbes,
Et multas dederit ſtrages Simoentis ad vndam;
Nec tu laude cares iſta; Germana petiſti
Oppida, quæ latis pandunt ſe maxima terris;
Pannonięque ſolum pingue, & quę lucidus Iſter
Arua rigat, ſeptemgemino memorabilis ore,
Nec cedens Gangi, aut Nilo, Tigríque rapaci.
Atque animi inuictum robur, viréſque ſuperbas
Odryſio regi, cùm diri turbinis inſtar,
Cæſareos vaſtaret agros, vrbéſque cremaret
Hungaricas, & bella Deo, Diuiſque moueret,
Fortiter oſtendens, & nullo vulnere læſus
Threïcios hoſtes miſiſti ad pallida regna
Cocyti, & Stygio ſtrepitantes murmure ripas:
Tot, quot falce ſua meſſor proſternit ariſtas,
Cùm Cereris flauent ſegetes æſtate ſerena;
Et Sol Herculei comitatur ſigna Leonis:

Vtque rapax fluuius longè reſonantibus vndis,
Aggeribus ruptis, ſyluas, armenta, viroſque
Inuoluit ſecum, & ſpumanti gurgite verſat:
Vtque leo gelidos imbres perpeſſus, & Euros
Terribiles, ſuadente fame, ſtabula alta pererrat,
Et vitulos molles, agnóſque ex vbere matrum
Pendentes, raptos laniat, mandítque gementes;
Nec pauet horrentes haſtas, nec agreſtia tela,
Sanguineóſque toros quatiens fremit ore cruento;
Nec prius abſcedit, rabidam quàm expleuerit aluum:
Sic tu fulgenti clypeo, gladioque minaci
Tutus, & armiſonæ ſtimulatus numine Diuę,
In medias Thracum turmas tendiſque, ruiſque,
Et terræ accumulas ingentes ſtragis aceruos:
Atque domum victor, rubefactus ſanguine largo
Turcarum remeas, auratáque tecta trophæis
Biſtoniis oneras media teſtudine templi.
Virtutiſque tuæ teſtem Phaëthontis ad vndam
Regnantem Alphonſum te Momus habere fatetur:
Quem Tyrio indutus cultu, & radiantibus armis
Danubij gelidas alacer comitatus ad vndas
Flore iuuentutis primò, & viridantibus annis;
Oſtendis vires Italas non cedere Turcis:
Nec Martem Auſonium Byzantia tela timere.
Sed cur vlterius feror, & præconia tento
Bolderiæ gentis, nautas imitatus ineptos,
Qui maris extremas cupientes tangere metas
Oceano volitant, ac vaſtis fluctibus errant,
Naufragio tandem votum mutare coacti?
Æquè difficile eſt Heroas dicere magnos,
Ac viles homines, quos nunquam viuida virtus,
Nec ratio tetigit, nec recti cura, nec æqui.
Nam nullis illos ſatis exornare Camœnis

Turba

Turba poteſt, quæ tingit aqua Pirenide fauces.
Ac veluti infirmis oculis radiantia Solis
Lumina nemo valet tolerare, & tendere contra,
Sic Clariis ſplendor numeris heroicus obſtat;
Et vatum calamos hebetat, terrétque canentes.
Aſt hos qua memoret ratione Poëtria neſcit
Filia Mnemoſynes: nam fœdo gurgite merſi
Machloſynes, nequeunt Zephyros ſperare ſecundos,
Atque graues cœno vitiorum tollere pennas
Ætheris in radios, & docta volare per ora:
Æëæque Deæ virga, validiſque venenis
In varias pecudum formas, moréſque ſiniſtros
Conuerſi, vitam turpem ſine nomine ducunt.
Nec verbis laudes fingas Carthaginis altæ
Pro meritis eius, potiúsque ſilentia ſerues,
Quàm de tam pulcra, & generoſa pauca loquaris
Vrbe, iocúmque aliis parias, dulcéſque cachinnos;
Et linquunt validæ ſummiſſo poplite vires
Ferre ſuis humeris nimiùm graue pondus auentem:
Sed tamen, vt catulus nemoroſas ire per oras
Geſtit, vbi aſpexit capreas trepidare fugaces,
Et timidos virides per ſaltus currere ceruos,
Quamuis vincla vetent, voxque imperioſa magiſtri;
Sic te cùm videam ſumma pietate, fidéque,
Necnon doctrinæ præclara excellere fama,
Non has non potui paucas contexere laudes:
Cùm ducam dignos Heroum carmine mores,
Quæque mihi ingenij vis eſt, conſumere lætus
In laudes hominum ſoleam virtute micantum.

AD BARTHOLOMÆVM VITALEM.

BArtholomæe tuas laudes Benacus, & vndæ
Materni referent ſemper, dum fronde virebit
Baldus, & aërio ſuperabit vertice nubes.

Nam quo iuſtitiæ plauſu, & pietatis honore
Hæc loca rexiſti; dum longam incidere litem
Feſtinas inter ciues, ferrúmque cruentum
Auertis, placáſque viros fera fata minantes!
Quantam doctrinæ famam, laudémque relinquis,
Non ſolùm legum, quibus es mirabilis orbi,
Sed cantus etiam Dircæi, artíſque ſonoræ!
Non ſemper pharetræ pondus conſumit in arcum
Filius ille Iouis iaculo metuendus Apollo;
Sed querulas etiam chordas, & dulcia plectra
Sollicitans, lætis mulcet concentibus auras:
Nec Troiæ ad muros ſemper pugnabat Achilles;
Sed chelys in manibus violentis ſæpè ſonabat;
Bellaque carminibus iungebat feruidus Heros.
Nec ſemper tetricę leges, ſtudiúmque ſeuerum
Nobis tractandum, ſed amœna roſaria Pęſti
Carpenda interdum, viſendáque Delphica tellus;
Cumque choris cantus agitandi pectore læto.
Quem morem rectè ſeruas, ſequeriſque libenter:
Vtque diu viuas Vitalis candide, ſeu te
Ripa tenet magni Benaci, & flumina pulcra
Materni ruris, Baldique nitentia prata,
Siue tuis Verona hortis, imitantibus altos
Heſperidum, vel Phæacum, vel Adonidos hortos;
Poſt lites, ſtrepitúmque fori, cauſáſque peractas,
Ad citharam vertis digitos, & carmina pangis,
Et Thuſcis pariter numeris, numeriſque Latinis,
Qualia Męonias deceant chordáſque, manuſque.
His Maternenſis Nymphæ celebrantur honores:
Sicque tuum nomen Pataræis artibus Orco
Ereptum nigro, rutilantibus inſeris aſtris.

AD ALEXANDRVM TONIALVM.

TV quoque Veronæ ſpatioſum flumen amœnæ
Accipias lacrymas amne liquente meas:
Quas nuper flauis excepit Tybris arenis,
Dum pello querulam corde dolente lyram:
Et fleo primæuo Tonialum flore iuuentę
Extinctum, vmbriferas mortis adiſſe domos.
Nec poſſum lacrymas mœſto non fundere vultu,
Seu Phœbus cœlo, ſiue Diana micet.
Námque mihi probitas, & mores fraude carentes
Fratris, Alexander, ſic placuere tui:
Vt mihi iam videar tali priuatus amico,
Priuatus Solis lumine purpureo.
Ille patrem Superûm ſumma pietate colebat,
Aſſiduè fidei, iuſtitiæque memor:
Et ſacra Muſarum celebrabat pectore toto,
Et Pataram, & Lyciæ flumen amabat aquæ:
Et venerabatur redimitos flore Poëtas,
Doctáque laurigera carmina pulſa manu:
Méque ederę ſacro dignum ducebat honore,
Laudabátque meæ ſtamina iuncta lyræ:
Atque meos paſſus repetentis Tybridos vndas,
Ad Phaëthontæas eſt comitatus aquas:
Quà Padus Hoſtiliæ ripas altiſſimus orę
Stringit, & aruorum pinguia culta ſecat:
Et lauta excepit menſa, lacrymíſque profuſis
Vix mœſta potuit dicere voce, Vale.
Quin iter ad Tyberim, Romanáque tecta volebat
Flectere, vixque preces id vetuêre meæ.
Et flauentis equi vix collum vertit ad oras,
Quas Atheſis rapido lucidus amne rigat.
Iſtud ego officium minima nec parte merebar,
Tantus at in niueo pectore candor erat.

Ah quàm crudelis Clotho, geminæque ſorores;
Tam citò tam blandum quæ rapuere virum.
Sic te ſurripuit nobis manus improba Mortis
Antoni, cordi ſemper amate meo?
Plurima dignus eras viuendo condere ſecla;
Et nunquam lethi lurida tela pati.
Omnia ſed fatis cedunt; & fallere mortem
Nemo poteſt, auidos nec prohibere rogos.
Nunc vbi ſunt illi, quibus olim paruit orbis,
Magnanimi reges, magnanimique duces?
Oſſea regna colunt, nec eis iuuenilia Martis
Munera, nec miles profuit ære grauis.
Nec generis ſplendor, nec opes, nec gratia formæ,
Oppidaque, & vaſto mœnia cincta lacu.
Aſt ego Veronæ dulci dum ſede morabor,
Aſſiduo ſpargam flore ſepulcra tua:
Et lacrymis tingam cineres, manéſque ſepultos,
Et celebri nomen voce vocabo tuum.
Aſt vbi me patriæ capiet dulciſſima tellus,
Audomarúſque ſuo me retinebit agro;
Seu me turrigeræ viridanti colle Vatenæ
Accipient, liquidæ flumina propter aquæ:
Seu Blendecca ſuis in vallibus arbore tectum,
Siue paludoſo Nardica rura ſolo:
Seu pater Oceanus ſpatiantem littore ſicco,
Dum ridet placidi cęrula lympha maris;
Siue lares patrij, & rutilantes floribus horti,
Seu torus, & Tyria ſtragula picta manu;
Tunc, licet haud fas ſit molem ſpectare rogalem,
Spargere nec tumulum flore recente tuum;
Sæpè genas tepido lacrymarum rore rigabo;
Nec potero genij non memor eſſe tui.
Et Toniali nomen amicum carmine crebro

Proſequar,& merita concelebrabo lyra.
Conaborque etiam,modò Delius,atque Camœnę
  Plectra iuuent,cupida quæ reſonabo manu;
Vt cunctis fama clarum memoretur in oris,
  Quas nitidus Titan ſpectat ab axe ſuo:
Virtutemque tuam valles,colléſque ſupini
  Excipient antris laude frequente ſuis:
Nec te marmoreę reſonantis littoris vndę
  Non dictum lepidis verſibus eſſe ſcient.
Pro flore egregio tibi pulſum pectine carmen
  (Hoc vtinam toto floreat orbe) dabo.
En repeto patriam,tumuloque auellor amico,
  Iam ſalue Antoni,perpetuóque vale.
Spiritus in cœlo diuina luce fruatur,
  Oſſaque non magno pondere terra tegat.

Finis libri ſexti.

SOLOR OLOR.

AD LAMORALLVM NORICARMÆ DOMINVM.

CVM fines Morinos reuiſere vellem,
Et Italis cultos relinquere campos,
Vbi me per decem Titan vidit annos,
Modò Romuleas celebrantem ſyluas,
Modò Baldiaca luſtrantem flumina,
Veronę coactus amicorum prece,
Sex ſyluarum libros in vulgus edidi,
Et domum pauculos ex his mecum tuli,
Vt eorum meis facerem copiam,
Si quis fortè mea caperetur Muſa.
At nunc deſtitutus ab exemplaribus,
Et eis non vna voce flagitatis,
Rurſus amicorum cogor iuſſa ſequi,
Et libellos illos remittere prælo;
Cùm tamen præſtaret eos corrigere,
Ac polire lima diligentiore;
Sed mens doloribus acerbis commota,
Et ægra Belgio tot bellis oppreſſo,
Duritiæ nihil ſuſtinet perpeti,
Et Ariſtarchæos refugit labores:
Quin ne nihil noui videar adferre,
Sex alios modò genitos addidi,
Et auras inſuper vt tentent permiſi,
Diuerſum quid paſſus à parientibus,
Quæ grauibus ictę telis Ilithyię
Intolerabiles ſentiunt dolores;
Aſt hoc partu portas ego luctus fugi,
Et mœrorem ſenſi mitigari meum.
Nam nil inuenio curæ remedij,

Pręter Hippocrenen, ac Dircæum nemus,
Et pectoris ęstus his releuo ſyluis.
Nec, vt verum tibi fatear, ſentio,
Vel haſtæ ſtridorem, vel tubę mugitum,
Vel hoſtem clamores ad aſtra tollentem,
Et Belgium diris inuoluentem turbis,
Cùm Parnaſſiaco ſollicitor œſtro,
Et trahor in ſyluas ab Aone ſatas,
Vbi ducunt feſtos Pïerides choros,
Et ſtrepunt Clario teſtudines ſono.
Hos autem liberos, ac labores meos,
Quos mihi ſubita fudit Calliope,
Tibi, LAMORALLE, dicatos volui;
Qui nobilitatis Audomarę ſplendor,
Et prædiis diues, & caſtellis potens,
Non ſolùm Martio tenéris ſtudio,
Et colis ſeueras Neriënis artes;
Sed etiam blandas venerаris Nymphas,
Quæ colunt viridis Aonię montes,
Cariſſimus docto Latonæ filio,
Et turbę Dircęis operatę ſacris.
Vilia ſunt mea, credo, munuſcula,
Atque Chœrileum ſpirant ingenium;
Sed noui genium, candorémque tuum,
Boni conſulentem quicquid datur ſibi,
Modò ſecum trahat ſynceros affectus;
Nec magis ſpernentem vilitatem doni,
Quàm Iouem paruulum bidentis filium,
Quem pauper Tarpeïas mactabat ad aras,
Cùm minimè poſſet immolare tauros,
Nec Clitumniadas tangere victimas,

SIMONIS OGERII

SYLVARVM

LIBER SEPTIMVS.

AD CAMILLVM CAETANVM.

CAmille SIMONIS ſemper ſtudioſe,
Si vacat per magna Pieridum ſacra,
Huc aures aduerte purgatas, & audi,
Quánam regione domum redierim,
Relictis Latiæ telluris finibus,
Auc comitatus dextra vel ſiniſtra.
Vt Romam flentibus oculis reliqui,
Ac pede non læto Tyberim tranſij,
Quà pontem Miluium cana ferit vnda,
Et flauis Quintia riuis prata rigat,
Ilicò petij Cyminium montem,
Et lacum piſcibus nitidis ſcatentem,
Ac Vituloniæ viridantis æquor.
Exin ad Phaliſcos Lyæo dilectos,
Et Vrbem Veterem veſtigia flexi,
Inuiſurus carum ciuem Georgium,
Hîc moras cum dulci coniuge trahentem,
Et Praxitelęas artes exercentem;
Poſt Auculam ſaltus per vmbroſos veni,
Non ſine terrore gentis ſacrilegæ,
Quæ latrocinio victum ſibi quęrit.
Mox adij Senas, & Florentes agros,
Quos Feſulę ſuo deſpiciunt iugo,
Arnusque liquidis alluit fluctibus,
Arnus Mæonidum regnator aquarum,
Fratérque Tyberis Apenninigenę;

Et equo per magnum vectus Apenninum
Felſineos colles, Rhenúmque tetigi,
Et Bononicolas ſalutaui Muſas,
Errantes per prata flore gemmantia.
Hinc Veronam rheda celeri rapior,
Et Heliconios amplector amicos,
Qui crebris me ſcriptis eò prouocarant,
Cupidi videndę faciei meę,
Antequàm Venetos desererem fines.
Ibi commoratus tres plus minus menſes,
Sex Syluarum libros prælo ſuppoſui,
Familiarium votis obſecutus.
Tum pleno pectore triſti ſuſpirio,
Et manante genis lacrymarum rore,
Auehor Mantuam Maronis ad amnes.
Inde peto claros Inſubrium campos,
Vrbémque Vercellam, Taurinósque ſaltus.
Exin ingredior aërias Alpes,
Quæ Morianium colunt Iöannem,
Et iter ad vrbem pandunt Munatiam;
Vbi lenis Arar, & Rhodanus celer
Harpyias viderunt iniquas crumenæ,
Quam grauidam nũmis extuleram Roma;
Inde loci montem Tararæ petimus,
Et hoc ſuperato Roannen venimus,
Ac ibi conducta celeri phaſelo,
Et aue non alba crediti fluuio,
Senſimus horridas fluminis procellas,
Atque procelloſis erepti fluctibus,
Quibus ratem noſtram Liger oppugnabat,
Et Olympiacas domos verberabat,
Salui deuenimus rus Aurelianum,
Et lætis paſſibus ingredimur vrbem

Ioannæ

Ioannæ quondam puellæ defenſam,
Cùm furor Anglicus Gallias vexaret,
Et dominaretur liligerę genti;
Cuncta vaſtans loca flammiſque,ferroque.
Hac in vrbe donor viridibus ſertis,
Quibus decorantur illorum tempora,
Qui colunt armatam legibus Themidem,
Et verſant Pandectas Iuſtinianęas,
Et interpretantur ſcita Pontificum.
Hinc digreſſus vrbem clariſſimam peto,
Cui nomen dat ſuum Dardanius Paris;
Et veneror ſacrum Genouefæ templum,
Et Sequanæ libo Muſæos latices;
Hinc eſſedo ſedes vehor Ambianas,
Et templa quę ſeruant caput Iōannis
Cæſum maleſuado puellę Thyaſo;
Et fluentiſono Somona relicto,
Rigiacum veni caput Arteſiæ,
Olim belligero regnatæ Comio.
Hac deſerta ſede Bethuniam peto,
Inde Lilerſię paludis gramina,
Pòſt cinctam validis Aëriam muris;
Hinc cupitam tandem vidimus patriam,
Et gratam Superis Audomaropolim;
Quæ defeſſis longę laboribus vię,
Sic iucunda meis pectoribus fuit,
Ac portus eſt nautis orta tempeſtate,
Et freta proteruis agentibus Euris.

AD NYMPHAS PETRIADES.

NYmphę Petriades quę ſtagna tenetis,
Ad portā,cui nomē additur Brullanæ,
Quod nūquam putaram,vos rurſus video,
Et audio veſtræ clarum murmur aquæ,

Quæ cum lacte ſua dulcedine certat,
Et certat electro puritate ſua.
Saluete, vobisque ſperate corollas,
Vt anteà meis contextas manibus.

Ad D. Petrvm.

SImó cui cognomẽ Chriſtus dedit Petro,
Simulacrum tibi ſaxeum dicatur
Ad poſtes Brullanos, vbi premis terga
Balenæ vomentis flumen argenteum,
Ore cæruleis armato dentibus,
Qui fons Petrocrene dicitur à nobis;
Cuius puriſſimo libato latice,
Dulces fundunt verſus Omeropolitę,
Atque ſuos docti repetunt Penates;
Quin preſſi febribus leuari dicuntur,
Tibique gratias immortales agunt.
Salue, méque Roma redeuntem iuua,
Heros aſtrigeri ianitor Olympi,
Et hanc ingrediar fauſto pede portam,
Et Olympiacam poſt meos obitus.

Ad D. Avdomarvm.

AVdomare prius hæc vrbs vocabatur
Sitius, ſed nomen eſt ſortita tuum,
Poſtquàm ſepulcrales attigiſti domos,
A Bertiniana compoſitus manu;
Nec illam mutati pœnitet nominis,
Nam ſe tua videt Ægide protegi,
Cùm minantur nobis hoſtes interitum,
Et ſæuo circumdant muros exercitu.
Quin opera ſæpè tua ſenſit imbres
Cęlitus demiſſos à magno Tonante,
Et calidos Soles, cùm poſtulat vſus,
Et ſeges requirit hoc beneficium;

Nec ſemel inſtantem fugit Libitinam,
Et peſtem luridis furentem iaculis,
Et ſternentem fœdis funeribus agros.
Ecce tuam cerno lætiſſimus arcem,
Et amplector portę limina Brullanæ,
Reuerſus ab vrbe, quam condidit Remus,
Vnà cum Romulo gemella ſobole.
Sis bonus, & fælix Audomare tuis,
Vt ſemper fuiſti, cum fratre Bertino,
Nec tibias tubis mutatas videam;
Nec cęde ciuili Gradiuum rubentem;
Reuertatur ille tandem cum Bellona,
Thracios ad montes, Geticósque ſaltus,
Et Irene tuta deuehatur rota
Per Belgium longis fatigatum bellis.

AD AVDOMAROPOLIM.

NOn ita gauiſus Laërtius heros,
Cùm vidit Ithacam bis decem poſt meſſes,
Defunctus & bellis, & marina fraude;
Vt ego te mea lætor, ô patria,
Tandem poſt decimũ reuiſens Autumnum.
Sed vnum doleo, quòd bellum geratur
In regionibus tibi finitimis,
Motum Batauicæ gentis feritate;
Quo vaſtatur fęlix aliquo tempore,
Infæliciſſima nunc tellus Flandria.
Ah Belgę Gallorum flos arma ponite,
Et linquite ſigna Martis exectandi;
Aut ſi tanta tenet libido pugnandi,
Pace compoſita candidis auibus
Inter vos eodem ſanguine genitos,
Transferte prælia Thracios in fines,

Vbi

Vbi voluit Hebrus aureos liquores,
Et Iſmara vino florent Maronæo,
Et Byzantis vrbem beat Helleſpontus;
Quem poſſident Turcæ, genus Caucaſeum.
His expulſa regnis Othomana gente,
Petite fertiles Idumeę campos,
Erepturi fœdis canibus ſepulcrum,
Quo iacuit Chriſtus Tonantis filius,
Ignominioſam paſſus Libitinam
Cruore diuino madefacta cruce.
Et tentate diras extinguere leges
Arabis prophetę, quem Furię premunt
Igne ſulfureo Pyriphlegethontis.
Tum Chriſtum, ciuéſque ſtelligerę domus
Reducite templis vrbis Dauidicæ,
Et gratos ſuperis concinite pſalmos,
Ore pio claras Iordanis ad vndas,
Veſtigia magni ſectantes herois,
Qui ſanguine ſatus Lotharingiaco,
Sarigenas pia fudit militia,
Et regnauit alta Solomonis arce.

AD PETRVM SYLVAGIVM.

HIC licet amicis excipiar menſis,
Quæ poſſint cum cœnis Phęacum certare,
Ac vtrumque Diuûm munere parentem
Reperiam molli ſenecta fruentem,
Et capiar pulchris Aæ fluminibus,
Semper Amyclæo candentis olore,
Et ſpatier ſyluis amęno virore,
Vmbram prætexenti Solis luminibus;
Pleniſſimè tamen lætari nequeo,
Cùm videam Martis adhuc reliquias
Furentes ad Scaldin, & Moſam liquidum,

Et latis finibus quos poſſident Flandri
Nimium vicinos Arteſiæ campis,
Studioſiſſimæ pacis,& citharę,
Quam pulſat niueis Apollo digitis.
Hęc eſt cauſa Petre,cur adhuc lugeam,
Nec vultus hilares oſtendere poſſim;
Nec prius gaudio cor afficietur,
Quàm videam fera quieuiſſe bella,
Et inſanum Martem reliquiſſe Belgas,
Repetita rupe montis Odryſij.

IN LAVRVM DOMESTICAM.

TE paruulam liqui Penëia virgo,
Cùm Bertino ſacras deſererem lymphas,
Inuiſurus clara Latij flumina,
Et Lydium colles ad Tiberim ſitos;
Nunc domum reuerſus ab vrbe Romula,
Te longo video ſtipite ſurgere,
Et aëris altum metiri ſpatium,
Quæ res cordi magnam voluptatem parit,
Et oculos grato virore reficit.
Ergo mihi poſthâc licebit ſub lauro
Spatioſis vmbram ramis miniſtrante,
Modulari verſus mei Mæonidæ,
Et teſtudineas impellere chordas,
Pollice grauium neſcio curarum,
Quibus vulnerantur Batauorum corda
Sanguinei Martis fraudibus decepta.

IN EANDEM.

ARbor Theſſalica ducens ortum ripa,
Si mihi fauerint Pierides Deę
Spatianti tuas virides per vmbras,
In horto varijs coloribus picto,
Curabo verſibus Mnemoſyne dignis,

Vt nomen habeas ſpecioſiſſimum,
Nec Ogeriana tacebitur Laurus,
Non magis, quàm luci quercus Mariani,
Nota Tulliana ſuper aſtra lyra.

AD BLENDECCAM.

OPtauere quidam Tybur Argolicum,
Senectutis ſuę ſedem molliſſimam,
Vel terram Spartano regnatam Phalanto,
Vel vrbem Sirenis, in otia natam:
Aſt ego non falſa ductus ratione,
Blendecca Sitio poſita ſub cœlo,
Exopto te meæ requiem iuuentę,
Et aſperrimarum leuamen curarum,
Si quando non lętas exedent medullas:
Nam quæ conueniunt pellendis luctibus,
Et triſtem recreant Aoniæ domum,
Hîc omnia ſimul iuncta reperies.
Hæc arua vitreis rigat Aa lymphis,
Et plures aſpicit, quàm Penæus lauros,
Et fœliciores excipit Zephyros
Saltus per virides, quàm Tagus auriferi
Hîc in dulces cantus ora ſoluunt aues
Picturatis luco pennis volitantes,
Et latè liquidos lacus tenent cycni
Montis Amyclęi niuibus certantes,
Et apricis fontes funduntur collibus
Per valles iucundo labentes murmure,
Et pulcri Pęſtanis horti rubent roſis,
Nec hîc liber lętas deſiderat vuas,
Nec frumenta Ceres, nec poma Vertumnus,
Nec apum ſuſurros Cyrenæa proles.
O rus & celeri remigum palmula,
Et equorum citis vngulis petendum.

AD IOANNEM BOGARDVM.

IOANNES, multi putauere viri,
Quem Geſſoriacum Cęſar appellauit
Portum Morinorum bellis optimorum,
Eſſe Bononiam ponto finitimam,
Vel quod Caletium nunc Galli poſſident,
At Britannicarum domini terrarum
Aliquo tempore tenuerunt Angli:
Sed errant à vera lapſi ratione:
Nam Geſſoriacum fuit Soriacum,
Pulcer Audomarę ditionis pagus,
Alludens ad priſcum nomine vulgari,
Mille paſſus diſtans ab vrbe Sitia,
Ad ſacellum ſitus vicinum Blendeckæ,
Et Helifalio monti, qui deſpectat
Vrbem Tarūanam caput Morinorum,
Quæ nunc Marte fero diruta cecidit.
Nam Sitius olim mari pulſabatur,
Quod extendebatur vſque Soriacum,
Vbi nunc aduncis anchoræ dentibus
Eruuntur ſæpe telluris è ſolo,
Cùm ſcinduntur agri vomere rigido.

AD EDOARDVM LENTIVM BLENDECKÆ DOM.

LEntulus ad Tiberim generoſa ſtirpe creatus
Cæſaris armigeras eſt comitatus aues:
Cùm Morinas gentes Bellona vrgeret acerba,
Et premeret iaculis Gallica regna ſuis.
At poſtquàm voti compos diſceſsit Iuli
Progenies, referens clara trophæa domum:
Lentulus huic regno prężectus manſit in aruis,
Quæ rigat Arteſio lucidus Aa ſolo:
Vnde genus ducis; ſed nunc tua Lentia claret,
Temporibus priſcis Lentula dicta domus.

AD

AD IACOBVM BVLTELLVM.

VRbs, cui nomen erat memorabile Sitius olim,
Quam ſecat vndiſono ſtrepitu liquidiſsimus Aa,
Et celebrant niueo candentes corpore cycni,
Caſtalias laudes, Pataræáque plectra meretur.
Non ego præcipites foſſas, nec mœnia dicam
Alta, quibus longo gens hæc circumdata gyro
Barbaricas acies, hoſtiliáque arma repellit.
Nec referam Parijs extructa palatia ſaxis,
Nec fora, nec latas pergam celebrare plateas,
Quęque peregrinos retinent ſpectacula vultus;
Nam non conſtituunt vrbes ingentia ſaxa,
Lignáue, vel nitido rutilantia tecta metallo;
Sed ciues pietate graues, ac laudis auari.
Nec cunctos memorare mihi ſententia nunc eſt
Egregios homines, quibus vrbs celeberrima floret,
Hoc etenim fluctus eſſet numerare marinos;
Sed paucis tantùm numeratis carmina ſoluam.
Et quis Cröiaden magnum non protinus ore
Hymnifero excipiat, vigili qui pectore gentem
Audomaram ſibi commiſſam tutatur, & auget?
Atque Valentinum, valido qui robore præſtans
Sæpe pedes fuſo victores hoſte reportat,
Et Crucios ſimiles Thomę, quem fudit Aquinum,
Atque Machaonia Malepaucos laude vigentes,
Temporáque Aonia redimitos fronde Gerardos,
Ac Oberoniadas inſignes Marte forenſi,
Et Magnos, & Brantigenas, Therósque diſertos,
Progeniem Themidos certam, legúmque ſacrarum
Cuſtodes inculpatos, quorum optime cœtus
Iuridicos Iãcobe paras augere, nouúmque
Hoc cumulare decus patriæ, patrique, tuiſque;
Quem nunc Cæſarei ſpatioſo culmine montis

Alma Dice lauro tegit alta ſede locatum;
Quam duce Riderio properaſti tangere metam,
Magna relaturus virtutum præmia, victor
Deſidiæ, validi telo ſudoris abactæ,
Quem comitantur opes, & honos, ac fama perennis.
Sic longo vecti pelago flauentia tandem
Littora contingunt nautæ, portuque recepti
Veliuolas puppes folijs viridantibus ornant;
Quique ſolum terræ Cereali vomere ſulcant,
Poſt aliquot menſes ſpicas, ac tempora meſſis
Læta vident, fructuſque ferunt, hilarantque labores.

SOLOR OLOR.

SIMO-

SIMONIS OGERII SYLVARVM LIBER OCTAVVS.

Ad Ivlianvm Megalophilvm.

EST inter amœnum flumen Agnionam,
Et Vateniaci cacumina montis,
Locus frondifero pulcerrimus luco.
Hîc ego, dum cœlo Sitius arderet,
Et orbem medium Delius hauriret,
Errabam per prata flore comantia,
Arborum defenſus vmbra viridante
Ab æſtu, qui cœlo fluebat ab alto,
Et modò ſpectabam de collibus vrbem,
Cui nomina ſanctus dedit Audomarus,
Modò cœruleas admirabar vndas
Oloribus tectas, quot Cäyſter alit.
Interdum cupidis auribus captabam
Auium carmina, ſaltum per viridem;
Interdum mollibus in herbis deponens
Fatigatos artus ambulatione,
Dulces modulabar Areoſti verſus,
Quibus decantauit Milonis filium,
Diris agitatum Furijs amoris,
Ob Galafronię nuptias puellæ.
Cumque delectarer lepidis verſibus
Vatis Ferraria tellure geniti,
Et his ſubleuarem curarum pondera,
Quibus me Belgicæ premebant ruinæ,
Protinus ſonitum ſenſi terribilem,
Et vertens oculos ad amnem limpidum,
Et montes herbidis vicinos alueis,

Quos ad cælum tollit Reminganus ager,
Aſpexi flammeis monſtra luminibus
Corpora nodoſis voluentia ſpiris,
Nunquam viſa prius hac in regione,
Si vera referunt ſenes multa paſſi
Longam per ſeriem lucis erumnoſæ;
Quæ mihi gelidos incuſſerunt metus,
Et horrore flauas arrexerunt comas,
Totáque facie fugarunt ſanguinem.
Illis monſtris erat Echidnæum corpus,
Maculis diſtinctum veneno turgidis,
Caput furiale, vox minaci ſono,
Referens latratum canis tergemini,
Qui pallentes vmbras exercet ſub Orco,
Ad nigrantes vndás Stygos Tartareæ.
Nec ſolus portentis his ego terrebar;
Sed cycni flumine natantes placido
Leues auras pennis ſollicitauere,
Ac alios amnes optauere ſibi;
Et volucres luco viridi canentes,
Suppreſſere cantus, hoc ſaltu deſerto;
Nec non piſces ima petiere vada,
Et fluuius clarum mutauit colorem,
Et obſcœno fluxit turbidus alueo.
Tum flores per prata fulgentes nitida,
Fulgores nitidos ſtatim perdidere,
Tacti peſtiferæ ſobolis halitu
Obſcurante cœli cęruleos vultus,
Et nebulas claro prætexente Soli.
Has inter belluas eminebat vna,
Fæditate vaſti corporis excellens,
Totque gerens dira ceruice capita,
Quot Hydra Tonantis obiecit filio,

Spolijs

Spolijs armato feruidi leonis,
Et claua trinodi belluam petenti
Ad Lernæ paludes prǫlia cientem.
Hæc, vt dux milites ad pugnas anteit,
Præcedebat omnes, in me ferens greſſum.
Aſt ego non armis, nec robore fretus
Quærebam ſalutem,ſed pede celeri,
Et clamore magno replebam nemora,
Nil intactũ linquẽs quod pelleret mortem.
Sed hinc me fluuius, hinc me mons arcebat,
Et fugam vepribus obſitus vetabat;
Qua veneram ſyluæ floridos in ſaltus,
Semitam ſerpentes horridæ tenebant,
Et iris percitæ magnis me petebant,
Virúſque Stygio gutture fundebant,
Quo tactum lurido me ſtrauerunt ſolo,
Nil niſi rigidas expectantem Parcas.
Iamq́ue tumeſcebat corpus omne viro
Mihi Tartareis faucibus infuſo,
Nec poteram partem mouere corporis,
Sola mihi meos lingua caſus queri
Fatum permittebat,hac parte candidum,
Et in hæc hanc verba ſolui miſerrimus.
O cur Italicos vnquam liqui fines,
Et pulcrum Tiberim,Tarpeiumq́ue iugum,
Vt his conflictarer monſtris deformibus,
Et tantos infǫlix haurirem labores?
Non infligit tales Charybdis dolores
Nautis Sicanium ſulcantibus æquor,
Nec Scylla Niſæis latrans inguinibus,
Et leto paratis horrida dentibus.
An ideo priſcos ſuſpirabam lares,
Tam cupido paſſu repetens Sitium,

Et

Et Michaëlij verticis cacumen,
Aamq́ue vitreos voluentem latices?
An non finem dari par erat etumnæ,
Tacta Morinorum fertili tellure,
Atque Ruholia regione viſa?
O patria, quis te putauiſſet vnquam
Tam dira ſpecie monſtris obnoxiam?
Succurrite mihi Vatenides nymphæ,
Et quęcunque nemus hoc Diuę tenetis,
Ac colitis claras Agnionæ lymphas,
Et campos quos pulcra poſſidet Flandria,
Et huic contermina tellus Arteſię.
Tum vos lauricomi dominę Parnaſſi
Ne Simonem quęſo veſtrum deſerite,
Periturum veſtro deſtitutum ſcuto.
Hæc ego non ferens vlterius peſtem,
Nec virus à turba fuſum viperea,
Quæ gyros per alta ducebat gramina,
Et ob victoriam gaudio fremebat,
Moxq́ue meos artus erat petitura
Dente peſtifero famulante leto,
Huc vſque contenta meis doloribus,
Quos acerbiſſimos me ſciebat pati.
Et ecce clamores inter, & querelas,
Quas fundebam corde funera ſperante,
Viſus monte celſo deſcendens adeſſe
Heros eximia pręditus figura.
Claro videbatur priuatus lumine,
Sed acutiores habebat oculos,
Quàm ſerpens Libycus, vel Iouis armiger,
Et quiſquis Lyncæa fruitur acie.
Albi crines ſacra velabant tempora,
Candidior zonam barba contingebat,

Lætam

Lætam porrigebat Euphroſyne frontem;
Palla ſpatioſis pendebat humeris,
Et ad pedes vſque demiſſa nitebat,
Dimidia parte purpuram referens,
Dimidia maris colorem cęrulum.
Huic duę comites ſe iunxerant Nymphæ;
Quæ dextro lateri propior aderat,
Ætate florida lanceam vibrabat,
Bellatrix,ac magnę Palladis ęmula:
At quæ nympha latus ſiniſtrum claudebat,
Ætate prouecta capillis albebat,
Et valida manu remum quatiebat,
Reddens cęruleas Leucotheę genas.
Harum ſenex ille medius nympharum
Citharam pulſabat eburno pectine,
Qua nihil dulcius audit Pieria.
Et accurrens ad me paſſu non inerti,
Bono ſis animo,dixit,Allardide,
En inopinatas fero ſuppetias,
Quòd ſacra muſarum ſemper amaueris,
Notiſſimus ſanctæ iugis Aoniæ.
Vix hæc ediderat,cùm ſerpentes diræ
Viſa maieſtate vatis armiſoni,
Et audito diæ ſtrepitu citharæ,
Tranſmiſſo paludes petierunt amni,
Et me reliquerunt dolentem veneno,
Sed gaudentem tamen abſceſſu Stygio:
Tunc ſenior, non te SIMON, inquit, ſinam
Vlterius premi doloribus atris,
Quos tibi ſuffudit anguineum virus.
Nec mora,loculis depromit eburnis
Gramina,quæ fontes alluerant ſacri
Creſcentia ripis Caſtalidos vndæ:

Hiſq;

Hiſque preſſis ſucco me ſparſit ſalubri,
Et ecce ſubitus membris ceſſit tumor,
Et amariſſimi quierunt dolores:
Tunc alacer ſurgo, complectórque pedes
Heröis Atropo me ſurripientis;
Et gratias ago, rogoque quis eſſet,
Et quænam clauderent latus ſacrum Nymphæ.
Tunc ille, non, inquit, agnoſcis Homerum,
Quem poëtę colunt omnes, vt parentem,
Et tu præcipuè coluiſti ſemper,
Colophoniacę captus ſono lyræ?
Hæ nymphæ ſunt meo genitę cerebro,
Non ſecus ac magna Pallas eſt edita
De capite Iouis à capra nutriti;
Tunc ego, dic, inquam, Męonide mihi,
Vnde tam ſubitam mihi feras opem,
Talibus oppreſſo calamitatibus,
Et Phlegethontia circumuento fraude?
Tunc ſenior tales corde fudit voces;
Læti Parnaſſio monte ſedebamus,
Et citharę chordas ſollicitabamus,
Cùm Delius doctas aſpiciens Nymphas,
Hauſtis luctiſono corde ſuſpirijs;
Noſter OGERIVS, inquit, iam iam cadet,
Et mortis acerbę tela ſatiabit,
Si non occurramus venienti fato,
Et Acherontias narrat inſidias;
Ego vocor, inquit, quò ſcitis locorum,
Et vos vna mecum Pierides Deę,
Nec rumpere fas eſt iter inſtitutum,
Nec ſpernere decet preces Angelias;
Nos huic Męoniden mittamus Sotêra,
Et ad me conuerſus hortatur ad arma,

Et opem miſero tibi perferendam;
Ipſe Romuleam contendit ad vrbem
Cum Muſis, à vate vocatus Hetruſco,
Meditante ſummam manum Syriadi;
Syriadi meo reſponſuræ plectro,
Qua monet principes Chriſtum venerantes,
Vt in Turcas ſua vertant haſtilia,
Et bello laceſſant Abdaricos lares,
Inter ſe poſitis omnibus odijs:
Exemplo ductoris Lotharingiaci,
Qui Gallicas olim perduxit cateruas
Ad Libani fontes, arcemque Sionis,
Et fudit ſuperbos Arabum filios,
Dominatus vrbe Solomoniaca.
Ego motus dictis Latoæ ſobolis,
Ad iter me paro, curſumque celero,
Et hoc tibi monte pręſidio fui.
Sed dic poëtarum decus eximium,
Quænam ſint belluæ mihi ſic infeſtæ,
Et quibus notentur ſingulæ vocibus.
Tunc vates Muſæo genitus Dæmone;
Nonnullas dignabor ſuis nominibus,
Sed plurimas, inquit, ſciens pręteribo.
Illa quæ Lernæa gerebat capita,
Agnœa nefando nomine vocatur,
Quo nullum tetrius generauit monſtrum
Tartareus triſti Cocytus flumine,
Nec enſe, nec telo fugandum, ſed arte
Tantummodò lyrę, quam fero manibus,
Quam non fert Erynnis Cerbero genita,
Immortale malum non ſecus ac Scylla,
Quam meus Vlyſſes incaſſum petijt
Cuſpide, mandato Circes violato.

Hæc

Hæc Martem ſequitur, quocunque vagatur,
Tumultus excitans ſanguinea manu,
Mæoniæ pacis hoſtis accerrima;
Et autor malorum, quæ fiunt per orbem,
Et hac nocte nigras hæc nacta paludes,
Quæ nitidę tingunt Eptreleckes arua,
Quibus hoſpitibus vſa perbenignis,
Phœbo luce ſua terram retegente,
Te vidit in campo floribus amicto:
Et quia comitem te ſcit Aonidum,
Et cultorem ſancti, quem colimus, montis;
Ac imprimis verſus Smyrnęos amantem,
Quos olim cecini Meletis ad amnem:
In te repentinum faciens impetum
Hoſce tibi metus incuſſit pallidos,
Et, ſi potuiſſet, intuliſſet letum.
Iſtę quæ fœtidam ſequuntur belluam,
Illius creatæ ſunt ſanguine fœdo,
Hybris, Aſebea, Phylopis, Harpage,
Hyperiphania, Methe, Blaſphemia,
Atimia, Lobe, Cacia, Cacotis,
Tum peſtes aliæ Superis inuiſæ,
Auribuſque graues Heliconiacis.
Et nunc in Britannos meditantur iter,
Relictis, quas diu vexarunt, gentibus;
Niſi mox incœptæ pœniteat vię,
Vt eſt leuiſſimum Stultitiæ genus.
Hæc cùm protuliſſet inſignis Homerus,
Aſcendit in currus oloribus tractos,
Cum duplice Nympha, quam ſecum duxerat,
Et Parnaſſi claras repetijt vndas,
Seruato Simone, fugatiſque monſtris.
Aſt ego poſt eius abitum reliqui

Hy-

Hyſardium flumen, & montes amœnos,
Pratáque colore floreo fulgida:
Et ad locum paſſus alacres retuli,
Quem Bacchum vulgari nomine vocamus,
Quòd ibi locorum Liber coleretur,
Et educta cœlo delubra teneret,
Olim cùm Morini neſcirent Iëſum,
Et ſuperſtitio mortales luderet.
Ibi vulgo plenum nactus nauigium,
Auferor ad portas vrbis Sitiacę,
Hinc ad meos recta propero penates,
Et ingreſſus ſacrum Camœnis muſæum,
Arreptis calamis narrare geſtio
Pericula mihi parata, dum ludo
Per prata varijs picta coloribus,
Propter aquas ſancto ſacras Ægidio,
Et Grauelinias currentes ad vndas.
Gaudebis Claria ſtirps Megalophile
Talibus ereptum caſibus Simonem,
Amicum Theſæo tibi iunctum nodo,
Quo gaudente gaudes, ac dolente doles;
Vt ſemper indicas experientia,
Nunquam Iugurthina mihi viſus fide.

AD MARCVM ANTONIVM MVRETVM.

TOT annos colui fines Italicos,
Modò Romuleum ludens ad Tiberim;
Modò Baldiacum ſpatians ad amnem:
Quot Argiuis Troia ſub hoſtibus fuit:
Et cur huc alite picea redij,
Deſerta fœlicis Oenotriæ terra?
An vt aſſiduo tabeſcerem luctu,
Et męſtis oculos imbribus fœdarem?
Nam quis non gemitus cieret pectore,

Et

Et genas tingeret lacrymarum rore,
Si videret agros cæde ſaturari,
Et Martis comites Limon,atque Lœmon
Errare per vrbes noſtras atro paſſu?
At tu prudentior Antoni diſerte,
Qui ſeruas beatas aſſiduè ſedes,
Quas tantis petijt olim ſudoribus
Magnanimus pulcræ Veneris filius,
Genitus ad claras Simöentis vndas,
Anchiſa paſcente Dardanios boues.
Has tamen repetam ſi Mars permiſerit,
Et ſiluæ gladijs infames latronum:
Aut ſi mihi deus nunc aliquis donet
Vel alas Dædali,vel alas Perſeos.
Quas ſi ſemel læto pede contigero,
Certò ſciat dulcis mater Arteſia,
Me non illibenter hîc Loton eſurum,
Et poſthabiturum tumultus quieti.

AD PETRVM BACCHERIVM THEOLOGVM.

NOn me nego Petre ſimilem Lycio
Qui ferro mutauit aureum thoraca,
Vel illi, qui panem niui contendentem
Permutauit atro picem referenti:
Nam ſtultè mutaui Latiam quietem
Tumultu per campos errante Belgicos.

AD IOANNEM MACARIVM.

NIL eſt Ioännes quòd huc reuertare.
Mane,mane,Roma domus eſt Deorum,
Et locus quietis, & pacis aureæ,
Ac domicilium Dircææ ſobolis.
Aſt hîc bella vigent, dirique tumultus,
Et tympana tonant, & mugiunt tubæ,
Et Furiæ laxis vagantur habenis,

Ac ſanguinem ſparſum latè terra videt,
Et Rhenus, & Scaldis, & Moſa, Sabisque,
Cruore fœdati petunt Oceanum.
Quare ſi beatus, id quod es, vis eſſe,
Ne pedem moueas Latia tellure,
Necdum Pleumoſios deſideres agros:
Tempus, tempus erit, quo pax reuertetur
Ad Belgicum littus, & Flandricos lares,
Et nos ſacrilegus Mars tandem deſeret,
Et repetet feros Biſtonum Penates:
Tunc poteris dulces reuiſere terras,
Et vicinam magno Grauelinam mari,
Tritonásque conchas inflantes marinas,
Ludentésque flaua Nereïdas ora,
Et Neptuniacos exercentes choros.

AD SERMONETAM.

SErmoneta pulcro poſita Latio,
Haud procul Velitris, Norbanoque muro,
Et Vfentis lympha longè clariſſima;
Sæpè flores legi tuis in ſaltibus,
Cùm December horas exigeret breues,
Ac hyemis cœlo curreret orbita:
Et aure cupida citharas excepi
Aſſiduè tuo monte perſtrepentes;
Fruens almæ pacis iucunda quiete.
Nunc verò niueos Vere miror globos,
Próque lyra tubas audio cruentas,
Et meos video Belgas occumbentes
Funere miſero, ciuilique rixa,
O Metamorphoſim mihi deplorandam.

AD CIRCEN.

GRadiuus cùm pulcrum fremeret Adonim
Cynthię iucundo teneri ſtudio,

Et cupido ſinu Diones teneri:
Inuidiæ nigro ſtimulatus œſtro,
Tuis,ô Æça, mutauit artibus
Armipotens apro numen ſetigero,
Et ferus aduncis excepit dentibus
Flore iuuentutis heroa peremptum.
At poſtquàm Marica Manes adiiſti,
Et meis Circæum reliquiſti iugum
Caëtanis,latè Latio dominis,
Quà Satura palus humorem diffundit,
Et in montes altos ſurgit Sermoneta,
Nympháque roſeos diſpergit odores:
Mars Megæræ tetro perfuſus veneno,
Ægerrimè ferens Belgarum populos
Irenen,& Muſas amore proſequi,
Contemptis Bellonæ cruentis artibus:
Adita te lucis ſpatiante nigris,
Vbi Tartareas iacit Orcus vmbras,
Tuo ſuaſu ſæuæ Tigridis figuram,
An potius trucem Pantheræ faciem,
An verius formam Tiſiphones dicam,
Simulat mutatus,diſſimulans Deum,
Et Gallos miſerum lacerat in modum;
Euertens Flandrorum magnificas vrbes,
Et miſcens veſanis meſſes incendiis,
Et amnes maculans ſanguineo rore.

AD VERONAM.

VErona Venetis poſita collibus
Ad Atheſim flumen vitreo colore,
Sæpè tuis luſi ſpatians in agris,
Tectus viridantis ſyluæ grata nube;
Et carmina fudi voce liberrima,
Procul à me curis abactis in mare,

Quod

Quod miſcet Dalmatis Hadria fluctibus:
Nunc ſors mea diris me miſcuit bellis,
Et pro Mæoniæ carminibus lyræ
Me voluit cantus audire tubarum:
Proque purpureis floribus videre
Sanguineo campos liquore natantes.
Et non infęlici reliqui ſidere
Tuos ſaltus largo gramine virentes,
Nec ſedem negantes Pataræ domino,
Nec paci, quam chorus amat Poëtarum,
Et quiſquis perſequi vult Eudæmoniam?

AD ITALIAM.

SI pręſciſſem tellus Itala labores,
Quos tuli reuerſus ad fines Belgicos;
Nunquam me mouiſſem regione tua,
Regione bonis rebus opulenta;
Nec aureos plumbo mutauiſſem nummos.
Nunc neſcius fati, ſortiſque futurę,
Incautum ſubieci caput periculis,
Et dolis, ac mille fraudibus hominum,
Qui neſciunt vlla Themiſtos fœdera,
Et Pleonexia duce cuncta gerunt.

AD ATHESIM.

ATheſi Rheticis defluens montibus,
Et rigans Baldicæ regionis æquor,
Quà ſurgit amœnis Verona collibus,
Et glaucas oſtentat Tritonidos opes:
Non tu vincis Aam copia piſcium,
Nec aquis dulcibus, nec amne limpido,
Nec arbore pulcras conſita per ripas:
Sed aureæ pacis iucunda quiete,
Quam iamdiu Nympha non vidit Sitia,
Iuſtiſſimo Martis affecta tędio,

Et feſſa Bellonæ cruenta facie;
Tot audiens cantu tubas armiſono;
Quot tu vel tibias, vel citharas audis,
Gentem tuam dulci ſonore mulcētes.

AD ANTONIVM FORNERIVM BENEDICTVM.

TE duce ſæpè caſam ſubij, paruóſque Penates,
In quibus aërias vates cultiſſimus auras
Excepit primùm genitricis lapſus ab aluo
Cotta breui functus (ſic Parca popoſcerat) æuo;
Carmine ſed docto ſemper victurus in orbe,
Nec Colophoniacæ cariturus munere famę.
At mihi viſa domus ſtipulis agreſtibus horrens,
Eſſe Paretonia Lagi pretioſior aula.
Et Vangadizam fęlicem ſæpe vocaui,
Quòd talem niueo genuiſſet Apolline vatem.
Me quoque Tartareæ duxiſti ad ſtagna paludis,
Eridaniq́ue lacus molitum piſcibus atra
Funera, demiſſis in opacas retibus vndas;
Et ſecum portante domum teſtudine dites
Sæpè tuas celeri lembo repetiuimus ædes;
Nec ſemel egregias ſedes, vallúmque ſuperbum
Arcis Leniacæ longis celebrauimus horis,
Sermones lepidos variis de rebus habentes,
Ad ripas Atheſin generoſa vite beantes;
Et virides hortos, qui lilia cana, roſaſq́ue
Purpureas oculis referunt, ſeu luſtret Aprilem,
Qui tulit Europam ventoſa per æquora Taurus;
Siue micet Chiron iaculis oneratus acutis,
Luciferúmque iubar comitetur menſe Nouembri.
Quid memorem menſas, & odori pocula Bacchi,
Cecropiaq́ue tuos mores dulcedine tinctos,
Et digitos querulas habiles percurrere chordas;
Threïciáſque ſuis referentes cantibus odas?
O ego Forneride, ſi nunc ea rura tenerem,

Quæque tuis inſtant tectis ſpatiarer ad vndas,
Per loca frondifero nunquam viduata lepore:
Nō miſer audirem gemitus,ſtrepitúmq; rotarum
Belgiacas acies in prælia ſæua trahentum:
Nec rigidæ ſonitus haſtæ,gladióſque timerem,
Nec clangore tubæ longè tremefactus abirem.
Nec terram aſpícerem rubicunda cæde natare,
Atque cruentatos amnes in Nerea ferri,
Oceaniq́ue ſacras maculari ſanguine lymphas,
Membraq́; ſquammigeris mortalia piſcibus eſcas
Obtrudi,ac plenis phocas hilarare medullis;
Nec vaga conſpicerem latis incendia terris
Serpere,cumq́ue ſatis virides inuoluere ſyluas,
Et celebres nitidis abſumere mœnibus vrbes;
Belgiadáſque nurus incendere luctibus auras,
Et lacerare genas,ac tundere pectora pugnis;
Et querulas raptis huc illuc ire capillis:
Non ſecus ac Getico ſtimulatas Mænadas œſtro;
Natorum,aut patrum miſera de cæde dolentes,
Inferiaſq́ue viris lacrymarum dona ferentes.

Ad Petrvm Hesdinivm.

Petre Caſtaliis gratiſſime Nymphis,
Et Odidamiæ gloria cateruæ;
Nuperrimè tuas accepi litteras,
In hunc fermè ſenſum doloris indicem;
Simon Sitiaca genite ſub ora
Ad amnem Ledæis alitibus tectum,
Mihi grauiſſimos incuſſit dolores
Mauors ſanguinea cuncta verſans dextra,
Et peſtis, & fames Martiæ comites,
Quibus miſerrimum premitur Belgium,
Et interit multa mortalium turba:
Sed & hoc intimas cruciat medullas,

 Quòd

Nam nondum Plantinus efflauit animam,
Et vitales auras etiamnum ducit
Bogardus vterque, pater cum filio.
Quòd autem veſana rideris à turba;
Non eſt nouum. Vulgus ſemper odit Muſas,
Et pluris ſunt foris, quàm domi Camœnæ.
Et granum Pyropo triticeum præfert,
Qui vocat Auroram clara voce Gallus,
Criſtis aptus ales, Marti gratiſſimus.
Vale, Simonemqve dilige gaudentem,
Saluum te patrios repetiſſe lares.

Ad Federicvm Cervtvm.

NOn ita Pylades amauit Oreſtem,
Nec frater Helenæ gemellum Caſtora,
Nec Ixioniden Neptunius heros:
Vt te medullitus amo Federice
Ob Dircæas artes, & candorem tuum;
Nam me, dum colui Baldiacam ſedem,
Et fluuium valle labentem Rhetica,
Et in mare Foſſa labentem Clodia;
Quibus potuiſti rebus exornaſti,
Nec Cerutas vnquam ſenſi clauſas ædes,
Nec minus benignas manus, quàm parentum.
O quàm ſæpè ramis nos texerunt ſyluæ
Vmbroſi tramitis via ſpatiantes,
Vel iacentes ſolo graminibus ſtrato,
Ad garrulum caput fontis argentei,
Cùm ſereni Soles prouocarent æſtum,
Et noſtri ſudorem formidarent paſſus!
Ibi blandiſſima cantabamus voce
Carmina Maronis, vel vatis Appuli,
Quem ſcholiis nuper doctis illuſtraſti;
Illis committentes Mæonios cantus,

Et Siculos verſus, & fides Aſcræas,
Et principem turbæ Pindarum lyricæ.
Necnon ex tempore carmina fudimus,
His & his numeris, vt aures poſcebant,
Modò Romulea,modò Græca voce:
Atque feſſi longæ carminibus Muſæ,
Luciniæ gratos excepimus cantus,
Syluas hilarantis voce Cecropia;
Dum queritur dirum Tereos amorem,
Et Ityn occiſum furore materno.
O vitam fęlicem,ſortémque beatam,
Hominum Penæa velatorum Nympha,
Et anteponendam diuitiis Midæ,
Et Crœſi Lydium poſſidentis aurum.
Vah quàm fortunatus tunc temporis eram,
Vacuus bellica ſollicitudine,
Et Irenes gratis circumdatus vlnis,
Inter Piërias, quas veneror, Deas.
At vide,quàm mihi nunc ſors aduerſetur,
Et triſte concinant omen aues nigræ,
Ac inſtent piceis Aquilones alis,
Et malignam lucem iaculentur aſtra.
Miſerè meorum cupidus parentum,
Patriam fontibus claram repetij,
Relicto Venetæ regionis agro,
Toleratis via mille laboribus,
Atque periculis euitatis mille,
Fruor nunc patria,quam Mauors peſſundat,
Et indigniſſimis afficit cladibus;
Vrbes vrens noſtras,ac maturas meſſes,
Et flumina fœdo maculans cruore,
Manante gladio cæſis corporibus.
Quare ſi liceret per impios enſes

Eorum,

Eorum,qui ſyluas cædibus infamant,
Ilicò referrem Venetos ad fines
Feſſos greſſus meos Gallico limite;
Et Veronę mei nunc eſſent oculi.
Sed creſcit Erynnis dira quotidie,
Et parricidarum manus ſanguinea,
Quæ vota Britannum dant mea per fretum
Aſportanda Noti flamine turbido.
Nec ſpes repetendę datur Italiæ
Hoc tempore,malis æſtuante bellis,
Et ſyluis ſanguine ſparſis viatorum.

IN ACHARISTVM.

SI non inueniſſes vibe me Romana,
Exeſus immundis vermibus periſſes,
Nec certam tuliſſet vllus opem tibi
Barbaro,nec vlla polito doctrina:
At nunc quę pręſtitit Vlyſſi Calypſo,
Ogygio ventis littore iactato:
Ego tibi ſcelus benignè pręſtiti,
Et multò maiora, motus pietate,
Non meritis tuis,quæ nulla fuere.
Tibi veſtem dedi,lectum,pecuniam,
Et otia feci,cùm mihi ſeruarem
Negotia,prole digna Pïeridum.
At nunc officij penitus immemor,
Iniuria caput laceſſis indignum,
Et me calumniis oneras iniquis.
Quin, ſi poſſes, dulci ſpoliares vita.
Sic has mihi refers Achariſte grates,
Nec times Nemeſim,nec diuinum numen,
Nec Achariſtias vltrices furias?
Dabis,dabis pœnas aliquando graues,
Nec hoc vnquam ſinet Olympus inultum
Facinus, quod Scytha nollet admiſiſſe,

Nec Cyclops, nec fera Lęſtrigonum turba,
Nec terras incolens vltimas barbarus,
Duritia duræ ſilicis durior.

AD AMADEVM DANIELIVM.

AMadee colis colles Euganeos,
Et vrbem, quã manus cõdidit Phrygia,
Comitata ſeros Antenoris annos,
Ad viridiſſimas Medoaci ripas,
Haud procul ab vndis quas voluit Hadria,
Iracundiſſimus Venetię ſinus;
Poſtquàm Graios ignes pauiſſent Pergama,
Et Dardanas opes victor abſtuliſſet,
Et quęrendas ſedes nouas admonerent
Heneti, magnoque Paphlagones corde.
Hîc igitur degis hoc ęuum tempore,
Et Antenoreas vagaris per vmbras,
Et ambulas aula Peripatetica,
Ac pulſu Lycææ mulceris citharæ,
Relictis montibus Baldicis, & vrbe
Quam Brennus cõdidit Senonum regulus,
Ad Atheſim flumen longè clariſſimum;
Vbi ſæpè mecum ceciniſti verſus
Poëtæ, quem patrem Poëtarum vocant,
Qui bene ſentiunt de re Poëtica.
O quantò ſors tua mea fęlicior!
Hîc nil niſi voces audio tubarum,
Mortiferos belli furores cientum,
Et Muſis Belgica pulſis regione,
Odioſi Martis horrida rabie,
Video barbaram militum faciem;
Et cum mari terram cędibus pollutam,
Omniaque plena Stygio tumultu,

AD ADAMVM FVMANVM.

ADame, cui nemo contendat ſermone,
Quem tinxit Attico melle Demoſthenes,
Nec lingua, quam doctus poliuit orator
Tullius Latinæ ſplendor facundiæ:
Ecquid agis?num te tenet nunc Fumana
A magnis ornata Turrianis villa,
Sed ornatiſſima tuis natalibus?
An Atheſis agrum currens per Venetum,
Et Veronæ colles alluens amœnos,
Vbi fundas verſus ore puriſſimo
Graïis, & Latiis compoſitos ſonis?
An autores Græcos artis Chriſtianæ
More tuo doces Latio vagari,
Verſandos manibus olentibus Romam,
Et lepidiſſimos Læliorum flores?
Quicquid agis, vbi moram cumque trahis,
Es beatiſſimus ſorte Mæonia,
Et otio,læta quod facit Fortuna,
Si cui, fauens tibi pollice candido.
Aſt ego,ſic fata iubent nigerrima,
Nec mihi ſecundas experior Muſas,
Nec facilem votis Eutychiam meis;
Sed luctor cum Marte ſceleratiſſimo,
Et fleo Belgicas oculis ruinas,
Nunquam mœſtiſſimo deſtitutis rore.

AD LAVRENTIVM FRIZOLIVM.

REctè vocat pulcrum Phœniſſa Latium.
Vt omittam prata flore picturata,
Et ſyluas vmbroſis virentes foliis,
Tum colles amœnos,ac limpidos amnes,
Quibus decorantur arua Latinorum;
Et hîc cum Cerere certantem Lyæum,

Et glau-

Et glaucæ nitidas Pallados arbores,
Atque Vertumniæ diuitias Deæ,
Et Hetruſco mari ludentes Delphinas,
Ac validas arces, vrbésque ſuperbas,
Et laquearia ſplendoris aurei,
Et tectum Pariis marmoribus ſolum:
Quid eſt pacifico numine pulcrius?
Et quid eſt pulcrius Nymphis Aoniæ,
Ac religionis æthereo vultu?
Semper ad Tiberim Superûm cultorem,
Seu Sol oriatur, ſeu terras ſubeat;
Audiuntur claræ teſtudinum voces,
Quas pulſant niueis Camœnę digitis,
Pacali corona caput exornatæ.
Quapropter es longè fortunatiſſimus,
Qui celebres agros Laurentes Laurenti,
Et montes aureo regnatos Saturno:
Ego verò miſer hîc miſerè vexor,
Et conflictor dira cum Martis rabie,
Qui Belgium curis impleuit amaris,
Et flammis, & ferro vaſtauit acuto;
In ſtrages incautas eliciens gentes,
Tubis funereas cientibus Deas.

AD VALERIANVM FLOSSIVM.

O Durum Martiæ ſobolis ſanguinem!
Italas alacer repetebas oras,
Vbi pax Pimplæos læta ducit choros,
Et procul putabas eſſe pericula,
Nec concipiebas animo carcerem:
Et ecce caperis à ſæuo milite,
Et catena vinctus duceris Bruxellas,
Direptis, quas tecum portabas, opibus;
Nec tibi profuit coluiſſe Muſas,

Et Heli-

Et Heliconium celebraſſe montem,
Labráque Dirçęo rigauiſſe lacu.
Nam Mars Piëriam ſpernit dignitatem.
Tandem ſed Apœnis remitteris multis,
Et redderis matri, piiſque fratribus;
Ac amicis tuæ timentibus vitę.
Sed tamen gaudemus ſaluum tibi caput;
Licet doleamus vicem tuam Floſſi,
Et fortunas tibi lugeamus raptas.
Nam reparabilis eſt iactura boum,
Et ouium, lana niuibus certantum,
Et requiri poſſunt amiſſi tripodes,
Et equi procero capite flauentes:
Aſt anima nunquam redimitur auro,
Nec fletu, nec blanda reuocatur prece,
Nec haſtis armata reducitur dextra,
Cùm ſepta dentium ſemel effugerit,
Vt eſt viſum magno Chironis alumno
Remittenti miſſos Atridæ legatos.

AD CAMILLVM CAETANVM.

CAmille, quẽ nũquam Cyrrha nõ dilexit,
In ſomnis videor mihi ſæpiſſimè,
Nunc ſcandere rupis Apenninæ iugum,
Nunc intrare dictam Flaminio portam:
Interdum ludere Tibridos ad vndas,
Interdum luſtrare ſaltus Exquilinos,
Et tecum iucundos conferre ſermones;
Et hinc voluptate perfundor maxima;
Et mihi non Onar, ſed Hypar videtur:
Sed excuſſum ſomno me fallit Aurora.
O vtinam tandem ſuffragetur mihi,
Qui cornea mittit è porta Somnium,
Et verè videar attingere terram,
Quæ ſeptemgeminis collibus aſſurgit.

SIMONIS

SIMONIS OGERII

SYLVARVM LIBER NONVS.

AD EDOARDVM GODEFREDVM LVGII DOMINVM.

GOdefrede bonas artes Heliconis amœni
Qui ſocias ſtudiis quibus horrida gaudet Enyo,
Exemplo regum quos Pellæ regia fudit:
Ecquis docta poteſt Bargæi plectra Poëtæ
Pro meritis celebrare,quibus fortiſſima laudat
Arma ducis,qui Sarigenas ex arce Sionis
Expulit,& Solymo cinxit diademate frontem;
Dum vehet Etruſcas Arnus liquidiſſimus vndas,
Verſibus Angeliis toto reſonandus in orbe.
Nam licet innumeris,quæ condidit aurea vates,
Carminibus laudem Claria regione reportet,
Attamen excellit Syrias,laudémque meretur
Præcipuam,radiátque velut nitidiſſima cœlo
Inter Olympiacos ignes Latonia virgo,
Magnáque Chriſticolæ pietatis pignora ſeruat.
Vtque Petrus quondam nemorali ſede relicta,
Perduxit Solymas Gallos animoſus ad oras:
Sic Petrus Arnigenæ nutritus lacte Camœnæ,
Carmine ſuauidico tentat perducere reges,
Qui Chriſtum celebrant,ad aquas Nepheleïdos Helles,
Et Mahometanis Pelopęo littore pulſis,
Ad muros vrbis Solymæ,quam ſanguine Chriſtus
Largifluo ſparſit cruce mortem paſſus acerbam.
Talia ſunt memoranda viris Heliconide lauro

Ornatis,

Ornatis, non Hypſipyle, non Cynthia Nymphe
Voce Philetęa totis reſonanda libellis.
O vtinam reges, quos exhortatur Etruſca
Calliope, moueant acies ad amœna vireta
Gentis Idumeæ; pulſique Pelaſgide terra,
Et Solyma cedant victi tellure profani
Turcarum nati, Stygio gens digna barathro.
Hanc cupio lucem: lux hæc ſi luceat, arte
Mæonia non me vincet Colophonia Clio;
Cedet & Arteſiæ proles Andina Camœnę
Laudanti proceres, quorum fęlicibus armis
Barbaries Scythicę rupis remearit ad vndas,
Pulſa ſolo Syriæ, Getulique æquoris ora;
Ac Aganippęæ nemoroſo vertice ſylvę.

AD ANTONIVM MEIERVM.

CRedo Stygis imas ſeruare lacunas
Caluinum Meiere circumdatum flammis,
Quas Orcus eructat, & Pyriphlegethon.
Nam Chriſti turbauit ſemper Eccleſiam,
Dum vixit in orbe, dux impietatis,
Atque Diagoras alter nominandus,
Nec vnius mali ſacrilegus autor.
Et nunc quòd Gallia bellis concutitur,
Totaque cruore diffluit fraterno,
Nec miſcet Turcicos pręlia per campos,
Vel ad Hebri ripas, vel ad Syrum littus;
Acceptum meritò quis illi referat,
Et ſcholę, quam dirus aperuit Beza
Ad Rhodanum flumen, & lacus Lemanos;
Magiſtro fallaci nil fraude concedens,
Et tetri coracis ouum teterrimum.

AD GALATEAM.

QVando reuocabis Irenen auream
Galatea, Martis remiſſo furore
Ad Riphęos montes, Scythicoſque lacus?
Tunc credo, cùm mentem recipies bonam,
Quæ nunc tuo procul exulat à ſolo.

AD GALLOS.

SI ſparſus ad magnū ſanguis eſſet Hebrū,
Quem vos his diebus fudiſtis ad amnes,
Qui rigant Gallias bello miſerrimas:
Iam Turca ſuperbus Iſmara liquiſſet,
Atque Byzantias amiſiſſet arces,
Et Helleſpontiis excidiſſet regnis.
Sed vos in mutuas concurritis cędes,
Et malè fraterno ſanguine madetis,
Ac ita Turcicas hilaratis mentes,
Et Alcoranium prolatatis regnum.
Ah Galli ponite ſacrilegos enſes,
Inter vos æterna pace compoſita,
Et Mahometanos inuadite lares,
Et Chriſti lædite manifeſtos hoſtes,
Haurientes piis enſibus ſanguinem
Impio Turcarum corpore manantem,
Veſtrum Chriſtianæ deuouentes cruci:
Hic ſanguis ad cœlum vobis ſternet viam,
Longè gratiſſimus cœlicolûm regi.

AD BELGAS.

ALiquo tempore citharę ſtrepebant,
Et feſtas apud vos ciebant choréas
Permiſtæ tibiis, & teſtudinibus:
Nunc poſtquàm placidas expuliſtis artes,
Et accerſiuiſtis Martem turbulentum,
Nil niſi tubarum ſonitus auditis,

Et tym-

Et tympana rauco boantia ſono.
Ah pellite Martis horridam faciem,
Et pacis amicas reuocate Muſas:
Iam tubæ ſilebunt, & lyrę redibunt,
Et veſtra regio lætitia fremet,
Et amittet diras ſollicitudines,
Quæ nunc Belgę veſtra lacerant pectora,
Cùm vident bellorum ſegetes amaras
His campis creſcere radicibus altis,
Et fundere vobis luem teterrimam,
Atque propemodum Saguntinam famem;
Et armatam ſæuo Libitinam telo,
Tot capita nigro demittentem leto,
Quot arenæ maris littore flaueſcunt.

AD FLANDROS.

VBi nunc ſunt cœnæ Flandri Lucullanæ
Quas in conuiuiis ſtruebatis veſtris?
Vbi nunc niueis liba candoribus?
Agnoſcite Martis munificentiam,
Et gratiam ſæuis habete præliis,
Vix nunc faba panes confectos habetis,
Atque Dodonæa laudatis nemora.

IN PHILOPOLEMON.

ARea Tiſiphone cùm porta emiſit Auerna;
Area non diues ruſtica corda beat;
Aurea nec currus agit ætas, nec lyra floret
Delia, nec pietas, nec Themis alma viget.
Nec volat æthereas turis vapor ater ad auras,
Oráque non aras, quas colat, vlla videt.
Qui Superas igitur timet iras, horreat horas
Areos, ac diræ tempora dura tubę.

IN THRACIAM.

QVæ tibi compoſitis operoſis cultibus aris
Prima tuum coluit Thracia numen Areſ?
Hos mihi mente ſua ſenſus habuiſſe videtur,
Quos habuit Latia grex Ithacenſis hara.
Nam velut ille Iouis pendentes arbore fœtus
Præpoſuit dono frugiferæ Cereris:
Sic te cunctorum pelagus ſine fine malorum
Prætulit illa bonæ pacis amicitiæ.

AD IOANNEM CVCCHIVM.

CVcchi Graiugenæ decus Camœnæ,
Qui belli face terruere terras
Currus Areos impiè ſecuti,
Nunc victus inopes regunt aratrum,
Et nummo Stygias colunt nouales.

AD EDOARDVM MARTELLVM.

AEthereo Martem Iunonis ſanguine cretum
Qui credunt, credunt lilia ferre picem:
Lanigeraſque lupos pecudes generare fatentur,
Et placidam volucrem Dędaliona ferum.
Non habuit rigidus matrem Cybeleïda Mauors,
Sed tumidam Lernæ ſtagna colentis heram.
Vel Lycio flammas iaculantem monte Chimęram,
Monſtráue Tartareæ Tiſiphonæa Deæ.
Si mihi non credunt, ſpectent incendia, cædes,
Damnaque, quæ bellum Marte furente creat;
Præque meis dicent Clariæ mendacia linguæ
Verba, ſub vmbrifera quæ dabat arce Deus.

AD IOANNEM GALLANDIVM.

IOannes ſanguis Lyſiados Nymphę,
Prouerbio malum fertur conſilium
Conſultori, Dices decreto, peſſimum;
Nam poſtulat æqua Iuſtitiæ norma,

Vt pœna redeat in caput autoris:
Cùm quæreret Iuno, quá nam ratione
Abſque ſui Iouis officio poſſet
In oras luminis liberos edere:
Candida candidi coniunx Fauonij
Oleniis florem vallibus oſtendit,
Quo tacto dicitur genuiſſe Martem.
At nunc Flora fructum recipit hunc ſuæ
In Iunonigenam munificentię,
Vt videat ſuos honores obteri,
Et flores equino conculcari pede,
Huc illuc Martia volitante turma,
Cruenta bellorum mota tempeſtate.

Ad Nicolavm Marcatellvm.

MArcatelle magni decus Hippocratis,
Flos ille natalis autor Mauortij
Flos eſt, vt opinor, quem fert aconitum
Spuma ſaturatum canis tergemini:
Ita Marte ſuos agitante currus,
Tartarea fremunt omnia rabie,
Et cędibus mare, terraque miſcetur,
Ac paſſim triſtia florent facinora.

Ad Panagivm Salivm.

SAli belle ſono fidis pacificæ,
Quam laudat Delius Iouis bella proles,
Non Mauors bellicæ pater inſanię:
Qui ſtudium Martis vocauere bellum,
Non homines belli fuere profecto,
Nec bello ſynceræ mentis iudicio.
An bellum ſanguine tellurem fœdari,
Opidaque nigra mutari fauilla,
Amiſſoque cenſu ſeruitio premi,
Et mœſto gemitus ducere pectore?

Hoc ſi rectè vocant bellum, non video
Cur non ſit vocandus Therſites formoſus,
Ac fellis amaror mel Hymetto natum,
Et aſperi ſentes flores molliſſimi.

AD ANTONIVM OBERONEM.

OBeron Themidos comes inculpate,
A bellua bellum quiſquis dictum putat,
Rectè putat, nulla falſus ratione.
Arbor generoſa fructus edit bonos,
Vt arbor improba fœtus fert improbos.
Et quid fructus ferunt mortales miſeri,
Dum bella tractantur, ac prælia feruent?
Virgines, ac nuptas violari vident,
Agros populari, pecus interfici,
Vrbes in candidum conuerti cinerem,
Mare, terram fœdo cruore miſceri,
Omnibusque locis Furias vagari,
Et haberi crimen in honore magno,
Neglectis Superûm ſanctis honoribus;
An non hæc belluis ſunt potius digna,
Quàm piis moribus, & humana mente,
Et illa ſobole, quæ bella vocatur?

AD OLIVERIVM VVALLIVM.

NVlla ſolo ſurgit noſtro gratiſſima paci
Arbor, ab Iſmario non aliena iugo.
At longè, & latè Batauos ſpectata per agros
Naſcitur armigero fraxinus apta Deo.
Non igitur mirum, ſi Mars hæc arua pererrat,
Inque Maronæo pax manet alma ſolo.

AD GVLIELMVM FORNERIVM.

QVi Gulielme tuas audet reprehendere Muſas,
Et Ronſardæa carmina digna lyra:
Bella quibus laceras, quæ ducit more gigantum

Cum Superis Bataua turba rebellis humo:
Ille nec Aonium ſub pectore ſeruat acetum,
Et tercentenis indiget Anticyris.
An graue ſacrilegas verbis agitare cateruas,
Quæ violant iaculis corpora noſtra ſuis?
Et ſpernunt reges,miſcéntque incendia templis,
Præcipitéſque ruunt,quò iubet ire nefas?
Quare ne dubites hæc ſubdere carmina prælo,
Illa pias aures in ſua vota trahent.

IN MARTEM.

SI quicquam tetrius,fœdiúſve Marte
Sol videt è cœlo per telluris oras,
Hunc Veritas claro negabit lumine,
Et cæco iurabit talpa cæciorem.

IN HOMERICVM MARTIS EPITHETON BROTOLOEGON.

REctè Brotolœgon te dixit Homerus,
Mauors cœleſtium peſſime Deorum,
Et hoc epitheton veriſſimum putat
Gallia,quæ tua perit amentia;
Nam belli ciuilis atra tempeſtate
Tot ferro corpora luget trucidata,
Quot folia ſyluis ſternuntur ab Auſtro.

IN HESIODIVM IRENES EPITHETON CVROTROPHON.

VEriſſimè vates appellat Aſcręus
Irenen,quę nobis pax eſt,Curotrophon;
Nam pacis tempore tellus alma ridet,
Nec Ceres,nec Bacchus, nec Pallas,nec Pales,
Suas negant opes mortalibus ægris,
Et cornucopiæ vagatur per agros,
Cum Muſis,& blando Latonæ filio;
Et aurea Dice ciente tempora,

(Ferrei Mauortis ſepulta rabie)
Tot ſurgunt iuuenes heroïbus pares,
Seu ſpectes animi, ſeu corporis vires,
Quot flores gremio telluris pinguntur,
Cùm Ver auricomos curru iūgit equos,
Et mulcent tepidi prata Fauonij.

AD BELLONAM.

Bellona cum Marte ſatis vexauiſtis
Belgarum populos bellico furore,
Et nobis horrendas dediſtis ruinas,
Belgium vaſtantes flammis, atq; ferro:
Nunc alias gentes petite, vel Anglos,
Vel Thracas impuris infectos vitiis.

AD MARTEM.

Mauors armipotens deſere Belgium,
Et tecum bellicas aufer inſanias,
Ac tuos reuiſe ſacrilegos ciues
Thracas, & Arabum delitam ſobolem.
Sumpſiſti de nobis ſatis acres pœnas;
Nunc tempus vt, pulſo te, redeant Muſæ,
Et cum pace lætos exerceant choros
Ad Scaldin, & Moſam, Rheniq́ue fluenta,
Et iucundiſſimas Agnionę ripas.

IN BELLVM.

Ecquis pumiceos ita fert oculos,
Et ſuum iactitat ſiccoculum genus,
Vt non vberrimas effundat lacrymas,
Si ſpectet Belgicæ ruinas procellæ,
Quam Mars excitauit truculentiſſimus?
Vrbes ignis cremat, cruor terram fœdat,
Opes barbarica rapiuntur dextra,
Nec ſacrilegio milites abſtinent,
Nec ſpernunt inceſtus, nec adulteria.

Cęlum luctiſonis tonat mugitibus,
Terga Lætitiæ verterunt filiæ,
Nec hîc Muſæ feſtas exercent choréas:
O Simonidęis gentem dignam modis.

Ad Hvbertvm Rvdolphvm.

HVberte Rudolpha clare familia,
Iupiter, vt parens finxit Poëtarum,
Bina cœlis habet dolia ſe iuxta;
Alterum bonorũ plenum, ſed alterum
Vario malorum refertum genere;
Et hęc impertitur mortali cateruæ,
Vt eſt illi viſum, ſeu bona, ſeu mala;
Sed non credo Belgas accepiſſe bona
Candidi de Iouis dextra liberali,
Sed mala potius læua manu data.
Nam Bubroſtis, Mauors, peſtis, Eumenides,
Celerrimo curru currunt per Belgium,
Et acerbiſſimis nos exercent pœnis.

Ad Belgas.

BElgides oculos lacrymis perfuſę
Vos obſecrant ferum recondatis ferrum,
Et conſanguineæ parcatis cateruæ:
At vos Sionides ore mœſtiſſimo
Orant, mortiferos nudetis gladios,
Et ſe liberetis Turcica rabie;
Auditis gemitu crebro fuſas preces,
An veſtras obſtruit ſurdiſſimas aures
Tuba, grauiumque ſtrepitus armorum?
Audite Gallorum flos, & robur Belgæ,
Ac fraternum fœdus inter vos ſancite,
Et ſociis Thracen armis inuadite,
Et pellite Turcas Conſtantinopoli;
Chriſtique ſepulcrum vobis vindicate,

Et regnate claras Aſiæ per oras,
Ac dominamini Getulum per æquor.

AD IRENEN.

PAx aurea magni Tonantis filia,
Qui te colit nomẽ obtinet fęlicis:
Nam fruges Cereri largiris opimas,
Et Lyęum læta donas vindemia,
Et opida beas opulento cenſu,
Et facis ſecura viatorum ſola,
Nec ratibus negas proſperrimos curſus;
Tum vates ſuſcitas nouos,nouas artes,
Et in tua trahis Pieriam vota.
Quin Themis,& Dice tuos æquant paſſus,
Quaſcunque terrarum vertaris ad oras;
Nec tuos deſerit vultus Euphroſyne.
O cur te Batauí talem deſpiciunt,
Et immaniſſimum Martem ſuſpiciũt,
Quem fontem malorum,qui vocat,non errat.

AD ANTVERPIAM.

ANtuerpia meo gratiſſima cordi,
Cui nec contendiſſent olim Venetiæ,
Magnificentia,vel opulentia,
Nec Lugdunũ bino perfuſum fluuio,
Neque Lutetia,neque Colonia,
Nec vrbs Luſitana,quam ſtruxit Vlyſſes,
Nec Mediolanum,nec Calecutium:
Quàm doleo tibi rixas abſtuliſſe
Cenſus illos,quibus Crœſum ſuperabas;
Et eò fortunas redegiſſe tuas,
Vt te nunc Dunkerka ſit quæſtuoſior.

IN LOVANIVM.

ET quis non ciuiles execretur rixas,
Et Martem ſeuerum Iunonis filium?

Cùm

Cùm pax alma ſolo floreret Brabanto,
Muſæ celebrabant Louanias arces,
Et ducebant lætos ad Diliam choros.
Nec Athenę grata Palladi ciuitas,
Nec Delus, nec Delphi, nec mons Pïerius,
Frequentioribus ſtrepebant citharis;
At nunc barbaries ea tenet loca,
Fugatis Muſarum doctis agminibus;
Et Mauors induxit pro tibia tubam,
Et indixit luctum pro carmine læto.

IN BRVGAS.

ELegantiſſima Brugarum ciuitas
Olim ſplẽdoribus fulgebat aureis,
Et læta lyrico mulcebatur ſono,
Et omnibus bonis rebus abundabat;
At nunc luctiſono repletur gemitu,
Et mœrore tabet, ac fame laborat;
Hîc videre licet vultus vępallidos,
Quales erant aues aduncis vnguibus,
Quas fugarunt regnis miſeri Phineos
Thracio iuuenes Aquilone ſati.
Dicas Anęmonas, atq; Monogrammos,
Et vmbras veriùs, quàm viuos homines,
Et huius Mars ſtatus, non alius autor,
Nec vrbs miſerrima vexari deſinet,
Dum mœnia dirę ſeruabunt Oſtendæ,
Et Excluſę vallum ſibi vindicabunt,
Excurſionibus famoſi latrones;
Quos eò Britannus cum Batauo miſit,
Sed rebus aduerſis ſolatur Brugenſes
Virtus Farneſia, par Alexandręę,
Quam timuit diues Perſię regnator
Darius auito ſpoliatus regno,

Et malè

Et malè Pellæis reſpondens lacertis.

IN MARTEM.

O Martem cũctorum parẽtem malorũ!
Pro lautis dapibus,ac dulci tibia,
Et lætis opibus,& ſumma quiete,
Belgicis nunc errant terris ſuſpiria,
Et ieiuna fames,& turpis egeſtas,
Et luctus,& curæ, diriq́ue tumultus.

AD BELGAS.

CArolus Romanæ gentis imperator,
Genitus de veſtro ſanguine Gandaui,
Cùm vitam corpore moribundo fudit,
Florentes reliquit res veſtras, ô Belgę;
Nec vlla natio vobiſcum certabat
Vel arte,vel cenſu,vel humanitate.
Nunc ſi præſens veſtris oberraret campis,
Miraretur rerum viciſſitudinem,
Et metamorphoſin apud vos exortam;
Et largos oculis effunderet rores,
Cùm videret pugnæ ciuilis furorem,
Et natantes agros cruore fraterno,
Vrbesq́ue crematas indigena face,
Et vos Auſtriaca violantes iura,
Nec honore ſuo filium colentes,
Quo nil clementius tellus alma videt,
Ab ortu candido Titanos ad finem.

AD BATAVOS, ET VALACROS.

TAndẽ regem veſtrũ coletis Philippum,
Vt prius, Valacri, Batauiq́ue truces,
Et præliis fracti faſtum deponetis;
Sed videte quę ſit hominum cęcitas;
Nunquam diuitiis elati ſapimus,
Nec optimam mentem recipimus antè,

Quàm ſęua paupertas noſtras pulſet ædes;
Tunc demum ſuperbas demittimus criſtas,
Atquę veritatem cernimus oculis.

AD IVSTVM LIPSIVM.

LIpſi, quin hortaris Batauos ad pacem,
Et impij Martis execrationem?
Vales ingenio, vales facundia,
Nec te, ſi rediret in orbem Superûm,
Superaret magnus Tulliolæ pater,
Eloquentiſſimus Romuli nepotum.

AD HOLLANDOS.

QVi vos aure dixit olim Batauica,
Quid diceret vátes feſtiuo lepore,
Si reuerteretur ad lumen ab Orco?
An non vos vocaret inſaniæ natos,
Vel potius dirum Megęrę ſanguinem?
Muſas deſpicitis, & amœnas artes,
Quibus delectatur Thymbręus Apollo,
Quæ feris exuunt moribus homines,
Et defunctos terris inferunt Olympo.
Suſpicitis verò ſanguineum Martem,
Quo nil nec tetrius, nec truculentius
Aſpicit ſtellato Sol è cacumine;
Hic vos in Circęas transformat pecudes,
Et lupinas vobis induit figuras,
Ac vrſorum vultus, ac ora leonum,
Et horrida gentis ſetigeræ terga;
Nec tandem vos caulis claudet ſaginandos,
Sed ad Styga mittet Cerbero vorandos;
Nec has clades mente cæca præuidetis.
O miſeri ſęua deſerite bella,
Et pacis aureos excipite ſinus,
Nec Philippum ſuis exturbatę regnis

Princi-

Principum quos terra ſuſtinet optimum.
Barbaros in veſtras aduocatis terras,
Et inde ſalutem ſperatis, & opem.
At hi perniciem meditantur vobis.
Vbi quas habetis pecudes mactarint,
Et arcas fulgore flauo ſpoliarint,
Et flammis, & ferro cuncta vaſtauerint,
Abducent vxores veſtras cum liberis,
Quos cogent Britannum ferre ſeruitium.
Tunc, vt ſtulti, veſtras agnoſcetis culpas,
Et errores, quibus palam palamini;
At Philippus vobis rex natura datus,
Veſtras vrbes, domos, terras, vndas, gentes,
Proteget clypeo fraudem neſciente;
Nec paſcuis bonam perdet Hollandiam,
Quin opes augebit, & reditus veſtros;
Tantummodò Diuûm cultus ſuſcitate,
Et aras Stygia deiectas rabie;
Nec Auſtrię domus ſpernite ſanguinem.

AD GALLOS.

INcauto mortales pectore præditi,
Ecquid cumulatis dolorem dolore,
Mala malis, luctum luctu, curam curis?
Natura vos breuis generauit ęui
Obnoxios morbis, ac duro labori,
Et damnis triſtibus, ac mille periclis.
Modò veſtras grando ſegetes contundit,
Modò lędit lętos pruina racemos.
Nunc locuſtæ denſis volant agminibus,
Nunc horrent horrea curculionibus.
Interdum tempeſtas nubes atras cogit,
Et hiſpidus imber latis errat aruis.
Aliquando venti crudeles ingruunt,

Et nemo-

Et nemora ſternunt, & naues ſubmergunt,
Et horrendis terra tremit mugitibus.
Nonnunquam fulmina terrent cœlo miſſa,
Nonnunqnam niueis hyems ſęuit telis;
Nec rarò vos ęſtus, & frigora premunt;
Et vulgo propagat ſtragem tetra lues,
Et fames ieiuna fatigat pectora;
Serpentes, venena, veſtras turbant mentes;
Tum lupi de grege veſtro prędam petunt,
Nec acutos dentes à vobis abſtinent;
Et ſexcentæ morti panduntur ianuæ.
Vos tamen hæc tãquam parum ſint, inſtatis
Maturandis diræ mortis funeribus,
Et rixas, & pugnas cietis acerbas,
Et colitis belli ſacrilegas artes,
Nec finis, nec modus ineſt veſanię.
Agri tabo natant, incenduntur vrbes,
Opes rapiuntur, vaſtatur patria,
Et religionis timetur iactura.
Ah ne tantam Marti licentiam detis,
Et vos reſpicite, dulcésque liberos,
Vxoresque veſtras, quas abducunt hoſtes;
Et Dei tremendum numen formidate,
Et pacis ſerenos reuocate vultus,
Galliam bellica liberantes cura.
Quòd ſi Martis amor ita mentem verſat,
Vt inſuauem vitam putetis placidam;
Gerite cum Turcis truci Marte bellum,
Et recuperate Sionias arces,
Quasque vobis terras abſtulerunt hoſtes,
Regentes Aſiæ magnificas vrbes,
Et Mauros, & ſolum fertilis Græciæ.

AD ANTONIVM VILLAFRANCAM.

ANtoni, quem villa nobilitat Franca,
Non mirũ ſi crebrò Belgium lugeam,
Mentionem belli faciens ciuilis,
Et calamitatum, quæ noſtrates premunt.
Nauita iactatus rabie ventoſa,
Per vndas pelagi ſpumis cooperti,
Queritur de ventis & fluctu rabido,
Et accuſat ſæuas Oceani Nymphas.
Arator de dira loquitur grandine,
Qua videt euerſos ſegetis calamos:
Et paſtor deplorat morbo tactas oues,
Cùm ſtabulis errat teterrima lues.
At miles vulnera non ſemel contrectat,
Accepta Mauortis fero certamine.
Necnon Citherę is fixus amans telis,
Exprobrat dominę ſęuitiam ſuæ,
Et miſerabiles decantat elegos,
Perfuſus lacrymis vberibus genas.
Quin Pandionia ſyluis pandit ales
Regis Threïcij thoros furiales
Voce, qua mulcentur & dies & noctes.
Sic quo quiſquè mali premitur genere,
Nullo pacto poteſt id diſſimulare;
Et conficit dolor tacitus mortales,
Et nonnihil leuat querela dolentes.

AD IOANNEM AVRATVM.

AVrate, cui pulcro verſus fluunt labro,
Aurifero longè pulcriores Hebro,
Et Marathonio dulciores melle:
Si poſſent ad pacem mortales adduci
Humano ſermone, ducerentur à te,
Et tela profanis ponerent manibus;

Frater-

Fraternumque fœdus inter ſe colerent,
In Galliam pacis vultu reuocato:
Sed ita bellicis demulcentur ſonis,
Et amore cæco Martis rapiuntur:
Vt tuis vocibus, ac plectris obſtrepant,
Et ſolertis Muſæ negligant monitus.

AD IOANNEM MARIVM.

IOannes, mihi ſapiens videtur
Fortium Perſarum fortis imperator;
Qui, veluti refert apis Hymettia,
Milites impios procul abigebat
Exercitu ſuo ſcelus reſpuente;
Et illos legebat, quos Dice dicebat,
Et virtus probatos ſibi commendarat.
Nam qui ſibi parat comites ad bellum,
Qui leges violant, & Superos temnunt,
Nautis comparantur malè ſolertibus;
Qui puppibus viros admittunt improbos,
Et impuriſſimis ſpurcatos moribus,
Quos vt vlciſcatur Nereïdum pater,
Per æquora fluctus excitat horridos,
Et Euros immittit piceo turbine,
Vt rate ſubmerſa veſano flamine,
Capita fluctibus obruat nefanda.
Sic ferè videmus & hac tempeſtate,
Septos militibus ſacrilegis duces,
Cùm cito petitur victoria paſſu,
Victos ore terram petere cruento,
Deo diligente Themidos carmina,
Pœnis Phlegiaca multante crimina.

AD OCEANVM.

SI te putas pater Oceane tutum,
Falleris, iam bellum nauale paratur;

Et vide-

Et videbis tuos fluctus cæde tingi,
Gradiuumq́ue tua per regna bacchari,
Nec turbare minus Oceanitidas,
Quàm turbauit blandos Oreadum choros.
Pluresq́ue peribunt furore Martio,
Quàm vel naufragi turbinibus Noti,
Vel cæco feruentis arenæ cumulo,
Vel Scyllis, vel diris Acroceranniis:
Aut ira commoto Neptuni tridente.
O infęlix ſolum quod tangit Gradiuus!

AD ANDREAM HOIVM.

TAcere melius Andrea diſerte;
Nam metus incauti ne vates laceſſant
In ſuam barbaros enſes perniciem
Carmine, Martium crimen inſectanti:
Vt in ſe Męnadum vertit iras Orpheus;
Non bona referens præmia citharæ,
Qua moueat dira leonum ſemina,
Et duros lapides, & quercus rigidas.

AD IOANNEM BOCHIVM.

BOchi Męoniis exculte ſtudiis,
Nil dignum Claria cecini tibia,
Gallicis in oris mugiente tuba,
Et Muſas terrente bellico ſtrepitu:
At ſi Mars Belgicis exceſſerit regnis,
Et conſanguineam reuiſerit Thracen:
Tunc ad [illegible] Pegaſeum melos,
E[illegible] ſteritatem,
[illegible] aures.
[illegible] Æ-oceros,
[illegible]

SIMO-

SIMONIS OGERII SYLVARVM

LIBER DECIMVS.

Ad Gvlielmvm Estivm Theologvm.

ILLE Pius,qui purpureo decorauit amictu
Sixtum Pontificem,quem nunc Eccleſia ſummum
Autorem ſequitur,faſtum Solymanidos aulæ
Et claſſe,& multo fidentem milite fudit;
Quà maris Ionij Perimelen murmura cingunt,
Æquoreiſque ſuas Achelous miſcet arenas,
Et Naupactæos ſeruat cuſtodia muros.
Dúmque Petri ſedit ſolio ſanctiſſimus heros,
Irrequieta pia mouit certamina dextra,
Exercens odium vehemens cum gentę nefanda,
Quæ Mahometanas leges veneratur,amátque.
Quòd ſi fila piæ Lacheſis non inuida telę
Tam citò rupiſſet: rigidos ad frigida Turcas
Arua relegaſſet,quibus ingens Caucaſus inſtat.
Sed ſuperis aliter viſum,qui ſidera torquent.
Nec quouis cœlum mortales auget honore;
Hancque bonus laudem Sixto ſeruauit Olympus,
Quem iam iam ſumma ſpes eſt pietate flagrantem
Bella paraturum Turcis,ſobolémque profanam
Littore Boſphorio ſuperatam Marte potenti
Mox ſcelerum pœnas inſigni clade daturam,
Barbaricumque iugum populos quos Græcia gignit
Docto excuſſuros collo,Clariaſque Camœnas
Regna recepturas Pataræo ſparſa liquore;
Et Solymas arces ſub regum iura colentum
Sceptra reuerſuras, habituraque dogmata finem

Impia,quæ Stygijs Mahumetes ſuſtulit armis.
Hoc erit Aonijs bellum memorabile chartis,
Inque ſuas totum laudes Helicona mouebit,
Ac ſurget longos in poſteritatis honores.
Et quis erit,cupido qui nolit pectore bellum
Amplecti Gulielme pium,ſanctóque, ſacróque
Vexillo præeunte crucis, Sixtóque iubente
Ad Syrias vrbes ſanctas properare cateruas,
Vt repetant Libani montem, tumulúmque Tonantis,
Sacrilegoſque canes abigant Solomonide terra,
Quam rigat auriflua Iordanis lacteus vnda?
Ipſe ego qui ſtrepitus fugio, ſonitusque tubarum
Deuoueo,ſtudijs aſſuetus Hyantidos vmbræ,
Talia bella lubens ſequar,ęriſonúmque ſiniſtrę
Inijciam clypeum,gladióque accingar acuto,
Subijciámque caput galeæ,& thoraca rigentem
Induar,ac dextram non miſſilis haſta grauabit,
Nec gelidum Boream,nec frigora ſæua recuſo,
Nec rapidos ęſtus,nec fulmina nube tonanti
Lapſa,nec imbriferam rabiem,nec ſpumea terræ
Flumina,nec tumidas agitati Nereos vndas,
Nec iuga,nec ſiluas,nec inhoſpita tecta ferarum.
Nec longum cauſabor iter,patriámque relictam
Flebo,petiturus peregrinę littora terræ.
Nec paueo Geticos enſes,Scythicáſque ſagittas,
Strymoniaſque haſtas,vlulatúſque ore minaci
Sublatos,vultuſque feros,rabiémque cruentam.
Quòd ſi me validis ſuperantes viribus hoſtes
Deijciant ab equo per prælia prima ruentem,
Atque meum ſpolient annis iuuenilibus æuum,
Artubus è laceris largo fluitante cruore:
Illa dies Mortis mihi ſemper honeſta feretur,
Nec querulus vita excedam,pro parte virili

Abda-

Abdarico generi ſpretos crucis vltus honores:
Atque mei cælos pretium ſpetabo laboris,
Angelicíſque ferar manibus ſuper æthera clarum,
Nectareóque bibam rutilum cratere liquorem.

AD ANTONIVM SVRIVM
Theologum.

SI Macedon fortem magno cumulauit alumnum
Nomine,quòd Perſas viciſſet, & Aſida terram
Finibus Æmathijs iunctam ditione teneret:
Iuſtius hoc regem diues cumulabit Iberus
Laude ſuum. Nam plura regit,quàm regis Amynthæ
Sceptra nepos rexit: nitidus colit Heſperus illum,
Sardiniúmque ſalum, populúſque Typhöidos Ætnæ,
Et Calabræ gentes,& Parthenopëia Siren,
Inſubréſque viri,Flandrorumq́ue inclyta proles,
Antipodumq́ue lares,nouus orbis,& aurea tellus.
Sed tamen Auſtriades hunc Suri docte meretur
Præcipuè titulum propter pietatis honores,
Quos colit aſſiduè,dum Turcas vexat,& vrget
Tiſiphones rabiem,quę prodigioſa Lemano
Monſtra parit,ſquammiſque tegit furialis Echidnę.

AD LVDOVICVM BARLÆMONTIVM
Archiepiſc. Cameracenſem.

NEctareos libat latices Litauicus, & aulam
Incolit æthereàm,merito cumulatus honore,
Nam dum Sequanicas acies,ac mœnia rexit
Celtica,perpetua coluit pietate Tonantem,
Et Mahometana Solymos ditione teneri
Turpe putans,Gallos Galilęas duxit ad arces,
Sarigenáſque feros fudit præſtantibus armis,
Chriſticolæ gentis violatos vltus honores.
O vtinam tales heroas ab æthere miſſos
Exhibeat Superûm genitor mortalibus ægris,

Vt iam Caucaſeas Othomanus ploret ad vndas,
Atque Euangelium toto memoretur in orbe,
Lethæum ad fluuium Mahumetis lege ſepulta.
Hæc Præſul venerande petunt iuueneſque, ſeneſque,
Seu premat Heſperium littus, ſum linquat Eoum
Sol mare, purputeo ſparſurus lumine terras.
Et Deus iſta dabit, nec vota caduca feruntur;
Liligeróque duci ſimilem generauit Iberus
Sanguinis Auſtriaci regem, non vna gerentem
Sceptra potente manu, cupientémque ęquore Turcam
Argolico pulſum gelidas remouere ſub oras,
Quas Tanais rapida violentus verberat vnda.
Sed pulcro Batauus voto, & diſcordia demens
Obſtat, & Heſperiæ pietatis vela moratur.
Quòd ſi Tiſiphonen ſedaſſet in orbe furentem
Mattiaco, iam Thrēicias reſonaret ad vndas
Heſperius tubicen, pugnaſque cieret acutas,
Liberáque expulſis gauderet Græcia Turcis,
Pierideſque ſuo cantus Helicone mouerent,
Fontibus Aonijs, & amœna ſede recepta,
Nec Pharij Scythico premerentur vomere campi,
Et dominaretur longè latéque per vndas
Helleſpontiacas Phryxæi velleris heres,
Tempora Cæſarea cingens Auguſta tiara.
Nec Geticis canibus ſeruiret ſancta propago,
Nec iuga Ieſſæo quondam pulſata canore,
Et Chriſtum ſpreto colerent Mahumete Sabæi.
At prius Heſperio Bataui ſunt Marte domandi,
Hiſque locis Stygias Caluinia peſtis ad vmbras
Eſt armis remouenda pijs; ſatis illa furorem
Dira ſuum Rheni rapidos oſtendit ad amnes,
Et faciles animas, incautaque corda fefellit,
Mortiferum virus ſpirans vt bellua Lernæ;

Sed

Sed tamen Herculeas ſuperata reſentiet iras,
Nec procul Auſtriacis volitat Victoria caſtris:
Nam rex & cauſa, cenſuque, armiſque, viriſque,
Et ducibus valet egregijs, nec forte requirit
Æacidę robur, nec acuti pectus Vlyſſis;
Quos inter magnam laudem, verámque merentur
Barlæmontiadę proceres, gens optima bello,
Et cultrix Superûm, & Dirceæ laudis auara;
Nam modò Cœlicolûm templis, ariſque fidelem
Dent operam, regiſque ſui tueantur honores:
Fatiferam rident Lacheſim, & letalia temnunt
Vulnera, quóque vocat virtus animoſa ſequuntur,
Obſtantéſque manus, aduerſaque prę lia rumpunt,
Et validum ſatiant ſcelerato ſanguine Martem;
Non ſecus ac rabidi Libyca de rupe Leones,
Cùm proſpexerunt armenta vagantia campis,
Accelerant, prædámque petunt, ſternúntque iuuencas,
Cornigerúmque pecus lacerant, & ſanguine largo
Guttura ſicca leuant, neque vi, neque voce mouentur
Horriſona, quam Marmarides ad ſidera tollit
Paſtor, & arrepto pubes interrita ferro;
Nec prius armiſonos ſtrepitus, rabiémque cruentam
Deſtituunt, quàm pulſa fames ad luſtra reuerti
Admoneat ſaturos, & ſic excedere pugna.

AD MVSAS.

NVminibus veſtris Claria regione fugatis
  Cuſpide Barbarica, Caucaſeóque ſono;
Barlęmontiacos montes, iuga ſancta, videtis,
  Eſſe Deæ vobis quam petijſtis opem.
Et Mæcenates generoſa mente renatos
  AltaPenniaca Zöilus arce dolet.
At doleat, Stygio ſemper doliturus Auerno,
  Vos gaudete ſacro monte, piáque domo.

AD NYMPHAS PIERIÆ.

Pletides vatum ſuccurrite Mæcenati,
 Febribus oppreſſum quem Libitina petit.
Lauriferis Helicon lucis ſpoliabitur,& fons
 Aridus Aoniæ,ſi moriatur, erit.
Carpite Mæonijs creſcentes vallibus herbas,
 Quæ releuant morbos,ægráque corda iuuant.
Quin medicis celebrem ſtudijs accerſite Phœbum,
 Et poſita celeres huc properate mora.
Ac Heliconiacæ Litauicum reddite genti,
 Et noſtro trepidos pellite corde metus.

AD LVDOVICVM BARLÆMONTIVM
Archiepiſc. Cameracenſem.

CYnthius Oceano ſolari lampade merſa
 Cùm iuga purpureis iam releuaſſet equis;
Peruenit ad latices, quos Theſpia fundit amænos,
 Haud procul à muris Zethe ſuperbe tuis:
Et videt in ſancto mærentes monte Camœnas,
 Doctáque Pieriæ fila tacere lyræ.
Miratúſque diu,quis vos dolor occupat,inquit,
 Cur mœſto niueas tingitis imbre genas?
Tunc pia reſpondit Clio,ne quærere pergas
 Delie,quis laceret pectora noſtra dolor.
Scis etenim,nec te lautus Parnaſſia fallit,
 Et tibi fatidico dat pater ore loqui.
Quæque freto fiunt,& quæ tellure geruntur,
 Cuncta patent oculis rex Pataræe tuis.
Quòd ſi voce velis etiam tibi Delphice noſtra
 Hæc dici,non hæc vox tibi noſtra negat.
BARLÆMONTIADES Litauicus monte ſub alto
 Fertilis Hannoniæ febre premente iacet;
Atque hunc circundant Lacheſis,geminæque ſorores,
 Vltima quæ Stygio pollice fila legunt.
Quare Mæonias cùm ſemper amauerit vndas,

Noſtra

Noſtra iacente viro pectora mœror habet.
Tunc imo Titan ſuſpiria pectore ducens,
Cauſa Deę vobis iuſta doloris, ait.
Nam neque Męcenas, neque Pellæ fortis alumnus,
Pierias olim ſic coluere Deas:
Vt colit hic heros generoſo pectore gentem,
Quæ rigat Aonio pectora ſicca lacu.
Sed dum reſpicio Turcas, Perſáſque feroces
Inter ſe Aſſyrio bella ciere ſolo;
Et lætor ſobolem, quę carmina ridet, & odit,
Tartaream crebra ſub Styga morte rapi;
Nec verto nitidos ad Belgica pręlia vultus,
Bella quòd inuitis hæc oculis videam:
Atque ibi permitto prętexi nubila Soli,
Imbribus & largis arua rigare Notum:
Hęc latuere meas aures incommoda virgo
Optima, nec viſus elicuere meos.
Sed mihi fatilegas mens eſt auertere Parcas,
Acceptum Muſis & releuare virum:
Ac redeunte die morbum, luctúſque videbis
Montia veloci linquere tecta pede.
Dixerat hæc Phœbus, promiſſáq; vera fuere,
Nam petit Hannonias ſole rubente domos.
Et fugat horrendam venerando è corpore febrim,
Et priſcas vires iam Litauicus habet.
Nunc igitur feſtis iuuat indulgere choręis,
Et viridi nitidum cingere fronde caput.
Ac Delphuſiacis conuiuia ducere lucis,
Et Clariam in laudem ſollicitare lyram:
Et tibi, quod ſemper, Præſul generoſe, precari
Neſtoreos crines, & ſine nube dies.
Sint Superi faciles precibus, nec in æquora venti
Turbinibus rapidis hęc pia vota ferant.

AD POETAS.

GENS nitidas decorata comas Parnaſſide lauro,
Sollicito pauidos excute corde metus.
Qui tibi munifica Præſul bene mente volebat,
Dicitur horriferum deſeruiſſe thorum.
Et procul expulſa Superorum munere febri
Huc illuc valido, quo prius, ire gradu.

IN NOMEN FLORI BARLÆMONTII COMIT.

BARLÆMONTIADES non vana nomina Florus
Voce gerit, nam magnanimæ virtutis honorę
Floret, & ingenio floret, floretque iuuenta,
Et nitida floret forma, vultúque decoro,
Et floret priſcę generoſo ſtemmate gentis,
Ac ſummis opibus floret, pratóque nitenti
Floribus Aonijs haud raris paſſibus errat;
Sertáque belligeris Heliconia crinibus aptat,
Et flores hominum vates tutatur, & ornat.
Hac quoque de cauſa toto florebit in orbe
Carmine Pieridum, dum flores Pindus habebit,
Et rate florebit Nereus, ac ſidere cœlum.

AD VALERIANVM FLOSSIVM.

BARLÆMONTIACAM virtutem ad ſidera tolles
Carmine Męonio, muſis gratiſſime vates;
Nam tibi non ſolùm ſtudijs excellere legum
Dat Themis, & longas hominum componere lites;
Sed tibi tota patet viridantis regia Cyrrhæ,
Cùm libet vmbriferam Parnaſſi aſcendere rupem,
Oráque ſicca leuas riuis Permeſſidos vndæ,
Et nitidos ornas crines Penëide lauro.
Nec maiore tuba princeps Heliconis Homerus
Vtitur, armiſonum cùm pugnæ accendit amorem,

Et

Et ſtimulat claro virtutis honore Pelaſgos,
Martiaque Iliacas vocat in certamina turmas.
At mihi nec Clarios montes,nec Hyantidas vndas,
Pieriaſque deas vlla datur arte tueri;
Nec facio verſus calamis ab Apolline rectis.
Qualiacunque tamen tibi Floſſi carmina mitto;
Quæ precor vt venia digneris,& anſere viſo
Inter Amyclæas volucres ludibria fallas,
Atque voluntatem, ſi non mea robora,laudes.

SOLOR OLOR.

SIMO.

SIMONIS OGERII SYLVARVM

LIBER VNDECIMVS.

AD PHILIPPVM REGEM HISPANIARVM CATHOLICVM.

NEmo te laudare pro meritis queat
Rex regum maxime,qui terras habitant:
Nam nec parcis vitę,nec ſumptibus vllis,
Dum religionis agas negotium,
Et proferas Chriſto gratam pietatem,
Ac protegas deo ſacros ſacerdotes.
Quare tibi cœlum propediem ſubdet,
Non ſolùm Britannos,ac Hibernas gentes,
Sed etiam Turcas Aſiam colentes,
Et Getulum littus,ac ſaltus Argiuos,
Et Auſtriadarum domus Cæſarea
Omnibus regnabit telluris in oris,
Quas Titan roſeo conſpergit lumine,
Et ambit æquore Nereus Oceano.
Hęc vates ad verum geniti Parnaſſum
Euentura breui ſignificant tibi,
Parati Smyrnęo reſonare cantu,
Et ad ſidereum tollere verticem
Virtutes paternas ſemper memorandas,
Cum tuis,quas liuor fatetur maximas,
Nec vnquam Lethæa mergendas palude.

AD REGINAM ANGLIÆ.

REgina Britanni præſes Oceani,
Neſcis quantæ tibi clades impendeant
Irritato rege,qui regit Iberos.
Iam videbis ferum Thameſim gemere,

Et

Et Trinobantios cæde tingi campos,
Ac triplices fœtus Pardo generatos
Vnguibus opprimi ferocis Aquilæ;
Et beatam dici ponte Londinio
Loquelam, quę ſonos exprimat Hiſpanos.

AD BRITANNOS.

CRedite Britanni, gens ęquore cincta,
Veriora vobis, quàm Merlinus edam,
Merlinus ſagacis filius dæmonis,
Quem vatem putatis Phœbo veriorem.
Si pergitis vias ſequi Caluinias,
Et Hiſpanum bello laceſſere regem;
Iam cruore tinctum mare videbitis,
Quem Mars enſe fero fundet Heſperius,
Et Anglicas vrbes crematas flebitis,
Quas vret meritis Cantàber ignibus.
Dum licet igitur Iberum colite,
Nec iram tentate maximi Principum,
Quem ſol ætherea miratur ab arce
Antipodum claris imperare terris,
Non Hiſpanos tantum populos regere.

AD BATAVOS.

BAtaui cur ita Martem diligitis,
Et ciuiles rixas, diroſque tumultus?
Ah manibus ferum proijcite ferrum,
Et conditiones æquas accipite,
Quas vobis proponit Iberi regnator,
Quo nil clementius videt Hyperion,
Vectus per æthera curru purpureo.

AD ALEXANDRVM FARNESIVM PARMENSIVM DVCEM.

NVLLOS oppugnauit rex Macedûm muros,
Quin expugnauerit virtute bellica:
Et tu Farneſię ſplendor familiæ,
Nullas gentes tuo milite circundas,
Quin humilem cogas ad deditionem.
Teſtis bellacium Mauors Neruiorum,
Teſtis cęruleæ Neptunus Dunkerkæ,
Teſtis & Brabantæ Mercurius terræ,
Vnde non minorem reportaſti laudem,
Quàm Pellęus Heros expugnata Tyro.

AD IOLENTEN VERCINIAM.

NYMPHA Neruiadum gloria Nympharum,
Natus à cęrula Robertus Thetide
Tibi nuper fato rapitur acerbo,
Ad amnem, rigidos qui rigat Brabantos:
Vt eſſet Achilli comes ſpatianti
Per Erebi ſiluas Aſphodelo claras,
Quem Menœtiadæ præfert Æacides,
Oblectatus verbis herois diſertis
Narrantis acria Belgarum pręlia,
Et Martialium fortunas virorum.
At filius fama virtute parata
Per omnes volabit telluris angulos;
Et viuet inuito Libitinæ telo,
A Flammermontia çelebratus Muſa.

AD BENEDICTVM FLOSSIVM.

SI verus eſt Floſſi qui nunc fertur rumor,
Sirletum fatales expleuiſſe dies:
Lugeat Græcia, nam patrem perdidit,
Et verum Pimplæę gentis Mæcenatem.

AD

AD ADRIANVM FABRVM.

FAber à Delio, non Lemnio docte,
Ronſardus obijt, vt Lacheſis putat:
Sed obiſſe negat illum Calliope,
Qui docta volitat hominum per ora.

AD MARCVM ANTONIVM MVRETVM IVNIOREM.

MVretus dicitur obijſſe mortem
Oſſa tumulatus Romana tellure;
Tellure ſacratos tegente cineres
Tot ducum, Diuûmque cælo poſitorum,
Si poteſt obire, qui viuit per orbem
Eloquio, famam Tullij ſequente,
Et ſuis ędibus reliquit heredem
(Qualis es tu) vero vultu referentem
Patruum, quem laude vinces Pieria,
Si tibi neuerint fatilegæ manus
Ætatem floridam, iuſtoſque Decembres.

AD HENRICVM CAETANVM CARD. SERMONET.

CArdinalis doctę voluptas Thalię,
Pater meus fato nupertimè ceſſit,
Patria veſanis concutitur armis,
Et latrocinio nemus omne tremit,
Mater me ſenio retinet confecta.
Mens tamen Latinos deſiderat agros,
Et flauum Tiberim, colleſque ſeptenos.
Sed vides quę greſſum cauſæ remorentur.
Vale, Simonemque tuum diligito,
Vt Romę, nunc vrbem colentem Sitiam,
Et Aam fluuium, Morinoſque ſaltus.

AD

AD MARCVM ANTONIVM GRATIANVM.

GRatiane meo gratiſſime cordi,
Mors nuper rapuit Allardum parentem,
Qui ſepties denos expleuerat annos,
Cuius Libitina me fletu ſuffudit,
Decidente mœſti luminis ocello,
Inſtar niuis albæ, quam Zephyrus ſoluit
Poſitam montibus Vere rubicundo:
Hæc, & vnà latro ſiluæ timor facit,
Ne pulcros repetam Romulidûm lares,
Et Tiberim flauo gurgite natantem.

AD FEDERICVM CERVTVM.

CErute Daunijs accepte Camœnis,
Pater meus vitam cum morte mutauit,
Mater Italicum remoratur iter,
Et feros cauſatur latronum gladios.
Ego tamen doctas ſuſpiro puellas
Choros exercentes ad flumen Atheſin,
Non procul à ſancto Leonardi monte,
Qui ſemper Phœbæa perſonatur lyra,
Et audit iuuenum Pimplæos amores.

AD IOANNEM LISCAM.

LAcheſis gemina nuper cum ſorore
Vltima legerunt fila patri meo:
Quæ mors imbre mœſto lumina perfundit.
At diu nigrorum dominæ fatorum
Incolumem mihi meam ſeruent matrem:
Ne mæror geminus cor laceret meum,
Et fletu madeant perpetuo genæ.
Vale Liſca Dices certiſſima proles,

Ac

Ac ſaluta meis meos omnes verbis
Amicos Claria politos doctrina,
Quos vrbs admiratur ad Atheſim ſita,
Non procul à Baldi niueis montibus.

Ad Balthasarem Sevlinvm.

NVpertime duos amiſimus viros
Euſebiæ caros,& Calliopeæ:
Vrbis Audomaræ præſulem Sixium,
Dum Montes cogitat, Inſulis defunctum,
Et huic Pamelium datum ſucceſſorem,
Montibus,dum petit Bruxellas,mortuum.

Ad Iacobvm Cordarivm.

IAcobe ſancti miles Dominici,
Nec Achariſtias effugerem notam,
Nec impietatis turpiſſimum crimen,
Si ſinerem noſtrum Balthaſarem premi
Taciturnitatis odioſo ſitu,
Nec tentarem claro donare lumine
Nomen eius raptum Lethæo flumine.
Nam me,dum coluit Audomaropolim
Sparſus purpurei ſolis luminibus,
Ad ſtudia ſemper incitauit pia,
Et doctæ virtutis incendit amore,
Fax illuſtris, ſanctè quam colo,Thaliç.
Ac voce qua multum valuit diſerta
Ciuium noſtrorum confirmauit mentem,
Vt non vnquam vellent ouili deſerto
Quod regit Romanæ paſtor eccleſiæ,
Sequi lupos vias ſequentes auias,
Haud procul impuris Allobrogum muris,
Vbi fœda voluit Lemanus fluenta
Acherontiarum genitor Hydrarum.
Vnde ſibi magna conflauit odia

Turbæ

Turbę Caluinijs imbutæ venenis;
Cuius importuno vexatus furore,
Atropon citius iuſto vidit die,
Nondum canis nigros varians capillos,
Et ad ſtelligeram properauit domum,
Clara relaturus virtutis pręmia,
Ac diligentiæ, laboriſque pij,
Quem velut Hercules tolerauit alter,
Dum non finit colla repullulaſcere,
Quæ pius Echidnis abſtulerat enſis.

AD EDMONDVM BORGONIVM Theologum.

QVantum Thrace ſuo debet epiſcopo,
Qui nomen ab ore trahebat aureo:
Tantum tibi ſolers Edmonde debemus,
Qui nos ſuauidica mulces facundia,
Dum lepidiſſimis in concionibus
Exagitas Bezam, Sitiumque mones,
Vt in officio permaneat ſuo,
Nec mendaciloquę ſubſcribat Geneuę,
Sed ſemper Romanam colat Eccleſiam,
Vbi ſedes fixit Alithéa virgo.

AD IOANNEM CARPENTEIVM.

LVgebam, crebroſque ciebam gemitus
Pectore curarum vulnere ſaucio,
Cùm viderem Muſas Belgio fugatas,
Diro ciuilium tumultu rixarum,
Et amari Martis furore cruento;
Aſt vbi labores tuę legi muſę,
Heliconiadum decus Iõannes,
Et inueni dictum carmine Latino
Inſignem Solymis Amoſiden modis:
Lætitiam toto pectore concepi,

Et

Et mœſtos dolores protinus amiſi.
Atque Rigiaco gratulor opido,
Quòd multas poſt meſſes virum protulerit,
Qui cœlum vertice laurigero tangat,
Et Belgium ſancto carmine mulceat.
Iam nec Italia ſtudiorum mater
Ita ſe iactitet Poëtica laude,
Admirata ſuos Vidas, atque Bembos,
Et Fracaſtorios, & Sannazarios.
Vnus armiferæ vates Arteſiæ,
Tandem ſidereo vehendus carpento,
Quemlibet iſtorum poteſt prouocare
Grauitate verſus, ac elegantia;
Et detractam fronti coronam Latiæ,
Temporibus Phœbo dignis vſurpare;
Et Andinam ſibi vindicare laudem,
Vel iudice Momo Liuoris filio.

AD FRANCISCVM MOSCHVM.

VT mihi Blondellus cum Betencurio
Copiam fecerunt aliquot verſuum,
Quos tua dicitur Clio genuiſſe:
Ilicò, veluti venator agnoſcit
Ex vnguibus fuluæ filium Leænæ:
Sic ego Pimplęę ſtudioſus artis
Excellentem ſonum iudicaui lyrę,
Quam pulſat Clario tua Muſa plectro,
Nil cedens, cùm pangit elegos, Tibullo,
Nec magno Maroni, cùm decantat epos,
Nec Appulo vati, dum ſcribit Lyrica.
Quare tui flagro videndi ſtudio,
Franciſce Grynæis edite montibus
Patre Latonio, Calliope matre,
Et tuus ſic mihi gratus erit vultus;

Ac Ver auricomis puellis eſt gratum,
Poſt gelidas niues hyemis horridæ,
Iucundo Zephyri ſpiritu relatum.

AD VEDASTVM GRENETIVM ABBATEM BERTINIANVM.

PEtrus ad me ſcripſit te domum rediſſe
Relicta bellici patria Comij,
Quem Cæſar fecerat Atrebatum regem,
Et cumulauerat Morinorum ſceptro;
Tunc cùm Menapios laceſſeret bello,
Et Catiuulcios violaret agros,
Nec Britannas mentes ſineret quietas.
Et nunc præſentia mirè iuuas tua
Aam purpureis oloribus tectum,
Et Nymphas Hamæa colentes nemora,
Vatésque Sitium collem frequentantes;
Blanda fundens verba mellis ore pleno,
Cum quo nec conferri debeat Atticum,
Nec quod Sicaniis texitur alueis.
Qui nuntius meas beauit Camœnas,
Nam Soles per agros eunt clariores,
Quos multos poſſidet pater Audomarus,
Et Muſæ maiori celebrant agmine
Arteſiæ iugum, quod imminet Arkæ;
Dum tuus Vedaſte Præſul ampliſſime
Illa regione moratur Genius,
Studioſus, ſi quis alius, Parnaſſi,
Ac fontis, Dircęo qui cadit vertice.

AD ANTONIVM BERGVESIVM BOEFFLIÆ DOMINVM.

MIrabar cur Phœbus ſolito clarior
Luſtraret Morinos lampade fulgida,
Et nobis nitidos oſtenderet vultus:

Cùm plurimis ante diebus è cœlo
Imbres deciderint hiſpida facie,
Et fœdus ęthera turbauerit Auſter.
Fama nunciauit penates ſeruanti,
Et in horto meam ſectanti Thaliam,
Electũ te votis omnibus Demarchum.
Ergo nunc populus lætitia fremit,
Et gaudia fouet Audomaropolis
Pectore curarum pondere libero;
Aaque vortices voluit argenteos,
Et Nymphis,& cycnis dulce canẽtibus
Pegaséum melos ad ſidera tollit,
Et dies populi cum vultu conuenit,
Qui beatam putat fore rempublicam,
Heros te noſtrorum rectore ciuium
Quietem ſalutis ſuæ collocantum
In tuis Camœnis,atque prudentia,
Et vigilantibus ſemper luminibus.

AD PANAGIVM SALIVM.

SAli Pieriis gratiſſime Nymphis
Quæris quos Itali,gens acutiſſima,
Plurimi faciant Latinos Poëtas,
Ob elegantiam,ſtiliq́ue nitorem:
Illis ſummopere probatur,ac placet
Comicus Africa tellure genitus,
Atque Lucretius amor Luciliæ,
Et Catullus pulcræ Sirmionis herus;
Et inſignis mœſto Tibullus elego;
Quorum ſermo purus,nitidus, elegans
Olere dicitur Romanam Venerem,
Ac vrbanitatem,leporesq́ue meros.

AD IOANNEM FICÆVM.

QVi carpit labores, vt tenues, meos,
Dulcis Ioannes, iniuſtè me carpit.
Exigua mihi noualis aratur,
Et meos vomeres iugera deſerunt,
Quanta per Latium Galeſus colebat.
Sed tamen gemmulam manu ferre malo,
Molaria qui vult ſaxa, ſibi tollat.

AD LAVRENTIVM FRIZOLIVM.

BVgaïus omnes qui præ ſe contemnit,
Laurenti laurea digne Patarça,
Non ideò verſus emittit in lucem,
Quos centum millies habere ſe iactat
Scriniis conditos arte Mæonia;
Ne quam ſpem Smyrnçæ concepit laureç,
Eam permutari videat vrtica.

AD PANAGIVM SALIVM.

QVamuis ſummopere mirentur Itali,
Erudite Sali, Terentij linguam,
Osq́ue Lucretij; dicantq́ue Catullum,
Et Tibullum puro ſermone locutos,
Hosq́ue putent verè Romanos Poëtas:
Tamen non negligunt Andinos olores,
Maieſtate plenos Colophoniaca;
Nec magnum Naſonis rident ingenium,
Neque deſpiciunt Venuſinum vatem,
Nec qui ſe Romanũ vocat Callimachum,
Et optimos putant etiam Poëtas,
Quos aureum tulit Auguſti ſeculum.

AD FRANCISCVM PERANDAM.

O Quàm gaudet pectus dolore ſolutum,
Quo vitam tenebris preſſus exigebam,
Putabam frigere Piëridum ſacra,
Et interiiſſe Poëtarum nomen

Apud

Apud Belgas meos bellis occupatos,
Et veſano Martis correptos amore;
At nunc quot emergunt de ſubito vates,
Et carmina pulcris pulcra mandant typis;
Quæ miretur vates Mincio genitus,
Si deſerat lucos Aſphodelo claros,
Et repetat orbem radiis illuſtrem,
Permiſſu Plutonis vmbrarum domini?
Hæc nuper cupido percurri lumine,
Nec oculis vnquam venit ſatietas:
Iures non hîc minus oberrare Phœbum,
Quàm cretũ ſanguine Mauortio Phobum;
Et tranſiſſe montes Cadmæos ad Belgas,
Cum choro Cyrrhæa gaudente cithara.
Adeſt Torrentius Gondunorum decus,
Qui prouocat ore ſyncero Syncerum
Laudes parientis Mariæ canentem;
Et Vidam funera Tonantis deflentem.
Et prodit Robertus Obryſia proles,
Atque Carpenteius amor Amoſidæ,
Et natus Argiua Syluius in ſylua,
Et Moſchus,& culto Sluperius ore,
Et Vinacurius labra rigans vino,
Quod prope Dircęam funditur curiam,
Monceiusque ſagax, interpres inclytus
Regis,quem Iudæa vocat ſapientem.
Et Æmus,quem Phœbus genuit in Æmo,
Æmoniæ monte Camœnis dicato,
Captus Euterpęa dulcis Muſę forma.
En prodit etiam Bochius inſignis,
Ortus Getulica regum proſapia,
Et canit ereptam Batauis Anuerſam,
Atque reſtitutam Catholico regi,

Martis Farneſij bellica virtute;
O qua fide, quanto pectoris ſpiritu!
Hîc deſinam, nam me turba fatigaret
Numerantem vates, quos habet Belgiũ,
Æquantes numerum flauentis arenæ,
Et ſtellarum cœlo fulgente micantum,
Florumq́ue per verna ridentium prata.

AD GVLIELMVM FACONIVM.

Nix montes, & valles, & ſyluas, & campos,
Et omnia præter maris arua tegit,
Nec ſcribere licet, nec licet legere.
Liber manu preſſus incutit horrorem,
Et atri liquores frigore durantur:
Et pudet ignibus ſemper aſſidere,
Et focos, vt vetus Camino, colere;
Nec litare Baccho decet aſſiduè,
Nec placet aleam verſare manibus,
Nec libet nimio marceſcere ſomno;
Et ita moleſta fallere tempora.
Quid ergo faciam quęris Gulielme?
Reminiſcor illud tempus dulciſſimum,
Quo per Italicos errabam limites,
Vel apud Atheſin, vel apud Albulam,
Et Sermonetanis legebam collibus
Flores odoratos hiberno ſidere;
Vel vuas Tyriæ certantes purpuræ,
Montibus Baldicis, ac valle Rhetica,
Cùm caput Autumnus extuliſſet ſuum;
Procul ſanguineis remotus ab armis,
Nilq́ue niſi lyræ ſtrepitus audiens,
Regione pacis ſtudioſiſſima.
Vel Smyrnęos verſus blanda voce cãto
Clauſus cubiculo libris decorato;

Et ſic

Et ſic niuem fallo, tempuſque gelidum,
Nec brumam ſentio, nec Boream ſęuum,
Quin tantum calorem corde concipio,
Vt ſemel in nemus intraui Muſęum,
Ab Enthuſiaſmo tractus Mæonio,
Vt ſi menſe ſacro Veneri Paphiæ
Impeterer Solis lumine tepido.
Quare non ingratus grates ago magnas
Laurigero magni Mæonis filio,
Quòd arceat procul à meo capite
Iniuriam cœli lectis carminibus,
Quibus vel Achillem, vel Vlyſſem laudat.
Quin etiam curas ex animo pellit,
Si quando me dolor acerbus inuadit,
Et triſtia mentem lacerant tempora.

AD NICOLAVM CASTELLANVM.

IGnoſce, ſi raras ad te dem literas;
Frigus acre nigrum congelat liquorem,
Et manibus dirum concinnat horrorem,
Nec ſinit calamos officio fungi;
Et impedit dulcem citharę ſtrepitum,
Et maior Vulcano, quàm Muſis eſt honor:
Nec vir Paſitheę, nec Liber diſplicent.
O quid fiet tandem nobis miſerrimis?
Æſtatem pluuiis pertulimus grauem,
Nunc horas hyemis facit odioſas
Nix è cœlo cadens ingenti cumulo,
Nec ceſſat bacchari Boreas ab Arcto.
Qui quater vicenos explerunt Autumnos,
Negant ſe vidiſſe tantum niuis vnquam:
Nec tam ſęuis ſuos artus frigoribus
Meminerunt vllo tempore petitos.
Tamen Belgæ noſtri pectore feruido

Martem perſequuntur ſemper horriſonum,
Et calidiſſimas meditantur pugnas,
Nec nitidos vertunt oculos ad niuem,
Nec ſæui Boreæ mugitus audiunt,
Nec frigora curant amnes durantia.
Sic olim Romani, Mauriq́ue certantes,
Ad Thraſimenios Peruſię lacus,
Terræ neglexerunt repentinos motus,
Nec præ Mauortio pugnandi ſtudió
Audiuerunt ventos nemora ſternentes,
Et excelſos montes æquantes vallibus.

AD ANNAM.

HOc Anna tempore, quo nix volat cœlo,
Et albis omnia tingit coloribus,
Lupi fame longa preſſi ſyluas linquunt,
Et infeſti pagis errant celebribus,
Et greges, & magna laceſſunt armenta,
Nec viris, nec turbę parcunt fœmineę,
Nec horrent Sariſſas, nec enſes rigidos,
Nec tormentum glande munitum plumbea.
Præcipuè verò virgines appetunt,
Quorum tenerrima capiuntur forma:
Teſtis Aëriæ clariſſimus amnis,
Ad cuius virentes, nunc albentes ripas,
Nuper pulcherrimas rapuerunt Nymphas,
Et ieiuno dente dilacerauerunt
Egreſſas ædibus ad fluminis hauſtum.
At tu ſiue petas templa, ſiue campos,
Seu colles albidos, ſeu liquidum flumen,
Egreſſura domo me protinus voca.
Eris mecum tuta, nec experiere
Inſani pecoris rabiem cruentam.
Nam me ſtudioſus vatum Mercurius

Harpes Cyllenidos donauit fulgore,
Cuius terribilem formidant aciem,
Et vitant, vt miſſi fulminis impetum,
Feri Lycaonis feroces filij,
Vt quam ſępè ſuo ſanguine tinxerunt.

AD GERARDVM CORNELIVM.

COrneli Celticæ fidicen Camœnæ,
Cras relinquam Nymphas Scarpam celebrātes,
Scarpam Catuacis labentem finibus,
Et certantem magno Diliæ fluuio;
Ac repetam cycnis Agnionam tectum,
Et Sitios montes, Morinosq́ue ſaltus.
Erit mihi gratum per hortos vagari,
Quos floribus pictos habes domi tuæ,
Vel ſoli, vel magna comitato Muſa
Poëtę Smyrnęos ad lacus geniti,
Qua motus cōdidit carmen armiſonū
Iliados fortem laudantis Achillem:
Idq́ue cùm te foras trahent negotia,
Quibus pro viribus rem curas publicā.
At cùm liber curis domum reuertére,
Seponam carmina vatis Męonij,
Et tuis aduertam ſermonibus aures,
Qui vincunt Attici dulcedinem faui,
Ac mella, Siculam quæ creſcunt ad Hyblam,
Et totus pendebo loquentis ab ore,
Seu verſu, ſeu verbis vtare ſolutis,
Seu recites ore Poëtas lepido
Romanos, vel Graios, vel artis Gallicę,
Sequentes orbitam, quam triuit Ronſardus,
Qui vertice Muſas bicipite traxit
Ad lucidiſſima Sequanæ flumina;

Quem doleo nuper fato nobis raptum,
Et Atropi nigra percuſſum ſagitta.
Hunc tamen ęternum pij tollent verſus
Ad Olympiaci verticis cacumen;
Et celebrem mundo facient Poëtam,
Quà fluentiſono ſpargitur Nereo.

AD ADRIANVM ORESMELIVM.

VEniſſem citius ad vrbem Sitiam,
Sed me detinuit imber properantem,
Qui cœlo cecidit Iunio mirante,
Vt annis etiam ſuperioribus;
Nimius,& alta generans frigora.
Timebamus nobis diluuium Pyrrhæ,
Cùm Leones fului per freta natarunt,
Et Delphines altis incurſarunt ramis.
Flet arator aquis obrutas ſegetes,
Nec vindemiator expectat racemos,
Et paſtor ſtabulis mœret merſum gregem.
O quales æſtates nobis perferuntur!
Sed has meruimus,& maiores pœnas
Delictorum labe,qua contaminamur.
Iuſtitiam noſtro fugauimus corde,
Et religionis negligimus cultum,
Et raro delubra ture vaporamus.
Inter nos impiis concurrimus haſtis,
Et ciuili dextra miſcemus prælia,
Nec pacis aureæ curamus honores,
Neque concordiæ reliquimus locum,
Sed Furias nigro ciemus Auerno,
Quæ multas ad Orcum demittunt animas,
Nec Venus,nec fraudes,neç Auaritia,
Nec furta,nec lites hîc finem capiunt,
Atque periuriis nullus ineſt modus,

Et fra-

Et fractis aufugit pudor repagulis,
Pulſus in extremas Antipodum terras,
Et miramur nobis aduerſos cœlites,
Totq; noſtras premi terras incōmodis,
Et modò non genus Belgicum periſſe,
Extinctum bellorum furiis, ac fame,
Et peſtilentia morte comitata?
Quòd ſi pietatis veneremur aras,
Et ſuo Themida dignemur honore,
Et pacis fraternæ petamus fœdera,
Iraſque furiis accenſas ponamus:
Deus quoque ſua recondet fulmina,
Et cornucopiæ remittet horreis,
Quæ flemus exhauſta Cereali meſſe;
Nec Vulcanus vrbes cremabit Flandricas,
Et peſtis Lethæas redibit ad domos,
Nec mors tam frequenti graſſabitur pede
Per arua, quæ colunt infælices Belgę.
Vel ſi tanta belli nos tenet rabies,
Armemur in Turcas, qui Delphos poſſident,
Et Africæ colunt opulentas vrbes:
Et regunt Aſiæ fælicis opida:
Nec ſinamus turbam cultricem Prophetæ,
Quem nigris auibus fudit Arabia,
Errare per campos Hermoniæ rupis,
Et regnare ſacras Iordanis ad vndas,
Et Chriſti ſepulcra ſibi vindicare.
Hæc erant prælia nobis amplectenda,
Et hæc principibus placuerunt priſcis,
Forti Godefredo, fortique Carolo,
Merito Muſarum laudatis carmine,
Et æternos Cytrhæ ſenſuris honores.

AD FEDERICVM CERVTVM.

MEdimnus tritici Federice venit
Apud Belgas meos aureis triginta;
Et annona nunquam carior emerſit,
Ac egena proles inuenitur paſſim
Per agros iaculo famis enecata,
Quam mortem Poëta vocat miſerrimam.

AD AQVILONEM.

AQuilo gelidum compeſce furorem,
Nec in nos effunde Biſtoniam bilim.
Iam menſes aliquot præter morem furis,
Et terras rigido flamine territas;
Nec ſinis Belgica ſurgere gramina,
Nec viridi campos veſtiri colore,
Et flores, & frondes arboribus negas,
Nec frumenta iuuas, nec maturas meſſem;
Et moraris naues Hiſpano littore,
Auxilium nobis præſens allaturas,
Contra Britanorum Stygios furores,
Et gentem Batauam rabie percitam;
Ah permitte tandem regnum Fauonio,
Et fratrem per cœlum patere vagari,
Et ſuis maria flatibus mulcere,
Terrasque iucundo ſpiritu fouere.

AD BALTHASAREM SEVLINVM.

BAlthaſar miſerę ſolatium turbę,
Nobis Deus mittit abundè ſegetum;
Et cornucopię non deſerit agros:
Sed ſtudio lucri deceptus mercator
Vitiari bonæ meſſis fructum ſinit
Longę vetuſtatis odioſa die;
Et hic ſilentium tenet magiſtratus,
Nec leges ſequiunt, nec pœnas exercent.

Ad Petrvm Sabellvm.

COſmus Hetruſcorũ princeps egregius
Sabelle,damnauit æterno carcere
Philargyrum ſuis priuatum fortunis,
Quibus pauperculam recreauit turbam,
Quòd Pleonexia ductus ſeruauiſſet
Tam diu ſynceræ Cereris munera,
Donec longa dies illa vitiaſſet;
Quæ Diceus heros Arno mergi iuſſit,
Ne vulgo parerent vel dyſenteriam,
Vel aliam luem,leti genitricem.

Ad Antonivm Regem.

REx Brugeliadum gloria Muſarum,
Barlęmontiades Mauortius heros,
Liberalitatis dictus flore Florus,
Quod ſacrum florebit nomen perpetuò
Gentis laurigeræ carmine florido:
Cariſſima ſuos annona premente
In Eburoniæ regionis agro,
Qui meſſis corruptæ medimnus vænibat
In foro,dolore magno plebeculæ,
Non minoris octo,cum decem florenis;
Apertis,quæ multa poſſidet,horreis,
Eum larga manu,nec odore tetro,
Nec curculionis dente violatum,
Sed ſynceræ frugis & carentis labe
Ære diuiduo venundari iuſſit.
At cui nullus domi nummus affulgebat,
Sed telas inopes texebat Arachne,
Ilicò miſelli miſertus popelli,
Purum far inemptum ferre domum dedit,
Et Bubroſti mala preſſis opem tulit:
Laudem nõ meritus minorẽ,quàm Magnus

Qui fame Romanis vlulante tectis,
Vaſtiſſimi maris æquore ſulcato,
Romam ſpe citius hominum rediit,
Nauibus onuſtis Cereali dono;
Et populi longam releuauit famem,
Atque theatrales expertus eſt plauſus.

AD NICOLAVM CÆSAREM.

VElocaſſes nobis finitimæ gentes
Non iam more ſuo choréas exercent,
Nec teſtudineos meditantur cantus,
Nec cum Muſis colle vagantur amœno,
Nec hilari mente conuiuia curant:
Sed lugent, & Martis furores accuſant,
Et de caritate queruntur annonæ.
Nam modius ibi locorum tritici
Aureis hodie quadraginta venit.

AD REGEM DANIÆ.

HEros frugiferæ regnator Daniæ,
Dum Grauelinias Aa petet vndas,
Memor erit tui Gallica natio,
Et gratias aget Cimbrico candori,
Quòd frumento noſtras adiuueris oras,
Fame Belgiacos errante per agros,
Et miſeram nobis intentante necem.

SOLOR OLOR.

SIMO-

SIMONIS OGERII

SYLVARVM

LIBER DVODECIMVS.

AD ALEXANDRVM FARNESIVM PARMENSIVM DVCEM.

ALEXANDER magni regis æmulator,
Quem fælici partu fudit Olympias,
Ad mœnia Pellę triumphis inclytæ:
Perpetuis eſſent opprobriis digni,
Vt Achariſtias impudentes nati,
Vates quos Belgica ſuſtinet Gallia,
Si te carminibus negligerent ſuis,
Nec laudes meritas concinerent tibi,
Tuasque virtutes æquarent Olympo.
Nam pacem,ſerena quæ torquet lumina,
Modò non omnibus reduxiſti terris,
Quas habitant Belgæ militares viri.
Soli Martem ferum ſequuntur Valacri
Cum Batauis,ſuę fidentes dexteræ,
Et opi,Britanna quam mittit regina,
Quos tamen ſperamus breui conceſſuros
Marti tuo,certa freto victoria.
Quin munere tuo pacem comitantur,
Puellæ Dircęa genitæ ſub ora,
Et ſecuræ colunt viridantes ripas
Scaldios,& Moſę,necnon Amiſij,
Et ludunt ad Sabin,& Scarpæ nemora,
Nec fugiunt Lyſam, nec olores Aæ,
Et Heliſaliis tutò canunt iugis,

Et nul-

Et nullo timore celebrant Ardennam;
Nec te duce vultus formidant hoſtium.
Ergo dum murmura voluet Oceanus,
Nunquam Muſæ tui non memores erunt
Per montes & ſyluas Belgio virentes;
Et iam denſis ſurgunt agminibus vates,
Cupientes tuas memorare laudes;
Et te ſidereis decorare ſertis.
Sic nec Heſperiis tacebere regnis,
Nec terris, quas Indus gemmifer irrigat,
Nec campis, quos diues poſſidet Garamas,
Nec aruis Arctoo percuſſis frigore.
En Bochius Epos ducit Mæonium,
Bochius Andino certaturus cycno,
Et impellit chordas Lęuinus Thebanas,
Nec formidat altam Pindari Camœnam,
Et carmina fundit Carpenteius ore
Superante mella Sicelidos Hyblæ,
Monceiusque feras blanda mulcet voce,
Non ſecus ac vates Apolline natus,
Quem ſæpè canentem miratus eſt Hebrus.
Nec deeſt Franciſcus Inſulana proles,
Nec Moſchus populi decus Nigellani,
Vterque Tymbręa redimitus roſa;
Et labra perfuſus Caſtalio rore.
Omnes hi laudibus ſtudent Farneſiis,
Et plures, quos eſſet numerare longum;
Hic canit bellici virtutem lacerti,
Et tua ſequentem veſtigia Nicen
Pede non inuito, nec tetrica fronte;
Ille laudat iunctam clementiæ Dicen,
Et Egenis gratam liberalitatem,
Et candorem tuum, vultusque ſerenos;

Alius

Alius celebrat generoſitatem,
Ac nobilitatem domus Auſtriacæ,
Vnde genus ducis ſanguine materno,
Caroli Cæſaris ex filia nepos:
At ortu paterno tangis Farneſios,
Et Paulum celebrem Muſarum parentem,
Quo Cyrrha principe cantibus viguit,
Et Romana tellus ſplendore floruit.
Alius extollit inſigne ſtudium,
Quo doctos homines ſemper proſequeris
Tuarum comites expeditionum,
In quaſcunque terras te fortuna ducit.
Sic in caſtris habes non ſolùm Mauortem,
Sed etiam blandum Latonæ filium,
Nec inferiores Calliſthene viros,
Nec ceſſuros cultæ Xenophontis linguæ,
Ac Triboniano reſponſuros ſono,
Et Colophonias æquaturos Muſas.
His artibus olim Philippi filius
Vicit Medos acres,ac Perſas ſuperbos,
Et Porum maximo præditum robore,
Ductoremque gentis bellicoſiſſimæ;
Tum quotquot acie petiit populos,
Seu vallis fidentes æquore poſitis,
Seu montibus alta cientes prælia,
Siue Neptunio circumdatos ſalo,
Et claſſe validam meditantes pugnam.

AD MARTEM DICTVM.

MAuors non genite Pamponeropoli
Tiſiphone ſæua,ſed Agathopoli
Dice ſanctiſſima Tonantis filia:
Alexander natus Farneſia domo,
Cùm bella mouentur, & inſtant prælia,

Tuis iuſte pater armatur manibus,
Et robore fortis augetur Alcidæ.
At hunc Pallas amans,vt Laërtiaden,
Ne tentet Heroa magnum temeritas,
Et nimis calido trahat conſilio
In apertiſſima leti diſcrimina,
Nec decus,nec laudem domum relatura:
Qualia vigentem pectore feruido
Perdiderunt olim regem Cleombrotum,
Et Ageſilai fratrem Teleutiam,
Nimis laxas iris habenas tendentem;
Prudentiam donat & acutam mentem;
Cyllenius autem dat eloquentiam,
Quæ poſſit certare vel cum Periclæa,
Vel illa, quæ ſono tonabat Arpino,
Vt milites verbis animet diſertis
Ad ignominiam fugæ deteſtandam,
Atque victoriæ laceſſendam laurum,
Quam Farneſiacæ promittit virtuti
Tyche, Timotheæ fautrix Adoreę,
Decantandam ſemper à poſteritate
Munere Nympharum domus Hyantææ,
Quas honore ſummo colit Parmeſides.

AD HENRICVM CAETANVM
Card. Sermonet.

HEros Caëtana generate domo,
Qui tibi ſalutem meis dicet verbis,
Et hos tibi reddet adoleſcens verſus,
Apud nos genitus eſt parente pio,
Ipſe pietatis eximius cultor,
Atque ſtudioſus artis Apellææ.
Si qua re ſtudium deſideret tuum,
Rogo ne puerum deſeras remotum

Morinis ab oris,patriæque ſolo.

Ad Franciscvm Bvrivm.

QVod non eſt ignotum tibi docte Buri,
Maximilianus,cùm citharam pulſat,
Æquat Threïciæ leporem Camœnæ:
At cùm reluctantis frena regit equi,
Antecedit arte gemello Caſtoris,
Aglaïæ pulcro pulcrior filio;
At cùm iuueniles attigerit annos,
Marinæ Thetidis referet filium,
Mattiæ virtutis impetu viuido;
Belli ſolertia ſimilis Maximo,
Et fælicitate par Æmiliano,
Atque decus magnum domus Noricarmæ.

Ad Antonivm Blondellvm
Cvinciorvm Baronem.

NOn nos alliciunt ita Cuincia rura frequenter
Propter triticeos fœtus,laticesque Lyæos,
Quos fundit generoſus ager,fontésve,lacúsve,
Et virides ſyluas,& amœno vertice colles,
Et Philomelæ carmina dulci gutture fuſa,
Arboreasque comas Pomonæ dona ferentes,
Et Zephyros blanda ſpirantes leniter aura,
Et picturatos gemmis florentibus hortos,
Altaque marmoreo rutilantia tecta nitore,
Et Lucullanas referentia fercula cœnas;
Raraque quæ profert oculis miracula tellus:
Sed propter vultusque tuos,blandosque lepores,
Verbaque Cecropij mellis dulcedine tincta,
Aoniasque Deas,quę nunc Helicone fugatæ
Caucaſeis iaculis,ac barbarico vlulatu
Hæc loca concelebrant alacres,& pollice docto

Percuſſis hilarant chordis; ſeu Phœbus Eoas
Linquat aquas, rutilo ſparſurus lumine terras,
Siue ſoporiferæ ceſſurus tempora nocti
Purpureos condat lympha Tarteſſide vultus.
Fælicem Blondelle tuam doctiſſime ſortem,
Et longè fato ſuperantem ſceptra ſecundo,
Quæ magnus Byzas, Conſtantinusque tulerunt,
Cùm vitam colerent mixti mortalibus ægris.

IN EREMVM CVINCIANAM.

NVper in vmbroſo ſedes tibi condita luco,
Si ſtolidum ſpectes vulgus, Eremus erit.
Nam nunquam indoctos huc greſſus Chœrilus infert,
Turbáve Pierio non bene nota iugo:
At non Aoniis Antoni grate puellis,
Si Clarium ſpectes nomen, Eremus erit:
Namque Meleſigenes, & acuta voce Marones
Aſſidua celebrant hæc loca pulſa lyra.

AD ANTONIVM BLONDELLVM CVINCIORVM BARONEM.

QVi primus in vulgum ſparſit maledicum,
Abſtuliſſe tuum caput Libitinam
Ictu repentino, nec opina morte;
Velim ſuum prodat nomen teterrimum,
Blondelle viridis voluptas Thaliæ,
Vt candoris illi gratiam referat
Gens Aganippæa redimita roſa,
Non aliis verbis, quàm quibus gaudebat
Poëta Pario nobilis Iambo.

AD MICHAELEM ESNEVM BETENCVRIÆ DOMINVM.

MIchaël Dircęa polite doctrina,
Qui putant Ennio cognomine clarum
Ducere te genus à Poëta magno;

Quem

Quem gens Cornelia fouit aſſiduè,
Defunctúmque rogis inſeruit ſuis,
Nullo ſtultæ mentis tenentur errore.
Nam carmine graui non cedis Ennio,
Nec genus ab eo ductum dedecoras,
Acceptus principi telluris Iberæ,
Quem regem maximum luſtrat Hyperion,
Cùm face roſea lumen infert mundo.
Nec errant qui dici te volunt Ennæum:
Nam velut Ennæa Saturni filia,
Humano generi fruges eſt largita,
Quæ viles fecerunt Dodonęos fœtus:
Sic tu familia dignus Eleuſina,
Nec pudendus nepos matris frugiferæ,
Omnes qui contendunt ad tuos Penates
Dura preſſi fame, manu iuuas larga:
Nec tantum flauentis munere Cereris,
Sed & ære domum remittis donatos.

IN PARAPHRASES HORATIANAS
FEDERICI CERVTI.

VT cœlo effuſus cæcæ caliginis aër
Grata viatori florea prata tegit:
Vtque atras pellit nebulas Hyperionis ardor,
Et viridem roſeo lumine pandit humum:
Sic dulci eloquio, doctoque labore Cerutus,
Dat lucem ſcriptis Daunia Muſa tuis:
Obſcurosque aperit ſenſus, variosque lepores
Explicat, vt facili tramite lector eat.

AD HONORIAM AVREAM.

VT cecinit liquidas ales Dircæus ad vndas,
Nil auri ſpecie pulcrius eſſe poteſt:
Nec magno quicquam imperio, ac virtutis honore
Humano generi gratius aſtra videnti

Sic quæ Nympha datum pulcro cognomen ab auro,
Et vero dictum nomen honore geris;
Nil videt eſſe tua Rhenus ſpecioſius aura,
Iucundumque magis nil probitate tua.
Et quis non dignam memorauerit aurea Crœſi
Semper honorata ſceptra tenere manu?

AD VRANIAM.

CVm te meum lumen amare deſinam,
Humida carebunt piſcibus æquora,
Tellusque varia graminum pictura,
Et Polus ſtellarum claris agminibus.
Nec tui potero nunquam memor eſſe,
Non ſi totos amnes Letheæ paludis
Sitiens aridis occupem faucibus,
Quærens obliuia faciei tuæ,
Et formæ, quam nulli memini ſecundam
Puellarum tecta quæ colunt Sitia,
Et montes Morino ſurgentes aëre.

AD GVLIELMVM FORNERIVM.

PVella quam tuos appellas amores,
Compoſitum nomen gerit è duobus;
Quæ quondam gerebant & mater Epaphi,
Et ſoror Phœniſſæ, quam reliquit heros,
Genitus ad altas Simoëntis vndas,
Dum Latium præfert Tyriis vrbibus,
Nec Romanas arces inuidet Iülo.
At mea, quod quæris, vocatur amica,
Nomine quo Diuus Aſſiſij natus,
Princeps, atque pater funigeri gregis.

AD THEMISTOCLEM.

NEoclide tuum iacet conſilium,
Hoc æuo puellæ malunt diuitias
Viris deſtitutas, quàm viros opibus,

O ſem-

O ſemper auarum genus mulierum.

IN PHILARGYRAM.

PVella thalamo digna Caucaſeo,
Non te mouet clari vatis ingenium,
Anchini ſub iugo nutriti Pimplæo,
Nec fama, nec decus oris purpurei,
Nec honeſti mores, nec inclyta virtus,
Nec pij parentes, nec ſtemma nobile:
Sed opes & cenſus, & reditus magni.
His capta Poëtæ captas Hymenæos.
At ſi ſapit heros niue candidior,
Tuas longiſſimè reijciet ſordes,
Ac puellam ſibi connubio iunget,
Quæ pluris faciat opes Aonidum,
Quàm reditus amplos, & auri fulgorem.
Et ſapiet, nam nil eſt ſapientius
Viro Pieriis exculto literis;
Nec ſinet alumnum Calliope ſuum,
A cæco decipi Cythereæ nato,
Et in Charybdico laborare freto,
Qui ſemper amauit liberalitatem,
Et auaritiæ ſinus exhorruit.

IN DAPHNEOLAM.

CVm primùm faciem vidi Daphneolæ,
Virginis Thymbrea politæ doctrina,
Quamuis me gelidus premeret December,
Et nix alta cœlo caderet horrido,
Tamen flammam ſenſi ſerpere per artus
Acriorem flamma quæ coquit gigantem
Sub Ætna ſepultum fulmine triſulco;
Quam nec extinguere valeant liquores
Allati Lethea mihi de palude;
Nec herbis pellere Machaonis pater;

Nec verbis leuare Cicero diſertis.

In Hyperphialam.

AN non ego captus mente mea vagor,
Qui ſuperbos faſtus, quibus tumes, feram,
Nec greſſus referam vel Ladæ certantes,
Linquens tuum limen, ô Hyperphiala,
A me ſæpè ſertis florentibus tectum,
Atque lacrymarum largo rore tinctum,
Nec apertum meis vnquam ſuſpiriis?
Ah, cur non reuiſo ter ternas virgines,
Monte Piërio choros exercentes,
Ad flumen Dircæa clariſſimum lympha?
Hæ me blandiſſimis excipient verbis,
Nec dedignabuntur fonte Caſtalio,
Qui ſęuas extinguit Cupidinis flammas,
Et animo dios infundit amores.

In Nisam.

NIſa pœnas à te repetit Nemeſis,
Nam claro lumine noluiſti virum;
Nunc talem maritum tibi dat genitor,
Qualis erat ductor gentis Sidoniæ,
Cùm tranſiret Arnum vectus Elephanto,
Dexteri luminis expertus tenebras.
At Achilles tibi nauſeam mouebat,
Et ſordebat cautus Laërtæ filius,
Et contemnebatur Threïcius vates:
Aſt hunc nec deſpicis, nec arces thalamo,
Et cupidiſſimis amplecteris vlnis.
Hic eſt puellarum mos improbus ſemper,
Indignos amore recipiunt ſuo,
Non ſecus ac lupę, quę maritos legunt
Inter omnes forma viſos turpiſſima.
At quęcunque dignos ſpernunt Hymenęos,

Labun-

Labuntur in cœnum tandem teterrimum,
Et tingunt lacrymis vberibus genas.
Nam coniuges cernunt ſibi malè lectos
Sæuire teneros in artus verbere,
Quo nec Tiſiphone quatit horridius;
Vel aliò dolent amores transferre,
Et dotem,ſuóſque cenſus abſumere
Conuiuio,luſtris,alea,veſtitu.
Tum multo curarum fluctuantes æſtu,
Incidunt in morbos,& acerbam mortem,
Nec quemquam qui funus fleat inueniunt,
Nec buſto debitis teguntur floribus.

In AEschrodillam.

PVella ſpurcatis prædita moribus,
Nullis leporibus, nulla venuſtate,
Non te tanget mea meritam Camœna,
Nec patrem coniugis ſæuę mancipium,
Et perfidiorem pectore Punico:
Ne celebremini carminibus meis,
Quibus vos irato peterem genio,
In Archilochium vobis dignum morem.

In Garioliam.

AN vlla Stygijs eſt emiſſa clauſtris
Bellua cateruę grauior humanæ
Te Gariolia peſtis mortalium,
Et ingens odium gentis pacificæ?
Libera marito,tedaque iugali
Parentum monita ſemper neglexiſti;
Vt es in thalamum ducta maritalem,
Illum Xantippęis impleuiſti ſonis;
Nec ceſſaſti, donec acri litigio
Virum Tartareas miſeris ad vmbras,
Fęlicem quòd tuo nunc careat thoro;

Glyce-

Glyceren nuptiis auulſiſti ſuis,
Et lecti iuuenis amplexu iucundo;
Tua compuliſti ſæuitia Glycum
Petito celeri remige Batauo
Amplecti peſſimã Caluini doctrinam,
Atque peruicacem fundere ſpiritum,
Et paſcere nigra coruorum ſemina.
Neque clementior in Santen fuiſti
Coactam maturos ante dies mori
Iugibus iurgiis & acerbitate;
Nec ei probitas auxilio fuit.
Manlium ſordidis abigis ædibus,
Malentem ruſtica terere gramina,
Et cepas ieiuno trucidare dente,
Quàm perferre tuam duritiem domi,
Et audire voces auri ſuæ graues.
Paſicalioren pulcerrimam forma
Arces connubiis,& face marita;
Ne cogaris aurum diuidere tuum,
Et largiri dotem puellę debitam;
Quam cogis miſeram mille cruces pati,
Oppreſſam iaculis Cypridos amarę,
Et vſtam grauibus amorum facibus;
Famam fictis captas eleemoſynis,
Et ambitionis agitaris vento,
Vt ab illaudata collauderis plebe;
Delubra celebras,cùm ſis aliena
A templis,& ſacris,& religione,
Vt religioſa vulgò nomineris,
Et domum reportes pietatis laudem,
Quam nunquã,ne pictam quidem,ſpectauiſti;
In quoſlibet iacis voces Bionæas,
Et virtutem ſpargis loliginis ſucco.

Quin

Quin interdum vultus fingis mitiſſimos,
Et ſermonem falſa tingis dulcedine,
Cùm ſis amarior vipereo felle,
Atque barbarior Scythica ſobole,
Et inhumanior truci Caligula,
Si qua ſæui ſoror Timonis vocanda.
Quòd ſi conflagrare conſpiceres orbem
Flammis repentinis & vltima clade,
Vel humanum genus interire ferro,
Vel lue, corrupta cœli regione:
Te beatiſſimam protinus vocares,
Ac riſu triſtia diduceres labra.
Et non te furiam quis meritò vocet,
Humana ſpecie mortales ludentem,
Et bonas hominum quietes turbantem?

IN BIONILLAM.

Bionilla doctos captabas thalamos
Verbis fallacibus, ac oſculo dulci,
Quale fert Gradiuo Cytheréa ſuo,
Non Phœbo pudica Latonæ filia,
Et artibus mille pectus oppugnabas,
Mellini Poëtæ melle dulcioris;
Sed lętor amico numina fauiſſe;
Nec ſucceſſus artes habuiſſe tuas.
Nam Parnaſſiaco non es digna thoro,
Sed vel Arcadico, vel Corydonio.
Es matre ſeuera longè ſeuerior,
Voce Theonina fundente venena,
Facie fucata, lumine tigrino,
Procax, ſumptuoſa, Meuiano ventre,
Et inconſtantior calami ſtipula,
Atque mancipium Veneris improbę,
Cuius importuno ſtimularis œſtro,

Et intempeſtiuis vreris ignibus,
Cuſpide Paphia medullitus icta;
Hęc illum vitia latebant antea,
At nunc patent clara lampade detecta,
Et cęcus Poëtam deſerit Cupido.
Miſerum,qui tuos cadet in laqueos,
Et exiget tecum ſociales annos
Implicitus nodis coniugialibus.
At cor lætitia iure fremit meum;
Quòd non in thalamos irrepſeris illos,
Quos turbaſſes inſtar ſceleratę Procnes,
Vel dirę Phaſidos,vel trucis Megęrę,
Imitata matris feræ feros mores.

IN GARIOLIAM.

TAceo, vocesque comprimo Parias,
Nec enim melius vincere potero
Te Gariolia Megęrę filia,
Quàm mutas pecudes maris imitando.

AD CAROLVM PERLEONEM.

PErleon animo gratiſſime meo,
Cùm vagarer nuper ſyluis Agnionę;
Accepi literas in hæc verba tuas;
SIMON OGERIA generate domo,
Cùm quo ſæpè curas ſermone feſelli,
Sermone Smyrnęas redolente chartas,
Miraris cur nullas hîc amem puellas.
Deſine mirari, nullę mihi placent
Per regna puellę Berinia natę;
Cùm vultu filias referant Therſitæ,
Et indocto ſpirent gutture Mephitim,
Ac Philargyriæ maculentur luto;
Nec tamen amoris pectus eſt viduum,
Sed amor eſt meus cœleſtis,& amo

Puellas,

Puellas, quę montem Cynthium celebrāt,
Laurigero choros nemore ducentes;
Hę pulcra facie, ſermone diuino
Exhilarant meas, ſi quas alo, curas,
Et pectora mulcent ſono teſtudinis;
Nec abſcedunt vnquam lateribus meis,
Seu ſpiret Zephyrus, ſeu Boreas tonet,
Nec formam febribus perdunt, vel ſenio,
Et ſuis adferunt immortalitatem,
Gutture ſpirantes nectar Ambroſio.
Et non æthereas anteferam Deas,
Talibus ac tantis ornatas dotibus,
Puellis, quę tantùm dolores pariunt,
Et lites, & rixas, atque diſſidia,
Et ſumptus, & noctis tenebras ęternę?
Iſta rectè ſentis, & tecum ſentio:
Sed ſi te conferas has in regiones,
Naïadas noſtris inuenies oris
Specie formoſa Veneri certantes,
Et ſapientia prudenti Mineruę,
Et arte Lyrica ſolerti Thalię:
Quas inter Daphnillam tibi nominarem
Meas delicias, & meos amores,
Vt inter ſydera Lunam rutilantem:
Si non Candaulęo mouerer periclo,
Atque veriſſimo Propertij verſu,
Qui neminem vocat amantum fidelem.

AD FEDERICVM LAMOTIVM.

LAudas Helicona, laudas Melpomenen,
Sed ſi cū Daphnilla vidiſſes germanas
Ducentes choréas ad Sitios amnes;
Deſereres Thebas, & Dircęos ſaltus,
Nec alias tibi Muſas exoptares.

In Amatores.

QVi primus Amorem cęcum ſcripſit pictor,
Solerti valuit mentis iudicio:
Nam nil pudet ſtultas amatorum gentes;
Et mentis lumine, quiſquis amat, caret.

In Laidas.

ADoleſcens prima ſignans ora barba
Fuge meretricis artes Corinthias,
Nam ſe teterrimis ſuffit odoribus,
Et inſidiatur ſimplici cateruę,
Non ſecus ac hamus Neptunio gregi.
Hęc non ſolùm nummis loculos exuet,
Sed mentem priuabit rationis luce,
Et parem Circęis te ſtatuet feris,
Infectum ſcabie Neapolitana.

In Otiosos.

SI vis à te procul arcere Dionen,
Age res, & tutus eris à Venere;
Quæ nũquam Dianam tentat, nec Pallada,
Quòd hęc bellis, illa ſyluis occupetur.

In Venerem.

QVi Veneris dirum ſequitur furorem
Procul exturbato mentis conſilio;
Metanœę feras perueniet domos,
Nec ſolam lugebit exhauſtam crumenam,
Sed experietur numen iracundum,
Et famoſa vulgi veniet in ora,
Obnoxius plebis inſanę cachinno,
Quin viuum cadauer verè vocabitur,
Tentatus ſcabie longè teterrima,
Quam ferunt Hiſpanos ad nos aduexiſſe
Naue, nigerrimis comitata pennis,
Ex orbe tepidos qui poſſidet Indos,
Et aureos ſeruat Antipodum lares;

Quòd niſi veniam petat delictorum,
Et numen exoret Dei miſericors,
Præcipiti curſu petet Acheronta,
Et fontes Stygios flumine frigido,
Vbi libidinem ſentiet extingui,
Cùm tamen æternę repetantur pœnæ.
O miſeros cæcis qui torrentur flammis,
Et decipiuntur Cythereę ſono,
Ad Pudicitiæ voces aure ſurda.

AD HIPPOLYTVM.

NE ſequaris alas cęci Cupidinis,
Nec blandos Veneris improbæ Zephyros,
Quamuis vltro pulcra te petat puella,
Et colla laſciuis circumdet lacertis.
Quòd ſi perrexeris quò te iubet ire
Diua Cytheréis nata gurgitibus,
Ægrotabit fama, qua vales optima,
Et languebunt, quæ nunc vigent, officia.
Quin obuertet tibi terga Calliope,
Et quæ turba colit montem virgineum.
Tum Penia tuos incolet Penates,
Expulſo loculis Cereris filio;
Mox inficieris ſcabie peſſima,
Quam Celtæ nominant Neapolitanam,
Cùm gentes permeet omnes æquo paſſu.
Et niſi veniam Deum popoſceris,
Metanœa tuum ſubeunte pectus,
Tartareo lacu præcipitabere,
Vbi pœnas tuæ dabis nequitiæ,
Et flebis æternùm Paphios amores.

IN MOSYNICOS.

IMpudentiſſimæ Moſynicôn gentes
In compitis coram populo coëunt,

Nec

Nec amplexus probant Veneris ſecretæ.
O populos cæcis prędítos mentibus,
Et obſcœnitate vincentes belluas,
Quarum quædam tactę Cupidinis œſtro,
Concubitum ſolis admittunt tenebris.

AD OLIVERIVM VVALLIVM.

VVallí Palladiis notiſſime ſyluis,
Quamuis me peritũ dicam Cupidine,
Et multas amaſſe puellarum formas,
Toſtum peſtifero Veneris aëno:
Tamen amicorum perſonas induo,
Quos ſcio Paphiis ſtimulatos œſtris,
Et Cytheriaco iactatos æquore.
Aſt ego virgines amo laurigeras,
Quæ me caſtiſſimis amplectuntur vlnis
Sub monte Cadmæis regnato regibus,
Ad fontem Dircęas iaculantem lymphas,
Et hic ſolus amor me retinet captum.

AD MVSAS.

QVamuis incolerem Caucaſeas domos,
Et frigus gelidum Sarmaticę niuis,
Aut campos, Getuli quos arant coloni
Obnoxios magnis Solis ardoribus,
Procul Arteſiis diſiunctus ab oris,
Fruentibus cœli temperie mira:
Tamen ſi vos paſſus ſequamini meos
Montis Piërij præſides Camœnæ,
Nec ęſtum ſentiam cœlo fluctuantem,
Nec frigus teneris inimicum membris:
Sed videbor mihi vagari per hortos
Vel regis Phęacum, vel adoleſcentis,
Quem Venus ab apro dolet interemptum.

IN PLEBEM.

VVlgus maledica genitum Moria
Inertem me putat, quòd colam Camænas,
Nec mercatoria perſequar ſtudia,
Ingentia domum lucra relatura.
An eſt inertia verſum meditari,
Et ſequi puellas Mnemoſyne natas?
Iſta mercatorum lucra deperibunt,
Et linquent auari fato veniente,
Quas terra, mariq́ue quęſierunt opes,
Et ſepelientur Cimmeria nocte.
At carmina mihi quæ dictat Apollo
Famam comparabunt nunquam morituram,
Et me Nabathæis, Iberiſq́ue notum
Protrahent in lucem longè clariſſimam:
Nec labores mei carebunt præmio,
Quod multi principes auro prętulerunt,
Et eorum quidam fruſtra petiere.

IN VVLGI IVDICIVM.

VVlgus Socratico carens iudicio
Ignauiam vocat Pimplęos labores,
At ſi ſemel carmen tenter Pierium,
Inueniet magis laborare vatem,
Duabus vel tribus horis inſudantem
Libris, qui Clarijs verſantur manibus,
Quàm durum cultorem fertilis agelli
Terram proſcindentem vomere rigido,
Ad Heſperum Solis ab ortu candido.

IN STVLTITIAM VVLGI.

VVlgus iners, ſtultum, voce maledica
Audet Plutum doctis anteferre nymphis,
Et literas turpi poſtponere lucro.
O dignam Lethęa colluuie gentem!

AD HOMERVM.

HI tuam contendunt Homere patriam
Eſſe Colophona,ſunt qui Smyrnam dicant,
Illi volunt Chium montibus bacchatam,
Aſt Ion nonnulli,Salamina quidam,
Quidam Cumas,quidam memorant Athenas,
Alias alij ferunt ciuitates:
Sed ſi vera dei reſponſa Delphici,
Non alia tibi patria,quàm cœlum,
Nec genitrix fuit alia,quàm Clio,
Paterque Iupiter alta nube tonans.

IN MOMVM.

CVM primùm beatas in deorum ſedes
Cyllenius duxit vatem Mæonium,
Ob ſapientiam termino negatam,
Indignatus dirę filius Megęræ,
Hoc vnum reſtabat exclamauit Momus,
Vt axem ſcanderet cæcus æthereum:
Aſt hunc Phœbus tali corripuit ſono.
Inuide cęcutis liuor planiſſimè,
Inconſideratè cùm ſpectas alios,
Gaudens proteruorum verbis Satyrorum.
Hic meus alumnus,Ioue generatus,
Luminibus claris omnia luſtrauit,
Quæ mare,quæ tellus,aër,ęther habent,
Hęc indicaturus cuncta mortalibus
A Ioue mittitur telluris in oras,
Nunc ſibi commiſſo functus officio,
Non vt peregrinus ſidera tetigit.

IN NEPIVM.

TV negas legendos ducibus poëtas,
Vt nihil canentes,quod acuat Martem:
At magnus iuuenis Pellæ generatus

Aſſidua

Aſſidua manu fouit Iliada,
Et mirè Calabras dilexit Camœnas
Scipio Romanę decus militiæ;
Non ergo refellam quam fers ſententiam,
Sed iſti Nepie duces clariſſimi.

IN VVLGVS.

MAlo cum mortuis ſermonem ſerere,
Vel cum Xenophõte, vel Meleſigene,
Qui duo ſunt cordis delitiæ mei,
Quàm tecum prophana colloqui caterua,
Tu de futilibus fabularis rebus,
Vel reditu magno, vel honore vano,
Vel Diones furtis, vel luxu Bacchico,
Et exerces linguam maledicentia.
Illi deos laudant, & Herõas ſanctos,
Et vitam pręceptis inſtruunt aureis,
Ac fœlicitatem promittunt virtuti,
Eam ſtelligero locantes thalamo.
O autores auro pretioſiores!

AD CAROLVM HVIMILIVM.

CArole laureas non exoſe ſiluas
Quas Apollo colit, & nouem ſorores,
Antiqui, cùm verſus Smyrnęi poëtę
In theatris clara recitarent voce,
Gemino colore veſtis vtebantur.
Cùm pronuntiarent carmen Iliados,
Purpureos togæ ferebant honores,
Quòd hæc fuſum canat inclytum ſanguinem
Heröum, quos leto demiſit Achilles:
At cùm decantarent verſus Odyſſeę,
Cæruleum pallæ gerebant habitum,
Quòd hęc infœlicem decantet heroa,
A tridentigero vexatum numine.

AD OBERTVM GIPHANIVM.

OBerte ſtudijs clare poëticis,
Miratur me vulgus in ſolitudine,
Et putat me ſolum, cùm minus ſim ſolus,
Sed enim non videt quas video deas,
Deas virginei pręſides Parnaſſi;
Non etenim numen omnibus apparet,
Vt magnus cecinit autor Odyſſeæ,
Quem tu mirificè diligis poëtam,
Et diurna manu verſas, ac nocturna.

AD ADRIANVM RHODIVM.

QVidam cùm legiſſet medicus poëtam,
Qui laudat marinæ filium Thetidis,
Plurimos heröas ad Orcum mittentem:
Si laudatur, inquit, ideo Pelides,
Quòd multos acerba multauerit morte,
Et ego laudibus ad ſidera tollar,
Nam tot tollam viros triſtibus pharmacis,
Vt vatis mereat Mæonij tubam,
Oſque ſonaturum Galenias artes,
Quibus Æacidæ non ſecundus ero.
At tu docte Rhodi non hanc quæris famam,
Nec malis enecas pharmacis homines,
Sed ſalute gaudes morbis affectorum,
Et gloriam putas, nec infimam laudem,
Si multos ab Orco reducas ad lumen,
Quo tellurem ſpargit Titanium iubar.

AD PETRVM FONTANVM.

FOntane fontibus note Pierijs,
Alexander magnus Macedonum rector
Rogatus, quem verſum probaret maximè
Ex omnibus ijs, quos ſcripſit Homerus,
Eum non cunctatus protulit, quem profert

Pul-

Pulcerrima pulcræ progenies Ledæ,
Cùm laudat Atriden Mycenarum regem,
Quòd eſſet dux fortis, & iudex optimus;
Et hunc Æmathides attribuit ſibi,
Et de ſe ſcripſiſſe putat Mæoniden,
Tanquam vatem bonum ſcientem futura;
Nam coluit artes bellicas, & muſas,
Et ſi quiſquam regum Philippides traxit
In ſua Thaliam vota cum Gradiuo.

AD FVLVIVM VRSINVM.

FVlui Romuleę decus facundiæ,
Satis indicauit victor Ambraciæ
Fuluius Romano ſtemmate nobilis,
Litteras vtiles, ac neceſſarias,
Forti belligeræ ductori cateruæ,
Cùm ſtatuit templa Muſis, & Herculi,
Quem voluit ducem præfectum Camœnis,
Vnde Muſagetes Argiuis eſt dictus;
Nam dux literarum rudis, ac ignatus
Haud temere domum victoriam refert,
Sed victus cruento petit ore ſolum,
Nec forti fortior heros Æacide
Monumentis famæ florebit inſitus,
Abſque Mæonij carminis alite.

AD PHILIPPVM OGERIVM.

RIdebis cognate fabellulam ſcio,
Quam nobis ridendam præbet Aonia.
Quidam non Smyrnęo doctior Margite,
Cùm ſtrato locatus legeret Orlandum,
Quem furijs actum fingit Ferraria,
Lucem ſibi claram miniſtrante lychno,
Et impeteretur cimicum morſibus,

Exclamat percitus ſubito dolore;
Aſt ego peſſimæ vos fallam beſtię,
Nam lumen accenſę reſtingam lucernæ,
Nec amplius meos videbitis artus.

AD NICOLAVM BVRIVM.

BVri Chironijs erudite chartis,
Quædam fanatica mulier rogata
Vrbe, quam Phrygius condidit Antenor,
Qui verſus Maronis eſſet pulcerrimus,
Reſpōdit hunc eſſe, quem profert Phlegyas,
Admonens mortales, vt diſcant virtutem,
Quæ iuſto trutinam regit examine.

IN PERSEN.

O Perſa non ſolus fratrem defraudaſti
Cùm diuideretur hereditas patris,
Inter vos ſub monte viridantis Aſcræ:
Sed hodie multi conqueruntur idem,
Quod frater, à ſuis fratribus vexati,
Et iniuſtiſſimis litibus oppreſſi;
Quos inter vtinam non numeraretur
Medor, Aonidum certa progenies,
Et Heſiodiæ ſtudioſus artis;
Non ita gemitus pectore duceret,
Nec vultum tepidis ſpargeret imbribus;
Illatam non ferens iniuriam ſibi
Ab illis, qui muſas amare debebant,
Non indigniſſimis accipere modis.

IN APHRONAS.

O Quàm refert fructus indignos labore,
Quē pertulit Euphron ſoboles Claria,
Cùm ſcanderet montem, quem fert Pieria,
Totus erumnoſo diffluens ſudore:
Hic ſolus in veſtra claret familia,

Eę

Et poteſt verſibus illuſtrare ſuis
Veſtrum genus, claris inſerendum ſtellis,
Per muſas, ſi doctas amaretis muſas.
Cæteri quos veſtræ domus alit pater,
Nec vnquam Delphicos luſtrauerunt colles,
Nec labra rigarunt Caſtalio fonte,
Nec frontem Delijs ornarunt folijs,
Inſulſi, nec vlla prędici doctrina.
Et tamen à vobis irridetur Euphron,
Cùm muſis, quas meras appellatis nugas,
Contra fas, & iura lęſus iniuria,
Et modò non mortis ad limen adactus;
Non hæc Caucaſeis pateretur iugis,
Nec apud naufraga Siciliç monſtra,
Imò nec infernas apud Erynnias.
O gentem Norico duriorem ferro,
Et Armeniacis ſæuiorem feris,
Et barbariorem Barbariæ domo;
Dignamque Lethææ caligine turbç,
Et pœnis, quæ malas exercent animas.

AD FERVENTIVM CHRYSEONEM.

CVr te Philomuſus offendit filius,
Si Cyrrhç celebrat laurigerum nemus,
Et Aganippæa delectatur roſa,
Et carmina culto modulatur ore?
Hæc ornabunt tuam ſemper familiam,
Et ora venient in poſteritatis.
An parui gloriam facis Pieriam,
Et famam curribus vectam Mæonijs,
Et orbem Claria perſonantem tuba?
An nil præter lucrum blanditur pectori,
Nec quicquam dulcius putas pecunia?
Hanc furto fortaſſis amittes, vel bello,

Aut ſaltem mors tibi certa ſurripiet,
Et nudus Stygios vehéris ad lares;
Deſine modeſtum vexare iuuenem,
Et amariſſimis premere vocibus,
Vt inertem proſſus,ac otijs natum.
Nil iſtis otijs negotia præſtant,
Quæ tractauit olim Crœſus ad Pactolum,
Et Craſſus ad ripas albentis Albulæ.
Tum caue ne vicem nati miſeratæ
Parijs te petant iaculis Camœnæ,
Et longis prębeant ridendum cachinnis.

AD ERRICVM LAMPADIONEM.

ERrice ſtudio Pieridum clare,
Et victure dum ſol lucebit Olympo,
Ingenij fama, verſibuſque bonis,
Ne mireris quare patria contemnat
Vnà tecum ſanctas Heliconis deas,
Quarum comitaris aſſiduè greſſum,
Cùm Toloſa ſolers miretur eaſdem,
Et te velut deum Tectoſages colant,
Ac ſummum poëtam Gallia prædicet;
Seu Latinos verſus, ſeu componas Graios;
Seu Celticos, magno non minor Ronſardo.
Nemo regione patria colitur
Honore quem ſua virtute meruit,
Sed indigniſſimis excipitur ſannis,
Atque Bionęis oneratur ſonis,
Pręſertim ſi iuga celebret Cynthia,
Ac labra fluuio tingat Caſtalio,
Et tempora nectat Phœbéa virgine.
Mantua Maronem paruifaciebat,
Roma Cœlitibus magnis comparabat,

Et

Et deſpiciebant Venuſini Flaccum,
Hic tamen Auguſto ſuſpiciebatur,
Et Rudiæ ſuum contemnebant vatem,
Scipiades eum ferebat in ſinu.
Quin olim ſoboles Iſraëlitica
Indigenas vates indignè ſpernebat,
Quos exteri ſummo colebant honore,
Eorum pendentes ab ore diuino:
Quem morem Tonantis queſtus eſt filius
Pectore ſuorum ſediſſe ciuium,
Prope Nazarȩa funeratus ira.

Ad Appvleivm.

APpulei tuus importunè nepos
Mihi Pieridas obſtrepit colenti,
Et raucas indocta fauce mittit voces,
Nec ſinit audiri meæ ſonum lyræ,
Meque moleſtia non afficit parua.
Fer opem miſero,rabiémque ſeda
Sobolis genitȩ montibus Arcadum,
Nec amplius aures percutiat meas
Sonus quadrupedis illepidiſſimi.
Sic tibi quærenti roſeos odores
Vltro ſe Pæſtani ſubijciant horti,
Et nullo tempore deſint roſaria,
Ac veram redeas in hominis formam,
Quam malis pharmacis malè perdidiſti,
Dum luſtrares arua Theſſalidos oræ,
Quȩ colit Erichtho ſagarum regina,
Nil cedens magicis artibus Medeæ,
Nec Maricæ viros mutare ſolitæ
In lupos feroces, vaſtoſque leones,
Et ſues aduncis armatos dentibus.

A D

AD SILENVM.

ANtequàm peterem Romuleos lares,
Vel nullus, vel vnus, & alter Aſellus
Belgarum floridis oberrabat campis,
Et præbebat ſtulto miracula vulgo,
Labris aſperrimis depaſcens carduos,
Qui rari finibus naſcebantur noſtris:
At nunc tot aſinos reuerſus reperi,
Quot vndis abundat Oceanus pater,
Nec hîc paliuri, nec cardui deſunt
Semine fœcundo per agros creſcentes.
Ah Silene iugum linque Mænalium,
Vectoreſque tuos hinc protinus aufer,
Et herbas quæ placent illis omnes ſeca
Falce, quam Saturnus iuret acerrimam.
Non poſſunt Camænę Belgas celebrare,
Nec montes Morinos, nec Sitium nemus,
Nec Aam, nec Lyſam clariſſimos amnes,
Offenſæ pecoris tui clamoribus.
Sic tibi per ſaltus indaganti fauos,
Ilicibus cauis ab apibus ſtructos,
Parcant & Crabrones, & Veſparum nati,
Et quicquid frontibus aculeos figit,
Et tempora notat tumido dolore.

IN MIDAM.

CVM dicis aſinum Mida Paulum, ridet,
Non minus, quã ſi ſe fraterculũ clamet,
Qui grex vocat ſuas carduos lactucas.

AD ENGVERANVM LVCIARDVM.

EVguerane lucis ardens Aonijs
Amore virginum, carmen amantium,

Non

Non eſt Caletium, ſi verum ſcrutamur,
Qui Cæſari portus dicitur Iccius,
Sed Viſantum nomen ab arenis tractum,
Quas albas eijcit æſtuoſum mare,
Ibi breuiſſimus videtur traiectus
In Albios montes è littore Gallo.

IN GABELLETAM.

GAbelleta ſoli mons Allobrogici,
Nego tibi nomen aliunde datum,
Quam voce vulgari phraſeos Gallicæ
Impiam ſignantis fraudem cum cachinno.
Nam decipis quotquot tuam petunt rupem,
Creditus facilis eſſe, nec improbus,
Attamen aſcenſu fallis, ac deſcenſu,
Et anfractu longo ludis viatores,
Ac vectigalia non exigis parua,
Tibi ſuſpirio perſoluenda multo,
Et humore ſalſo per artus fluente;
At ſi cuiquam, mihi moleſtus fuiſti,
Atque difficilis præ cunctis montibus,
Et læſiſti meos inſigniter pedes;
Nec mons ſancto dictus nomine Bernardi,
Quo gentes Italas ſuperato vidi,
Nec mons Cineſius, quo domum redij,
Nec quos triui montes alios non paucos,
Ita veſtigia violarunt mea,
Aut tantùm ſudoris expreſſere mihi.

AD PHILIPPVM BRODÆVM.

GEnabum, quod Cæſar incendit opidum,
Non eſt, vt plebs putat, vrbs Aureliana,
Sed Gienum ponte Ligeri coniunctum,
Vbi Genabia teritur platea
Etiamnum priſcæ ſeruans nomen vrbis.

AD

AD NYMPHAS PETRIADES.

SI præſentes magnæ fuiſſetis deæ,
Cùm Petro tendebat Landerius caſſes,
Gratificaturus bimatri ſocio,
Illæſus abiſſet, veſtro tectus ſcuto,
Nec vulnus ab illo doleret acceptum.

AD IOANNEM DVZAM.

VErbis oro mihi ſignifices tribus,
Duza Batauici decus Apollinis,
Cur opidum Leidam vocetis Lugdunum,
Cùm monte careat, planitie ſitum,
Nec vnquam viderit Hollandiam Plancus.
Nam Lugdunum fortes ſpectás Allobrogas,
Eſt conditum colle geminos ad amnes,
A Lucio ſtirpe celebri Plancorum,
Et Lucijdunum primò vocitatum,
Poſt eſt dictum voce contracta Lugdunum,
Tertia ſeptimæ littera cedente.
Dunum verò priſca dictione mons eſt,
Qua Galli ſunt vſi prioribus annis:
Et nos etiamnum vocamus hodie
Dunas arenoſos Oceani montes,
Et vrbes, quæ Dunum fine vocis habent,
Omnes in montibus ſitę perhibentur,
Vt Auguſtodunum cum multis videas,
Quas Celtæ poſſident, & poſſident Belgæ.
Quin Dunkerka nomen accepit à templo,
Vbi ſuas Deo curas aperiunt,
Qui Dunas celebrant æquorèas viri,
Et Flandrum carinas appellunt ad littus.

AD SIMONEM ALTIFOLIVM.

SImon generate Delphicis montibus,
Vbi viret altis Parnaſſus folijs:

Sunt

Sunt qui volunt dici nomen Augerium,
Quod fert noſtra domus,ab augendi verbo,
O in au diphthongum vocali conuerſa,
Exemplo veterum quos Latium tulit,
Nā ploſtrū, vel plauſtrum dicebant antiqui:
Vel ab Auge,Graijs quæ ſonat fulgorem,
Vel ab Egeria Pompilij nupta,
Elementis quoque parumper mutatis.
Quicquid id eſt, dici lætor Ogerius,
Nec cognomen velim mutatum Coruino.

AD ADRIANVM RHODIVM.

RHodi Phebëia ducens ortum Rhodo,
Quē Rhododactylos ſemper videt Eos
Euoluentem libros artis Galenię,
Roſę naſcebantur priſcis temporibus
Colore niueas imitante plumas
Auium Cayſtro flumine natantum.
At Venus aurei genitrix Amoris,
Cùm ſtrauiſſet aper Adonim tenerum
Dente fulmineo virides per herbas,
Et eandem ſibi timeret rabiem,
Quòd iuuenis vicem cuperet vlciſci,
Fuga conſuluit timido numini,
Et in nemus ſeſe coniecit horridum
Spinis lacteolas ferentibus roſas:
Ac planta rigidis tranſfixa vepribus,
Largifluo tinxit radices cruore,
Vnde notam roſæ duxerunt ilico
Coloris,quem mater gerit Memnonia,
Cùm diem prouocat ore purpureo.

IN MIDAM.

COmtēpſiſti lauros, cōtempſiſti cycnos
Præ tuis opibus Arcadice Mida,

Et

Et tibi ſuperbum paraſti ſepulcrum
Auro,marmoribus,ac gemmea luce;
Et hinc perpetuam ſperauiſti famam;
At ſpem tuam longè tulerunt flamina;
Et altitonantis Olympi fulmina,
Miſta tempeſtate fœdiſſima nimbis;
At ſi laurigeros obſeruaſſes cycnos,
Etiamnum tuus extaret tumulus,
Nec in eum quicquam potuiſſent venti;
Nec mota tremendo tonitrua ſono.

AD CERVISIÆ COCTORES.

O Vos qui coquitis ceruiſiam,quare
Miſcetis Cereris viribus,& aquæ,
Et lupulo, rebus aptis ceruiſiæ
Peſtiferum virus amari graminis,
Et ſuccos capiti dolorem gignentes,
Atque ſubuertentes ſtomachum penitus?
Ah relictis more priſtino poculis,
Quæ vos haurienda nobis conficitis,
Ad aquarum dulces confugiam riuos,
Et puros arida fauce bibam fontes.

IN VINA CELTICA.

ITaliæ tellus olim dicebatur
Oenotria, nomen à vino deductum;
Nam vina generat generoſiſſima,
Quæ iucundo tingant palatum ſapore,
Et leni liquore pectus exhilarent;
Non gignant dolores capiti noxios,
Nec ſtomacho morbos creent acerrimos.
At caret arbore Belgarum regio,
Vnde largi fluant Lyæi latices;
Et quæ mittunt nobis Sequanici colles
Hoc vina tempore referunt acetum.

Quare priſcum morem libet repetere,
Et lacus,& puros haurire liquores,
Fluminis liquido certantis Electro.

AD LVCRETIVM.

LVcreti Romana genite matrona,
Ad Tiberim flauo fluentem flumine,
Vellem Cecropium mihi nunc liquorem
Mellis Hymettij,quod maximè probas,
Vt tollerem tetros abſynthi ſapores,
Abſynthi Pontico generati ſolo,
Ac miſti Falerno Gallia genito,
Vnde repentinus inuaſit me dolor.
Ah Latoa proles ſuccurre Simoni
Acerbos dolores capite gerenti,
Libato latice triſtis Abſynthij,
Aut mihi mors præſens oculis oberrat,
Nec potero tantos ferre cruciatus;
At tu teter odor abſynthij nunquam
Poſthac tanges meas,ſi ſapio,nares;
Per te nunc inſomnem miſer duco noctem,
Nec quietem corde reperire poſſum,
Nec oculis magno grauatis ſopore;
Non ſi Lethe mihi mittat auxilio
Quotquot ſuis creſcunt papauera ripis.
O ſolem ſiniſtra mihi natum luce,
Et atrato noctem labentem ſidere,
Ac vectam penitus curru bubonio,
Nec leuantem meas,quibus vror,curas.

AD ERRICVM MORTARIVM.

ERrice gloria Mortariæ domus,
Haud Callophthalmium leuibus de cauſis
Tale gerit nomen,à Græcis inditum,
Quòd pulcro recreet oculos lepore.

Nam

Nam collibus tumet,ac valle premitur,
Et lacubus claret,& garrulo fonte,
Nec gratas auibus deſiderat vmbras,
Et mille floribus variatum ridet,
Nec vitibus caret,nec vbere gleba,
Et Pomonæ dona fundit gratiſſima,
Mulceturque blando Zephyri flamine,
Nec Auſtrinæ luis aura vitiatur,
Et nymphas educat Helenæo vultu.
Sed licet hæc cœlo rus æquent beatum,
Tamen Pierij verticis dominæ
Has fœliciſſimas efficiunt oras.
Seu nitidus enim luceat Lucifer,
Seu micet Heſperus igne noctifero;
Audiuntur ibi teſtudinum voces,
Et citharæ doctis pulſatæ digitis,
Specioſiſſimo Latonę filio,
Cùm Thalia lætas ducente choréas,
Et Ligneſiacas canente virtutes,
Ædibus Pario marmore coruſcis,
Atque circumdatis vmbra Penëide.

AD IOANNEM MACARIVM.

MAcarius voce beata diceris,
Donec Auſonios habitabis lares,
Et florentem pacis Italiam laude:
At ſi Pleumoſias reuiſeris terras,
Et Belgium Martis furore turbarum,
Cammoros addetur verum tibi nomen,
Vt omnibus,Flandros qui terunt limites.

IN BIONEM.

PHiloſophus viles animas vocauit
Obnoxias turpi maledicentiæ,
Quæ nunquam pectora tangit generoſa,

Nec in altiſſimos egreditur mores;
Nam parcunt lędere ſapientes famam
Ciuium ſuorum dente Theonino;
Quamuis non optimi memorentur illi.
Putant enim labis neminem liberum,
Et qua voce crebrò virtutes vſurpant,
Ea dedignantur fœdam vilitatem;
Quæ mentibus hęret infectis vitio;
Tu quoque permittas Bion maledice
Hoc pręceptum tuis auribus infundi,
Nec de dulci fama detrahas illorum,
Qui turpes Iambos nunquam meruere.

AD STEPHANVM CRVCIVM.

VLtrò boni menſas accedũt bonorum,
At rogas cur vitem cœnas inuitatus
Herois Claricas poſſidentis villas.
Ne me paraſitum voces, vt vocaſti
Męuium, quaſlibet epulas tangentem,
Siue ſit vocatus, ſiue non vocatus.

AD SIMONEM DARVLTIVM.

TIbi grates ago candide Darulti,
Quòd literas meo perſcriptas Ceruto
Curaris ad vrbem Veronam deferri;
Nunc oro te meis multum verbis ores
Salium Poëtam non de vulgaribus,
Audomaropolim mihi mittat Epos,
Quod ſcripſit alite Colophoniaco,
Sedens ad Sequanæ pulcerrimos amnes;
Et luſtrans virides Lutetię ſyluas,
Vnde voluptate perfundar maxima,
Ad flumen recinens patrium carmina,
Quæ ciuis genuit noſter doctiſſimus.

AD ALEXANDRVM IANVTIVM.

RIdebis Ianuti Iano generate,
Quia tingit pallor argenteus genas
Gallorum reginæ longè caſtiſſimæ;
Gallæ mulieres accerſunt pallorem,
Et facie fugant Auroræ colorem,
Pharmacis lunares ducentibus notas,
Et ducto niueis cruore lacertis.

AD FEDERICVM CERVTVM.

EPiſtolas ad te creberrimas mitto;
Sed nihil ad eas reſponſi video:
Credendum Veronam non eſſe perlatas,
Cùm reſponſo ſemper fueris paratus;
Vel, quod nollem, tibi Parcas occurriſſe,
Et Demoſtheneas voces ſuppreſſiſſe;
Opto ſcire cauſam dulcis amicule,
Quæ te diſcipulum facit Harpocratis,
Nullis conſolantem litteris amicum,
Qui te viuo gaudet, mortuo non viuit.

AD IOANNEM TRVFFALDVM.

IOannes litis inimiciſſime,
Et Muſis dilectę pacis ſtudioſe;
Si tibi pareret ſoboles Bataua,
Bella componeret excita Belgio,
Hac conditione, quam fert æquiſſimam
Rex in aurifera magnus Heſperia,
Dum nondum ſegetes videt violari,
Nec vndas cruento fœdari liquore,
Dumque diuitias retinet intactas,
Et beata bonis abundat omnibus
Ceſſuris militi Calaguritano,
Si pergat Iberum laceſſere regem,
Et in cœlum fera vibrâte iacula,

Aras

Aras ſacrilegis circumdans ignibus,
Et frangens aurea Diuûm ſimulacra.

Ad Ostendam.

OStenda Belgico pulſata Nereo,
Vnde nomen eſſe tibi datum putem?
Ab Oſtentis credo, nec fallor credendo,
Nam velut Oſtenta, quæ terris apparent
Ægras ſollicitant mortalium mentes:
Sic tu ſollicitos tuis adfers metus,
Et Flandricas gentes aſſiduè vexas;
Ah oſtende bonam tuæ te parenti,
Nec Gondunos tuæ regionis caput
Ita preme ſęuis excurſionibus,
Nec Brugenſes multa damnis inſignibus;
Sed ad mentem redi, quam nuper colebas,
Et Caſtelligerum venerare regem,
Et Hiſpanas gentes, vt prius, excipe,
Exturbata fera Britanorum turba,
Quæ nil niſi tuum ſpirat exitium.
Ni tandem ruinam mauis experiri,
Et extremam cladem, velut Noueſium,
Et aliæ multæ ſunt vrbes expertæ,
Non ferentes Martis robur Farneſij,
Nec Hiſpanam manum, militeſque pios,
Qui regis optimi maieſtatem colunt,
Et rebellionis execrantur vultum.

Ad Ioannem Vendivillivm
Epiſcop. Tornacen.

VEndiuilli decus iure conſultorum,
Gaudet ſuis datum te Sabis paſtorem,
Et Sabides Nymphæ feſtos ducunt choros,
Apud patrem claros voluentem latices,
Tuaſque comites Phroneſin, & Dicen

Excipiunt vultu gaudiis perfuſo.
At mœret Lycaon, Caluinia proles,
Caudamque pauentem ſubijcit vtero,
Moliturque fugam procul à Neruiis,
Nec tanti Præſulis fert vigilantiam.

AD ANTONIVM PARIVM.

ANtoni Clario nutrite ſub antro,
Gaudeo te ſaluum rediiſſe Roma,
Atque Pyladæum percuſſiſſe fœdus
Cum lepidiſſimo vate Macario,
Quem familiarem mihi ſciunt Nymphæ
Cultrices nemorum, quę lambit Albula.

AD IOANNEM OLIVARIVM.

OLiuari nate ſaltu Palladio,
Non ſemper Belgio Mauors inſaniet,
Sed Anglos, vel truces petet Thuſſagetas.
Nam vices huc illuc armiſonas voluit
Bellipotens ſęuæ Iunonis filius;
Et Alloproſallon vocat hunc Poëta,
Qui principem tenet apud Dircen locum.

AD GVLIELMVM CHABOTIVM.

XEnophon Attica verè dictus Muſa
Ira graui fertur in Achariſtiam,
Hancque vitiorum vocat originem,
Digniſſimam pœna Lethæi carceris.
Ideò ne tuus frater, Gulielme,
Nicolaus pię ſtudioſus lyræ,
Tot beneficiis à te cumulatus
Huic ſit obnoxius lui teterrimæ;
Gratias ingentes egit ſæpè tibi,
Et acturum nulla non luce fatetur.
Quin ego qui gratos homines diligo;
Ipſius nomine tibi grates ago;

Quòd paternum fratri præſtes officium,
Illiusq́ue ſemper foueas ſtudia,
Et à Baliniis captum militibus
Auri redemeris pondere non paruo.

AD ENGVERANVM PARVVM.

PArue magnas colis Mnemoſynes natas
Montes per Larios,& Bomium nemus.
Quapropter es magna cumulandus laude,
Et mutãdum tibi nomen Paruum Magno;
Cùm cultu digneris Dearum maximas,
Quæ tibi tempora non ingratæ cingunt
Laurea,Smyrnęa collecta ſub ora,
Longè Pompeiana digniore lauro,
Quæ Magni cognomen domino peperit.

AD LAVRENTIVM FRIZOLIVM.

QVęris quid rumoris ſerpat apud Belgas;
Fama conſtans ait Frizolia proles,
Heſperium regem bellum meditari
In Britannos claſſe ſimili Xerſeæ;
Percuſſa ſecuri Scotorum regina,
Et direpta ſancti terra Dominici,
Excluſiſq́ue templo Diuûm ſimulacris,
Et Caluinianis Anglia receptis.

AD ROGERIVM SCOTEVM.

VIr quem nunquam Lethes nigrę teget Scotos,
A Thalia claris inſerendum ſtellis,
Funeri dedita Scotorum Regina,
Lugent venuſtates,pulcritudinesq́ue,
Et fides,& pudor,& pudicitia,
Et regalis honor ſpirat vltionem.

AD CAROLVM HAFFERINGVM.

RVmor hic eſt conſtans noſtros meditari
Maridik ę muros opponendos Anglis.

Et moliri celſum Blankibergę vallum,
Ne terras deſcendant hâc vaſtatum noſtras.
Maridika vetus opidum Flandriæ
Audit marinarum cantus puellarum,
Inter Grauelinæ fortiſſimas arces,
Et ditis Dunkerkæ veliferos portus;,
Blankiberga Flandris etiamnum paret,
Verberata magno Nereïdum ſalo,
Nec procul à muro diſtans Oſtendano,
Et Excluſa ſuos excludente reges.

AD SIMONEM DARVLTIVM.

SImon exercitus properat regius
Ad obſidionem ferocis Oſtendæ,
Quæ multis afficit Flandros incommodis,
Nec ſinit ſecuros viatorum pedes,
Et inuidet agro meſſem Pleumoſio.

AD FRANCISCVM BOSCARDVM.

OStenda milite noſtro cingebatur,
Et ecce rabies venit Batauica,
Quæ ſciſſo, qui fluctus arcebat, aggere,
Ad ter mille paſſus terras inundauit,
Et referre pedem coëgit Iberum,
Sic nunc Audeburgum Nereo pulſatur,
Et vrbs maritima cum multis habetur.

AD GVLIELMVM CHABOTIVM.

QVo tempore miles obſidebat noſter
Oſtendam, volucri non ſatis candida;
Bataui ducalem ſyluam percurrebant,
Et modo non muros eius obtinebant;
Quin abfuit parum, quin arx Antuerpiæ
Hoſti dederetur prodente Germano,
Sed res in luminis oras eſt elata,
Neque proditio ſucceſſus habuit,

Et falſus retulit Holachius pedem;
At Teutona proles tantæ rea culpæ,
Breui pœnas dabit capite truncato,
Iubente Themidos iuſtiſſima lege.

AD SIMONEM DARVLTIVM.

VIde quæ portenta nobis fingat Oſſa,
Vt ſpargat in vulgũ meram vanitatem,
Nec Oſtenda ſenſit adhuc obſidium,
Nec aggere rupto campos inundauit,
Vt nunc Audeburgum tingat Oceanus,
Sed Excluſam noſter petit exercitus,
Et dicitur ea nunc eſſe potitus,
Moxq́ue fulmineis prouolabit alis
Ad Oſtendæ muros,eamq́ue vexabit;
Et,vt ſpero, coget ad deditionem;
Et ita Brugenſis populi ciuitas
Amittet dolorem,quo premitur,altum;
Et gratias aget dexteræ victrici,
Ac Pęana canet Marti Farneſio.

IN PROREA.

MÆonides quorum ſæuitiam notat,
Neptuno parente procreatos fingit;
Innuens Poëta Caſtaliæ decus
Nautas omnes feris aſſuefactos fretis
Eſſe ſæuiſſimos,ac barbariſſimos,
Et humanitatis hoſtes acerrimos;
Quod in te nunc Proreu comperimus eſſe,
Per quem ferè portas mortis intrauimus
Obruti profundo Nereos pelago;
Sed nos eripuit Galatea Nymphe,
Nymphe candidior vel lacte, vel niue,
Et dulcior mellis Cecropij fauo,
Cui Sicula Mele non inuidebimus,

Nec hymnos receptę Zoagria vitæ,

IN PANVRGOS.

O Inſolentiam vocis barbaricæ!
Noctes atque dies inſudamus libris,
Atque fatigamus orbes oculorum,
Ac magno terimus Parnaſſum labore,
Et indocta voce vocamur inertes,
Et videmur eſſe vobis otioſi.
At vos cùm literis aſſiduè Baccho,
Et in fœdiſſimis verſemini luſtris,
Et talos,& lites nunquam non colatis,
Videmini vobis excellentes viri,
Et negotioſos vos dici iubetis;
O iucundiſſimum Diti negotium,
Et dignum Letheæ carceribus aulę.

AD PETRVM FLORESTANEM
Ligniacum.

VIx tibi Floreſtan oſtendi titulum
Meæ Floriados,cùm ſuades vt edam;
Sed me dehortatur Venuſinus vates,
Et inculcat nonum meis chartis annum.

AD IOANNEM LIGNIVM.

O Vęris Ioannes,quid noui feratur;
Excluſa cũ pulcro Gueldrię caſtello
Eſt recepta tandem, ſed magno conſtitit,
Nam perdidit ibi Valentinus noſter
Lacertum,qui dextro iungitur humero,
Aſt hîc heros vitam Barlęmontiades.

AD BALDVM ANGELVM EVGVBINVM.

NIcolaum nobis ereptum doleo
Cardinalem pium,ſolertem,benignũ,
Et Sermoneranæ decus familiæ;
Cuius oſſa tellus ſeruat Lauretana,

Condita

Condita tumulo marmore lucido;
At nos huic ſepulcrum conabimur dare,
Quod Pimplæa manu ſtructum nunquam cadet.
Hoc eſt quod reddere noſter poſſit labor
Pro beneficiis,quibus nos affecit,
Dum celebraremus Caëtanum larem,
Ad Tiberim flauos voluentem vortices.

AD ELISAM.

AN non erant gentes, quas vexares bello
Præter pias?erant Bezidæ cum Turcis;
Quare vel impium deſere furorem:
Vel pœnas expecta coniugis Achabæ.

AD TAMESIM.

TAmeſi videbis tuos breui fluctus
Mutare colorem cærulum cruento,
Et Pardali victa Iouis armigerum
In aues Britannas exercere regnum;
Nam nequit perferre Nemeſis amplius
Trinobantiados Aſebeę nefas.

AD MAXIMILIANVM VOSSEMIVM.

SI rediret Orpheus,tibi concederet
Arte teſtudinis VOSSEMI canore;
Cuius ita ſonus probatur melicus
Sicelidi Muſę,magnoque GASTONI:
Vt Spinola virtus probatur Ibero,
Formidata Rheno,Batauoque Marti.

AD RVGERIVM CAETANVM, HONORATI Sermonetanorum Ducis filium.

ERgo Belgiacas veniſti ſub oras,
Rugeri nobilis ſtirpe Caëtana,
Relictis inclytę Naiadibus Rheę,
Et Oreadibus,quibus floret Roma.
Vbi me non ſemel duce petiiſti

Lauri.

Laurigerum montem, ſtudioſus artis
Quam tractauit Maro cum Meleſigene?
Quare non dubito, quin operam naues
Probandam maximo Cantabrorum regi,
Nam quicũque Muſis iunxere Gradiuum,
Vſi ſunt Fortuna belli proſperrima,
Et ſpoliis ſuos ornarunt Penates;
Teſtis ille tuus ciuis Africanus,
Et plures, quos tibi notos prætereo.

AD GASTONEM SPINOLAM.

NOn vna de cauſa vellem magne GASTON
Nomen tuum meis inſerere chartis,
Et Heliconia reſonare lyra,
Dignum præconiis turbæ Gangetidos,
Et gentis Ibera colentis nemora.
Es Italus, domo genitus Spinola.
Stemmate nobiles ſuſpicio viros,
Vt illuſtres coli familias par eſt;
Et nomen Italum ſi quis amat; amo,
Ab Itala gente molliter exceptus,
Et beneficiis cumulatus mille,
Dum per decennium colui Penates,
Quos præterlabitur Venetus Atheſis,
Et Albula Romæ gratiſſimus amnis;
Nec erro, ſecundam ſi vocem patriam,
Vel illam, quam Brennus armifer condidit
Ad colles arbore Palladia tectos,
Vel illam, quã ſtruxit vrbem Remus acer
Cum fratre Quirino Tarpeio ſub monte.
Nam mihi præſtitit maiora Sitio,
Et pennis extulit felicioribus
Camœnas dignantes noſtros ſequi paſſus.
Quin ex Arteſia nuptam delegiſti

Specio-

Specio ſiſſimam,prudentiſſimamque,
Quam Nymphæ mirātur Embrides eūtem
Per fines amœnos gentis Audomaræ,
Vt Oreſtiades Latonæ filiam,
Choros meditantem per ſaltus Idęos,
Aut vt mirabantur Corcyrides Deę
Diuinam coniugem mitis Alcinoï,
Dum per Phęacias incederet vrbes.
Tum diligis Muſas, & Clarias artes,
Et teſtudineo delectaris ſono,
Nec eloquentia cedis Neleïo,
Cuius linguam Graij mirabantur duces,
Dum verba funderet dulciora melle,
In caſtris ad vrbem Troianam poſitis.
Nam quid pietatem tuam commemorem,
Atque Mauortiæ virtutis ardorem,
Quam norunt Bataui ſatisque,ſuperque,
Et Philippus probat rex regum maximus,
Pro quo non dubitas ſanguinem fundere,
Et in diſcrimina caput conijcere,
Vel iucundiſſimi iactura luminis?
Hæc olim dicentur à docta ſobole
Ore,quo Poëta veſter canit Daphnim,
Ad Arethuſęos fontes,& Perguſam:
Vel illo,quo laudat Homerus Achillem
Dardanios ciues ad Xanthum ſternentem:
Nam mihi tenuis aratur regio,
Et paruula ratis timet Oceanum,
Nec tantum ſplendorem mea fert Erato.

AD EVNDEM.

Siciliæ tellus ſpectat Italiam,
Ab ea non longo dirempta pelago,
Quo latratum virgo Niſeïa tollit,

Et Charybdis naues voratas reuomit.
Hac in regione frigoris neſcia
Iuxta Siracuſas Arethuſam vides
Electro certantes iaculantem lymphas,
Et Alphæum ſuo dignantem thalamo.
Nec procul Ætnæis à montibus habes,
Perguſam niueis oloribus tectum,
Et viridiſſimis inumbratum lucis.
Hîc apes Hyblçæ flauas condunt opes,
Et mille colorum flores depaſcuntur,
Nec dulces ſaccarum deſtituit cannas.
Et magnanimorum genitor equorum
Acragas, mœnibus ad ſidera ſurgit,
Et pingues Geloï boues alunt campi;
Et Enna ſegetes, palmas dat Selinis,
Nec Panhormitano Liber deeſt ſolo.
Et per Lilybæa Pallas viret ſaxa,
Paſſimque Vertumnum ditant pomaria,
Et Acheloïdes ſine noxa canunt,
Et cincta ſororum cœtu Galatea
Glaucum mare blandis exercet luſibus,
Nec Polyphemæas timet inſidias.
Et hîc Bucolicæ dominantur Muſæ,
Et Empedoclæa florent ingenia,
Et Archimedæę glomerantur ſphęræ:
Ac nihil opimam tellurem deficit,
Quo natura poſſit hominum iuuari.
Hîc tibi cùm vitam liceret ducere
Expertem laboris, ac periculorum,
Et hilariſſimos agitare dies,
Curis in Africa pelàge demerſis:
Tamen voluptates Bromias ſpreuiſti,
Et dulçes choréas, & ſyluæ ſtudium,

Atque maluiſti magnanime GASTON,
Laborem ſubire, ſudoremque pati,
Et operam Regi nauare PHILIPPO,
Ac pugnas Belgicos ciere per campos,
Vbi ſæpè feris oſtendis Batauis,
Quibus turbinibus haſtam contorqueas,
Et quanto robore polleat lacertus.
Quotum te coniuges belli fulmen vocant,
Nec ſecus formidât,quàm Leonem greges,
Qui per Marmatica paſcuntur nemora,
Et ceruinos metus agitant pectore,
Nulla ratione mortem vitaturi,
Nec ſæuos pecoris generoſi dentes.
Et hîc imitaris Nerei nepotem,
Qui relicta Scyro cum Deïdamia,
Vitam mollem duro mutauit labore,
Contemptis precibus cæruleę matris,
Et Lycomediæ lacrymis puellæ,
Quibus vetabatur Pergama petere;
Vbi Dardanios ad poſtes cecidit,
Poſtquàm mille viros miſiſſet ad Orcum,
Et Hectora dulci vita ſpoliaſſet,
Meritus ſepulcrum Sigæos ad portus,
Osque Mæonium poſt acerbam mortem.
Quo munere nihil poteſt maius dari,
Vel iudice magno Philippi filio,
Qui Macedonicis imperauit turmis,
Et Aſiam victo tenuit Dario.
Hic enim beatum vocauit Achillem,
Quòd tali præcone celebratus eſſet.
Cuius tubam lyræ Paridis prætulit,
Et gazæ, quam diues congeſſerat Ochus,
Ac ſibi non vnis exoptauit votis

Vatem, qualis erat Mæonis filius,
Quem ſi reſciuiſſet heros reuixiſſe,
Nimio lacrymas fudiſſet gaudio,
Et euangelium nuntio dediſſet,
Vel regnum Perſidis, vel regnum Mediæ,
Vel Tarſum, vel magnas Nili pyramides.

AD NYMPHAM LIDERICAM.

VEtus oraculum fides eſt ſecuta,
Quo prędicebatur Liderica Nymphe
Vbere te tuo lupos alituram,
A quibus poſtea dilacerareris.

AD BOETIVM EPONEM.

EPô legiferæ Themidos armiger;
Cenſus gignit faſtû, faſtus gignit bellû,
Bellum paupertatis producit faciem,
Paupertas ſuperbos comprimit ſpiritus;
Hinc pax diuitiis exoritur grauis.
Ergo noſtris inſtat pax aurea portis;
Nam paupertas totum percurrit Belgium,

AD GVLIELMVM IOLYRVM.

IOlyre medicæ gloria cateruæ,
Rogas quo me Phœbus côſpexerit anno
Egreſſum grauida genitricis aluo.
Editus in claras ſum luminis oras
Anno, quo moritur Pontifex Maximus
Ille Farneſiæ ſplendor familiæ.
Decimus Nouembris dies aufert Paulum,
Tertia me Maij lux in lucem dedit,
Cùm ferè medium Sol hauriret orbem.
Aleardus pater, Nicaſia mater
Geniti ſunt muros intra Sitiacos,
Et me genuerunt eadem ſub ora;
Duæ me ſorores ortu præceſſerunt,

Tertia ſequitur triplici cum fratre.
A puero mihi Muſæ placuerunt,
Et ad Mæonia traxere nemora
Exoſum clamoſi litigia fori;
Nec me Pierius vnquam liquit amor;
Et huc vſque meus nupta caret thorus.
Hilaritas meo reſplenduit ore,
Atque valetudo bona me tenuit,
Et rarus corpora morbus occupauit.
Antuerpiæ linguam didici Teutonam,
Leges Louanij, canoneſque ſacros;
Audomaropoli Muſas mitiores
Sub Balinguenio longè doctiſſimo.
Italia decem me per annos vidit
Modò Tiberina terentem gramina,
Modò Baldiacos celebrantem montes.
Nunc lugeo domi Belgicos furores,
Ac ciuilem rixam, pugnaſque cruentas,
Et manat oculis lacrymarum riuus,
Quòd non vlla detur finis truci bello.

FINIS.

W

Errata ſic corrigito.

Pagina 262. Linea 11. lege Tum vultus. pagina 344. linea 5. eſt nacta, pagina 353. linea 15. Neptunius heros. pag. 375. linea 25. Galliam bellicæ pag. 382. linea 5. ſeu linquat. pag. 396. linea 1. Ac Ver auricomum.

Hæc omnia Simonis Ogerij opera typis excudi atque inoffenſè legi poterunt.

G. ESTIVS S. Theolog. Doctor.

Excudebat Duaci I. Bogardus anno 1588. menſe Februario.

BIBLIOTECA NAZ.

26 — 10